En libris A. Dekeyser.

DK
8

COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

—

Labia sacerdotis custodient scientiam
MAL., II, 7

TOMUS I

ALMA COLLEGE
CB
LIBRARY
P
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis A. Van Mullem-Van Haelemeesch
MDCCCXCVI

25279

v. 1
1896

Collationes Brugenses

EPISTOLA CIRCULARIS

QUAM

de Studii necessitate et præstantia

ad clerum suum dedit

Ill^mus ac Rev^mus D. Gustavus-Josephus Waffelaert

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR

XXII^us ECCLESIÆ BRUGENSIS EPISCOPUS.

Brugis, die 29 Octobris 1895.

Reverendi ac dilecti Domini,

Ea natura hominis est, ut nihil humani agat homo, nisi prælucente rationis suæ dictamine, nisi motus a fine præcognito, in eumdem præcognitum ac intentum finem. Quo autem perfectius ratio instruitur scientia ac sapientia, quo diligentius iisdem utitur considerando ac meditando agenda, eo sapientius ac prudentius eoque efficacius agere valet : nam, fine bono a ratione præstituto et a voluntate intento, rursum est rationis ornatæ prudentia aptam ac legitimam eligere viam ad

finem, præsidia excogitare atque adhibere, obices prævidere et ab iisdem declinare.

Hoc quidem rationis munus, si in omni negotio est attendendum, profecto summi momenti est ubi ratio, fide illustrata ac prudentia christiana instructa, suas partes explere debet in re æternæ salutis, tum propriæ nostri ipsorum, tum eorum qui nobis, utpote prudentioribus, committuntur.

Qua de re monet nos Spiritus Sanctus, in libro Ecclesiastici : *Ante omnia opera tua verbum verax,* id est, diligens consideratio veri ac recti, *præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile.* Ut videlicet imitemur ipsam divinam sapientiam, quæ, teste eodem Spiritu Sancto, in lib. Sapientiæ, (VIII, 1) *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter,* et rursus (XI, 11), *quæ omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit.*

Demum ipsa Sapientia Patris, Christus Jesus, in Evangelio suo necessitatem prudentiæ et studiosæ considerationis agendorum duplici parabola inculcat, dicens, (Luc. XIV, 28-33) : « Quis enim « ex vobis volens turrim ædificare, non prius « sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, « si habeat ad perficiendum, ne, posteaquam « posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, « omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicen- « tes : Quia hic homo cœpit ædificare et non « potuit consummare ? Aut quis rex iturus com- « mittere bellum adversus alium regem, non « sedens prius cogitat si possit cum decem mil- « libus occurrere ei, qui cum viginti millibus « venit ad se, alioquin adhuc illo longe agente, « legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. »

Hæc divina monita nostris præsertim tempori-

bus opportune in memoriam revocanda videntur : nam, tot curis, tot zeli operibus distendimur hodie, tot nobis incumbunt nova præteritis temporibus ignota, tantopere etiam quasi in immensum excreverunt ea quæ omni tempore cum ministerio animarum sunt connexa, ut licet simul excreverit, Deo sint laudes, zelus ac diligens opera cleri, aliquod tamen periculum sit ne non usurpemus tempus illud *sedendi,* de quo Salvator loquitur, ad computandum ac recogitandum. Atqui studium hoc sub nullo prætextu est omittendum, nec umquam in quibusvis adjunctis negligitur nisi cum maximo detrimento tum propriæ perfectionis nostræ, tum ipsorum, dicere non veremur, operum ministerii nostri ; imo, studium ac contemplationem divinæ veritatis, etiam deficientis temporis prætextu, omnino omitti posse negare plane audemus.

Itaque, præmissa notione quadam ac definitione quid per *tempus sedendi ac studendi* intelligamus, triplex statim occurret argumentum quo, ni fallamur, luce clarius demonstrabitur veritas asserti.

Per *tempus sedendi ac studendi* non solum significare intendimus studium assiduum rerum divinarum et ad ministerium nostrum spectantium, quo quis per horas continuas libris incumbat, quamquam et illud negligendum non est, quoties tempus suppetit; sed significamus studium sæpius repetitum, licet sæpius necessitate abruptum, quotidie vel saltem frequenter per aliquot temporis momenta resumptum ; nec mere theoreticum studium cogitetis, sed cum affectu conjunctum ac agendis prælucens, quo habitus contemplandi res divinas, necnon habitus practicus sapientiæ et

prudentiæ christianæ in dirigendis nostris ipsorum aliorumque moribus, in prosequendis ac rite ordinandis variis munium nostrorum partibus, acquiratur, alatur, foveatur, ita ut revera ante omnem actum nos præcedat *consilium stabile*.

Eo igitur nomine veniunt ipsa meditatio matutina, lectio sacra, collatio consilii cum confratribus, præparatio sedula concionum, recollectio eorum quæ in confessionibus, instante præsertim earumdem frequentia, sunt præstanda, ut sunt motiva contritionis varia variis proponenda, modus disponendi diversas peccatorum classes, principia agendi cum occasionariis, recidivis, consuetudinariis, recogitatio eorum quæ in congregationibus ac sodalitatibus piisque operibus dirigendis atque fovendis sunt molienda, reliqua denique omnia, quæ ad propriam nostram salutem zelumque animarum quovis modo spectant.

Quibus præhabitis, prima ratio cur ita nobis sedendum sit ad studendum ac recogitandum, hæc est : ipsa intrinseca perfectio major contemplationis rerum divinarum præ operibus vitæ activæ : « Vita contemplativa, ait S. Thomas « (2. 2, q. 182, art. 1), convenit homini secundum « illud quod est optimum in ipso, scilicet secun- « dum intellectum, et respectu propriorum objec- « torum scilicet intelligibilium ; vita autem ac- « tiva occupatur circa exteriora... Vita contem- « plativa est secundum divina ; vita autem activa « est secundum humana. Vita contemplativa est « secundum id quod est magis proprium homini, « scilicet secundum intellectum ; in operationibus « autem vitæ activæ communicant etiam inferiores « vires, quæ sunt nobis et brutis communes... »

Activa transit, contemplatio manet juxta verbum Domini (Luc., X) : *Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.* « Quod exponens Augustinus (Lib. *De verbis Dom.*, serm. 27, t. x) dicit : « Non tu malam (partem), sed illa meliorem ; audi « unde meliorem : quia non auferetur ab ea. A te « autem auferetur aliquando onus necessitatis : « æterna est dulcedo veritatis. » — Unde etiam Gregorius (*Super Ezech.*, hom. 3) : « Vita contem- « plativa ad quamdam libertatem mentis transit, « temporalia non cogitans, sed æterna ; » et rursus: « Vita activa servitus, contemplativa autem liber- « tas vocatur. »

Itaque merito Angelicus Doctor concludit numquam totaliter deserendam esse contemplationem, ita ut si quis vita contemplativa avocatur propter necessitatem ad vitam activam, id non fiat in modum subtractionis, sed in modum additionis. Unde Augustinus (*De civit. Dei,* XIX) : « Otium « sanctum (scil. contemplationem) quærit charitas « veritatis : negotium justum, scilicet vitæ activæ, « suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si « nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ « vacandum est veritati. Si autem imponitur, sus- « cipienda est propter charitatis necessitatem. Sed « nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, « ne subtrahatur ista suavitas, et opprimat ista « necessitas. »

Hisce ultimis verbis : *ne opprimat necessitas activæ vitæ* altera ratio insinuatur, necessitas videlicet studii ad propriam perfectionem, ad declinanda, tum ex propria carnis infirmitate, tum ex multiplici cum homnibus omne genus conversatione, pericula. « Valet enim studium, teste S. Thoma,

« ad vitandam carnis lasciviam. Unde et Hierony-
« mus dicit ad Rusticum monachum (*De vivendi*
« *forma,* X, 1): Ama Scripturarum studia, et carnis
« vitia non amabis. Avertit enim animum a cogi-
« tatione lasciviæ, et carnem macerat propter
« studii laborem... Valet etiam ad auferendam
« cupiditatem divitiarum. Unde, SAP. VII, dici-
« tur : *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius.*
« Et I MACH., XVI, dicitur: *Nos autem nullo horum*
« *indiguimus,* scil. exteriorum subsidiorum, *habentes*
« *solatio sanctos libros qui in manibus nostris sunt.*
« Valet etiam ad obedientiæ documentum. Unde
« Augustinus dicit, in lib. *De operibus monachorum*
« (Cap. 17, t. 3): Quæ est ista perversitas, lectioni
« nolle obtemperare, dum vult ei vacare? »

Tandem tertia ratio, cur studendum sit, tam evidens est ut uno verbo S. Pauli ad Titum eam referre sufficiat, quod quidem verbum, nostra ætate tam turbida, omni consideratione nostra dignum est : *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (I, 9).

Cæterum, nonne sole clarius elucet nos in nulla parte sacrorum munium nostrorum, sive de prædicando verbo Dei agatur, sive de confessionibus audiendis, sive de erigendis, sustentandis, dirigendis operibus piis aut cujuscumque naturæ sodalitatibus, hac nostra tempestate tam necessariis, sive tandem de quocumque alio opere, sermo sit, nos, inquam, nulla in re vere prudenter, tuto, efficaciter acturos, nisi prius *sedentes* recogitaverimus, cumputaverimus, sæpius meditati fuerimus.

Hæc omnia Nos ipsi jamdudum mente revolventes, ut dilectissimo clero nostro in fovendis

studiis hujusmodi ecclesiasticis auxilio simus ac animum addamus, sequentia decernenda putavimus ac decernimus :

I.

Auctoritate nostra et opera doctissimorum Professorum Seminarii nostri majoris, edetur quantocius Periodicum menstruum, sub titulo: *Collationes Brugenses,* sequentis tenoris :

I. Quæstiones collationum seu conferentiarum ecclesiasticarum pro mense subsequente. Quæstiones autem desumentur ex tractatibus assignatis pro concursu et examine sacerdotum ministerio sacro addictorum.

II. Responsa ad quæstiones collationum mensis præcedentis.

III. Documenta seu acta pontificia, decreta Congregationum Romanarum, ordinationes episcopales ; necnon documenta civilia (lois, arrêtés royaux, circulaires ministérielles, arrêts et jugements des cours et tribunaux), quæ clero utilia sint ; cum commentariis, ubi opus fuerit.

IV. Indicium eorum quæ ab ecclesiarum fabricis mense subsequente obveniant præstanda, additis explicationibus debitis.

V. Evangelia Dominicarum homilitice explicata.

VI. Dissertationes et articuli circa varias materias, S. Scripturæ, theologiæ, juris canonici, rei socialis, liturgiæ, etc.

VII. Consultationes et responsa.

VIII. (Primo anno). Meditatio et examen con-

scientiæ pro recollectione menstrua, ad usum illorum qui publico hujusmodi exercitio interesse nequeunt.

II.

Collationes ecclesiasticæ instituentur juxta regulas sequentes :

I. Omnes et singuli sacerdotes ministerio animarum addicti conferentiæ seu collationi sint adscripti, nisi expresse a Nobis dispensati fuerint.

II. Sint singularum collationum socii ad minus tres, nec plures quam sex, excepto casu singulari Nobis probato. Constituant autem sibi præsidem et secretarium.

III. Conveniant singulis mensibus, ab hora decima cum dimidio ad horam duodecimam cum dimidio, die præfixa R. adm. Dom. Decano indicanda, qui, si libet, interesse collationi valeat. Mensibus tamen Augusti et Septembris unica sufficit collatio.

IV. Præses cujusque conferentiæ, inter quæstiones in Periodico pro illo mense indicatas, eas quæ a singulis sociis solvendæ erunt præscribat, ita ut unusquisque circa diversas materias vice sua respondeat.

V. Unusquisque responsa sua *scripta,* nomine suo *subsignata,* ad conferentiam afferat ; vel mittat, si omnino fuerit impeditus quin ipse intersit. Responsa singula in collatione discutiantur et approbentur, vel mutentur aut compleantur.

VI. Eadem responsa, sic emendata et perfecta

in ipsa collatione, quantocius mittantur ad aulam episcopalem examinanda, ut mense sequente solutiones in prælaudato periodico inserantur.

Articuli hi V et VI non applicantur conferentiis RR. DD. parochorum quos tamen multum hortamur ut ad Nos mittant per secretarium conferentiæ responsa collective in conferentia definita, tum ut junioribus exemplo sint, tum ut Nobis et examinatoribus prosint, utpote doctrina et experientia præstantiores.

Has regulas, Reverendi ac dilecti in Christo Domini, servate diligenter.

Addictissimus vobis,
✝ G.-J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis
mensis Februarii

I

Ex *Genesi* II, 17; III, 3, 19, demonstra protoparentes nostros dono immortalitatis auctos seu necessitate moriendi immunes creatos fuisse.

II

Ostende dogma perpetuæ Virginitatis B. M. V. nihil periclitari apud Matth. I, 25: *Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum.*

III

Demonstra existentiam Dei, evolvendo, modo qui populo fideli proponi posset, argumentum deductum ex ordine et pulchritudine universi, et expone quid S. Scriptura de illa argumentatione pronuntiet.

IV

Quomodo adæquate respondendum est quæstioni: *cur credis* v. g. Incarnationem?

V

Præmissis notionibus finis *operis* et finis *operantis,* necnon finis *intermedii* et finis sive relative sive absolute *ultimi,* accurate determina in quo consistat finis absolute ultimus hominis.

VI

Caius parochus, tempore feriarum, summum sacrum professori in parochia degenti celebrandum committit; missam pro populo, tempore exercitiorum spiritualium, quibus interest, occurrentem, peractis exercitiis, per eumdem professorem exonerandam curat; et tandem, ob funus occurrens, missam pro populo differt in subsequens aliquod festum, in quo missam ex binatione celebrandam pro grege applicat.

An et *quare* recte agit Caius?

Evangelia dominicarum
homilitice explicata

DOMIN. IN SEPTUAG.

De gelijkenisse van de werklieden in den wijngaard gezonden. MATTH. XX, 1-16.

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen deze gelijkenisse: 1. Het Rijk der Hemelen is gelijk aan eenen huisvader, die 's morgens vroeg uitging om werklieden te huren voor zijnen wijngaard. 2. En met de werklieden overeengekomen zijnde voor eenen penning daags, zond hij ze naar zijnen wijngaard. 3. En uitgegaan zijnde omtrent de derde ure, zag hij er anderen ledig staan op de markt; 4. en hij zei tot hen: gaat gij ook naar mijnen wijngaard, en wat recht is zal ik u geven. 5. En zij gingen heen. En hij ging wederom uit omtrent de zesde en de negenste ure, en deed van gelijken. 6. En omtrent de elfste uitgegaan zijnde, vond hij er anderen staan; en hij zegt tot hen: wat staat gij hier den geheelen dag ledig? 7. Zij zeggen tot hem: omdat er ons niemand gehuurd en heeft. Hij zegt hun: gaat gij ook naar mijnen wijngaard.

8. Als het nu avond geworden was, zei de Heer des wijngaards tot zijnen opziener: roep de werklieden, en geef hun den loon, beginnende van de laatsten tot de eersten. 9. Als zij dan kwamen, die omtrent de elfste ure gekomen waren, ontvingen zij elk eenen penning. 10. En de eersten ook komende, meenden dat zij meer gingen ontvangen; maar zij ontvingen ook elk eenen penning. 11. En als zij dien ontvingen, morden zij tegen den huisvader, 12. zeggende: Deze laatsten hebben slechts eene uur gearbeid, en gij hebt ze aan ons gelijk gemaakt, die den last van den dag en de hitte gedragen hebben. 13. Maar hij antwoordde en zeide tot éénen van

hen: Vriend, 'k en doe u geen onrecht: zijt gij niet voor eenen penning met mij overeengekomen? 14. Neem wat u toekomt, en ga heen! Ik wil nu aan dezen laatste ook geven gelijk aan u. 15. Of en is het mij niet geoorloofd te doen wat ik wil? Is uwe ooge kwaad, omdat ik goed ben? 16. Alzoo zullen de laatsten de eersten zijn, en de eersten de laatsten: want velen zijn geroepen, maar weinigen uitverkoren.

* * *

Deze gelijkenisse kan op verscheidene wijzen uitgeleid en toegepast worden. Bij voorbeeld:

Uitleg

Het Rijk der Hemelen of de wijngaard beteekent het rijk Gods hier op aarde, de H. Kerk. De huisvader is God. De opziener is Jesus-Christus, de Rechter van de levenden en de dooden. De markt is deze wereld. De huurlingen zijn de geloovigen. De werkdag (die bij de Joden in twaalf gelijke uren verdeeld was, te rekenen van zonnenopgang tot zonnenondergang) beteekent den werktijd van iederen mensch, zijn gansche leven. De verschillige uren waarop de huurlingen naar den wijngaard gaan werken, beteekenen de min of meer gevorderde jaren waaraan de mensch zijne zaligheid begint te bewerken (b. v. de kindschheid, de jeugd, de rijpe jaren, den ouderdom, en den stokouderdom). De penning (omtrent 75 centiemen, de gewone dagloon bij de Joden) beteekent het eeuwig leven. De avond, is de laatste dag des oordeels. De laatsten worden de eersten en de eersten de laatsten, in dezen zin dat de laatsten denzelfden loon ontvangen als de eersten, en dat na korteren tijd werks. De eersten morren tegen den huisvader, niet dat de gelukzaligen malkanders lot zullen benijden, maar dat het lot der laatsten waarlijk benijdensweerdig zal zijn. De reden waarom de laatsten de eersten worden, is dat zij, door Gods bijzondere gratie,

met meer iever en liefde gearbeid hebben dan de eersten. Overigens, niet te verwonderen dat de laatsten de eersten worden, en de eersten de laatsten : *want velen zijn geroepen maar weinigen uitverkoren,* dat is, velen, alle menschen, zijn tot de H. Kerk geroepen, maar weinigen (wel te verstaan betrekkelijk) zullen het eeuwig leven bekomen, hetzij omdat zij weigeren te gelooven, hetzij omdat zij naar hun geloof niet en leven, hetzij omdat zij tot het einde toe niet en volherden ; ofwel volgens Beelen : « De zin is, dunkt mij, deze : « Want ook algemeen gesproken, er zullen onder de « vele vroeger of later geroepenen slechts weinigen zijn « die *uitverkorenen* of uitgelezenen zijn, dat is uitmun- « tenden zullen kunnen genoemd worden. »

Doel

Het doel van deze gelijkenisse is de geloovigen tot iever in den dienst van God aan te wakkeren, met hun voor oogen te leggen hoe dat er « *vele eersten de laatsten zullen zijn, en laatsten de eersten* » Matth. XIX, 30. Alzoo Beelen : « De Zaligmaker wil hier te kennen « geven, als blijkt uit de gelijkenis in het volgende « Hoofdstuk (XX, 1-16), dat, bij de vergelding in het « andere leven, de maat der belooning niet juist zal « wezen de langere of kortere levenstijd in zijnen dienst « doorgebracht : velen toch die later op hun leven in « zijnen dienst waren getreden, zouden niet achter staan « bij dezulken, die vroeger in dien dienst gekomen waren. « Eene gevolgtrekking daaruit was, dat het vooral zou « aankomen op den ijver waarmede men gediend had. » Alzoo ook Lapide : « Scopus hujus parabolæ est, ut « per illam ostendat Christus in præmio cœlesti non « haberi rationem antiquitatis temporis, nec diuturni- « tatis laboris, sed majoris gratiæ et fervoris ; ideoque « præponi eos qui parvo tempere, sed fervide labora- « runt, iis qui longo, sed tepide... ut hic Christus

« injiciat aculeum diligentiæ, et ei qui cito venit, ne « torpore suo aliis postponatur, et ei qui tarde venit, « ut fervore tarditatem compenset, ac primos æquet « vel superet, studendo perfectioni et consiliis Evan- « gelicis, ut suasit Christus cap. præced. v. 21. »

Bemerkingen

A. *Voor de eerstgeroepenen.*

Het is een waar geluk, en eene bijzondere weldaad van den Hemel, tot het getal der eerstgeroepenen te behooren, en den Heere van kindsgebeente af getrouwelijk gediend te hebben... Maar de eerstgeroepenen moeten zien dat zij volherden, en met iever arbeiden.

1. Zij moeten *volherden*. Immers de loon van 't eeuwig leven en wordt maar vergund aan degenen die tot 's avonds toe gearbeid hebben; en *deze* alleen *die volherd zal hebben tot het einde toe, zal zalig zijn* (Matth. X, 22). Zij moeten dus *hunne zaligheid met vreeze en al beven bewerken* (Philipp. II, 12), en *trachten door goede werken hunne roeping en verkiezing te verzekeren* (II Petr. I, 10). *Die meent te staan, zie toe dat hij niet en valle* (I Cor. X, 12). *Broeders,* zegt de Apostel, in den Epistel van dezen zondag (I Cor. IX, 24 vlg.), *weet gij niet, dat die in de renbaan loopen allen wél loopen, maar dat er* maar *één den prijs ontvangt? Loopt alzoo, dat gij dien moogt verkrijgen,* te weten, met den rechten weg der geboden Gods te volgen, zonder daar ooit van af te wijken ; met u te onthouden van al hetgene u zou kunnen bezwaren en verhinderen, en met onophoudelijk en tot het einde toe te loopen. Daarna verklaart de H. Paulus op welke wijze hij zelf loopt en strijdt, uit vreeze van, *na anderen gepredikt te hebben, zelf een verworpeling te worden.*

2. Zij moeten daarenboven *met iever* arbeiden. Immers die flauw valt in den dienst van God, en loopt niet alleenlijk gevaar van niet te volherden, en vervolgens allen loon te verliezen, maar, zelfs als hij zou

volherden, en mag hij op geenen bijzonderen loon aansprake maken; want de belooning zal in evenredigheid zijn, niet zoo zeer met den duur of den last van den dienst, als met den iever, de neerstigheid, de vurigheid en liefde waarmede men God zal gediend hebben: alzoo zal het gebeuren dat er vele eerstgeroepenen tot den dienst van God, geenen meerderen loon en zullen ontvangen dan menige laatstgeroepenen.

B. *Voor de laatstgeroepenen.*

Beklagensweerdig zijn degenen die bijna den ganschen dag van hun leven ledig staan, en hunne bekeering tot het einde toe uitstellen! Wat tijdverlies! Wat gevaar van onboetveerdig te sterven, en alzoo den loon des Hemels te verliezen, en voor eeuwig verloren te gaan! Die zulk een dwaas leven zouden geleid hebben, en moeten evenwel den moed niet opgeven. Immers:

1. *Zij kunnen hen nog bekeeren en zalig worden.* Trouwens de Vader des huisgezins roept nog werklieden op de elfste ure; en wij hebben in 't H. Schrift het treffend voorbeeld van den goeden moordenaar. (Een voorbeeld, opdat wij van Gods genade nooit en zouden wanhopen; een enkel voorbeeld, opdat wij ons op zijne bermhertigheid niet vermetel en zouden betrouwen).

2. *Zij kunnen de eerstgeroepenen nog evenaren, en zelfs overtreffen,* en alzoo de eersten worden, namelijk indien zij boven de eerstgeroepenen in iever, vurigheid en liefde tot God uitmunten.

« *Hare vele zonden worden haar vergeven, omdat zij veel bemind heeft* » Luc. XII, 47. « *Want een eerbiedweerdige ouderdom is die niet van een langdurig leven, noch te schatten naar het getal jaren... Daar hij in korten tijd tot de volmaaktheid geraakte, zóó heeft hij langen tijd geleefd* » Sap. IV, 8, 13. « *Subitus calor longum vincit teporem.* » H. Hier. *Epist. 13 ad Paulinum.*

C. *Voor allen.*

1. Niemand van ons en kan zeggen dat hij tot den wijngaard des Heeren niet geroepen geweest en is; niemand ook en zal den loon van 't eeuwig leven ontvangen, tenzij die tot het einde toe zullen gearbeid hebben, hetzij dat zij vroeg, hetzij dat zij laat op hun leven geroepen zijn.

2. Wij zijn allen huurlingen van God: wij moeten dus, als getrouwe dienstboden, al onzen tijd te zijnen dienste besteden, namelijk met zijnen heiligen wil in alles te volbrengen, en al onze werken aan hem op te dragen (gelijk wij doen in ons morgengebed).

3. Onze werktijd is kort, en ons werk is ligt: de loon zal eeuwig en overgewichtig zijn: « Want onze tegenwoordige kortstondige en ligte verdrukking bewerkt in ons een bovenmate uitnemend eeuwig gewichte van heerlijkheid » II Cor. IV, 17. « Het lijden van dezen tijd en is van geen gewichte tegenover de toekomstige heerlijkheid, die in ons veropenbaard zal worden » Rom. VIII, 18. — Voeg daarbij dat er ons geen tweede werktijd zal verleend worden: « Ziet, nu is het de gunstige tijd; ziet, nu is het de dag der zaligheid » II Cor, V, 12. « Zoodan, terwijl wij tijd hebben, laat ons weldoen » Gal. VI, 10.

4. De mate van dien eeuwigen loon zal meest afhangen van de zuivere meening, den iever, de vurigheid en de liefde waarmede wij zullen gewrocht hebben. « Disce hic praxin facilem augendi merita et gloriam « esse, si quis crebro exerceat actus charitatis, eosque « ardentes et intensos, imo si omnia opera externa « faciat ex charitate et amore Dei. Sic enim plus « merebitur quam rustici et milites, qui magnos « subeunt labores, ac plus quam Religiosi, qui arduas « subeunt pœnitentias, si ex majori charitate quam « ipsi, sua opera licet in se minus difficilia exerceat. » *(a Lapide).*

Dat de rechtveerdigen dus tot het einde toe volherden, en dat de zondaren hen spoediglijk bekeeren, indien zij den loon van het eeuwig leven willen bekomen! Dat zij beiden wedijveren, en hun uiterste beste doen om hiernamaals de besten te varen en de eersten te zijn. « *Broeders, ik meen van mijn zelven niet, dat ik die* eindpale *gegrepen heb; maar één dingen* doe ik: *wat achter* mij *is vergetende, en tot wat vóór* mij *is mij uitstrekkende, jage ik naar het doel, tot den kampprijs der hemelsche roeping van God, in Christus-Jesus.* »

DOMIN. IN SEXAG.

De gelijkenisse van het zaad. Luc. VIII, 4-16.

Te dien tijde: 4. toen er eene groote schare bijeenkwam, en dat zij van *al* de steden naar Jesus toeliepen, zei hij bij gelijkenisse: 5. Een zaaier ging uit, om zijn zaad te zaaien. En terwijl hij zaaide, viel het eene langs den weg, en het werd vertreden, en de vogelen des Hemels aten het op. 6. En het andere viel op de rotse, en opgekomen zijnde, verdorde het, omdat het geene vochtigheid en had. 7. En het andere viel te midden de doornen; en de doornen schoten mede op, en verstikten het. 8. En het andere viel op de goede aarde; en opgewassen zijnde, bracht het honderdvoudige vrucht voort. 9. Dit zeggende, riep hij: Die ooren heeft om te hooren, hoore!

10. En zijne leerlingen vroegen hem wat deze gelijkenisse was. 11. En hij zei tot hen: Ulieden is het gegeven de verborgenheid van het Rijk Gods te kennen, maar aan de anderen in gelijkenissen, opdat

zij ziende niet en zien, en hoorende niet en verstaan. 12. Dit is nu de gelijkenisse :

Het zaad is het woord Gods. 13. En die langs den weg *gezaaid zijn,* zijn dezen die *het* hooren ; daarop komt de duivel, en neemt het woord uit hun herte weg, opdat zij niet en zouden gelooven en zalig worden. 14. En die op de rotse *bezaaid zijn,* zijn dezen die, als zij het gehoord hebben, het woord met vreugde aannemen ; maar dezen hebben geenen wortel : want zij gelooven *slechts* voor eenen tijd, en ten tijde der beproeving wijken zij af. 15. En dat in de doornen viel, zijn dezen die *het woord* gehoord hebben ; doch door de zorgen, de rijkdommen en de wellusten des levens heengaande, verstikt worden, en geene vruchten voort en brengen. 16. En dat in de goede aarde *viel,* zijn dezen die het woord gehoord hebbende, hetzelve in een goed en vroom herte bewaren, en vruchten voortbrengen in lijdzaamheid.

* * *

Inhoud en Doel

« Finis et scopus, adeoque summa hujus parabolæ « est, ut doceat Christus se esse seminatorem, id est « prædicatorem Evangelii in terra, id est apud homines, « sed dispari apud dispares fructu. *Primo,* etenim non « omnes qui audiunt Evangelium, illud acceptant illique « credunt... *Secundo,* non omnes qui credunt, in fide perse- « verant, sed aliqui suadente tentatione recedunt. *Tertio,* « non omnes qui in fide perseverant, fructum bonorum « operum proferunt... *Quarto,* hæc fiunt, non vitio « seminis, id est doctrinæ, sed terræ, id est auditorum « culpâ, illaque variâ... *Quinto,* semen, id est doctrinam, « in terrâ bona, hoc est in corde bono suscipiunt, qui « illud ruminare incipiunt, in eoque proficiunt ; in « optimo, qui totis viribus ejus executioni et virtutum

« perfectioni incumbunt. *Sexto,* illud semen fert fructum « minorem, aliud majorem, aliud maximum, puta aliud « trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, « idque ab majorem vel seminationem, id est prædica- « tionem et illuminationem rerum spiritualium, ac « gratiæ affluxum, vel ob majus liberi arbitrii cum « gratia studium, cooperationem et conatum » *a Lapide.*

* * *

Uitleg en Toepassing

Het zaad is het woord Gods, het Evangelie ; de zaaier is Jesus-Christus, mitsgaders zijne zendelingen ; de bezaaide gronden zijn de aanhoorders van Gods woord. Welnu, daar zijn vier, of liever zes soorten van aanhoorders :

1. *Sommigen hooren wel het woord Gods, maar en gelooven zelfs niet, uit onachtzaamheid.*

Zij hooren wel het woord Gods, maar zij en geven er geen acht op : daarom *en verstaan zij het niet* (Matth. XIII, 19), namelijk met het herte : waaruit volgt dat zij, verre van vruchten van zaligheid voort te brengen, zelfs niet en gelooven. — De reden van die onachtzaamheid is dat hun herte verhard is, te weten, door allerlei slechte gewoonten en ondeugden die hun herte als eenen openbaren *weg* vrijelijk bewandeld en betrappeld hebben. — Gods gratie zou hun herte wel kunnen vermurwen, daar zij, zelfs van steenen, kinderen van Abraham kan verwekken (Matth. III, 9) ; maar ziet, zoohaast het zaad gezaaid is, een uitgehongerde vogel, de duivel, onze wakkere tegenstrever (I Petr. V, 5), die vooral alle goede beginsels poogt te dempen, ziende dat zij het woord Gods met kleinachting of onachtzaamheid aanhooren, en vreezende dat zij evenwel algauw zouden kunnen vermurwen, *gelooven en zalig worden,* neemt het woord

van hun herte weg, met hun andere gevoelens in te boezemen, die met hunne booze neigingen overeenstemmen, en het woord Gods teenemaal doen vergeten.

2. *Anderen gelooven, maar en volherden in hun geloof niet, uit onvastheid en kleinmoedigheid.*

Aanstonds (Matth. XIII, 20) nemen zij het woord Gods met vreugde aan. Het licht, de waarheid, de schoonheid, de verhevenheid, de heerlijke beloften enz. van het Evangelie staan hun ten uiterste aan; immers « 's Heeren wetten zijn gerechtig, hertver- « blijdend, enz. » Ps. XVII, 9. Zij gelooven dus. — Maar het geloof en schiet niet diep in hun gemoed; want, onder eene dunne bovenlage van goedwilligheid (Marc. IV, 5), ligt er daar een steenachtige grond van allerlei ingewortelde kwade gewoonten en neigingen, waaraan zij uit ganscher herte niet en verzaken, en die de plante beletten van diep in hun herte wortels te schieten, en aldaar het noodige levenssap in te drinken. « Christus en woont door het geloof in hunne « herten niet. Zij en zijn in de liefde niet geworteld en « gegrondvest » (Eph. III, 17). Hun voornemen van het woord Gods als eenige levenswet te volgen, en is dus niet vast; zij en zijn niet teenemaal doordrongen van christene gevoelens; het geloof en is de ziele van hun leven niet geworden.

Daaruit volgt dat zij maar voor eenen korten tijd en gelooven, en ten tijde der beproeving afvallen. *Ontstaat er omdieswille van hunne geloofsbelijdenis eenige verdrukking* (van wege bijzonderen) *of vervolging* (van wege de openbare macht), *dan zijn zij terstond geërgerd* (Matth. XIII), en vallen af, zonder tegenstand, uit enkele vreeze. Hetgene zij aanstonds omhelsd hadden toen het al wel ging, verwerpen zij ook aanstonds in den tegenspoed. Immers de hitte der zon verschroeit de planten die geenen wortel, en vervolgens geene

vochtigheid en hebben, gelijk zij de planten, die wel geworteld zijn, verkwikt en welig maakt : alsoo ook de hitte der verdrukking en vervolging... Vgl. Matth. VII, 26, 27. Zelfs zonder die beproeving en zou die plante niet teenemaal opgewassen zijn, noch vruchten gedragen hebben ; maar de beproeving doet blijken dat zij niet wel geworteld en was...

3. *Anderen gelooven, en behouden hun geloof, maar en brengen geene rijpe vruchten voort, om reden van hunne verslaafdheid aan deze wereld.*

De eersten en geloofden zelfs niet ; de tweeden geloofden wel, maar en beloofden geene vruchten ; de derden gelooven, en leveren zelfs hope van vruchten. Immers zij ontvangen het woord Gods in een goed herte, als in eenen diep geakkerden grond: zij verzaken aan hun vorig leven, en maken een rechtzinnig voornemen van naar het woord Gods te leven. Hun geloof schiet dus wortel in hun gemoed, en wast op tot hope. Maar ziet, op dien goeden akker staan er ook doornscheuten, en in plaatse van ze uit te roeien of ten minste af te houwen, laten zij die vrijelijk opgroeien : en die scheuten wassen weelderiger aan dan het goed zaad, en overgroeien en versmachten het.

Die doornen zijn : 1) *De zorgen* of kommernissen *des levens,* de overdrevene zorg voor al hetgene dit leven aangaat (voor vrouw en kinderen, bediening, eer en faam, geld en goed, enz.); 2) *het bedrog van den rijkdom* (Matth. XIII, 22), de bedriegelijke rijkdommen, de zorge om ze aan te winnen, te bewaren, of te vermeerderen. Zij heeten bedriegelijk, omdat zij 't herte nooit en verzaden, vroeg of laat ontsnappen, en aanleiding geven tot allerlei zonden (Zie I Timoth. VI, 9, 10); 3) *de wellusten des levens,* allerlei zinnelijke of vleeschelijke vermaken. De hooveerdij des levens, de begeerlijkheid der oogen en de begeerlijkheid des vleeschs (I. Jo. II, 16), als zij niet gedempt en worden, versmachten dus het

woord Gods, en maken dat het geene vruchten van zaligheid voort en brengt.

4. *Anderen gelooven, volherden, en brengen rijpe vruchten voort, de eenen veel, de anderen meer, de anderen meest.* Zie Matth. XIII, 23. Zij geven acht op het woord Gods, en *verstaan het* (Matth. XIII, 23). Zij *bewaren het in een goed en vroom herte.* Zij laten het daar diepen wortel schieten, en zorgen dat er daar tevens geen ander zaad en schiete: aldus wassen zij weelderig op, *en brengen vruchten voort in lijdzaamheid:* zij volherden in hun geloof, niettegenstaande allerlei tegenspoed, verdrukking of vervolging. Zij weten trouwens dat *allen die godvruchtig willen leven in Christus Jesus, vervolging zullen lijden* (II Tim. III, 12), en dat dezen *die met tranen zaaien, met gejuich zullen maaien* (Ps. CXXV, 5); zij volherden, ondanks den duur en den last van den strijd tegen de drievoudige begeerlijkheid. Want zij zijn in de liefde geworteld en gegrondvest (Eph. III, 17), en niets ter wereld en zou hen van Christus' liefde kunnen scheiden (Rom. VIII, 35-39).

Doch onder deze laatsten zijn er over 't algemeen drie verschillige soorten: bij de eenen geeft het woord Gods honderd voor één, bij de anderen zestig, en bij de anderen dertig:

1. Geven dertig voor één, veel voor weinig, die Gods geboden getrouwelijk en standvastig onderhouden.

2. Brengen zestig op, die bovendien de evangelische raden volgen, voornamelijk die de drievoudige begeerlijkheid door de drievoudige belofte van gehoorzaamheid, armoede en zuiverheid, op den autaar van hun herte teenemaal slachtofferen.

3. Brengen honderd voor één op, die zelfs hun leven om het geloof slachtofferen: *want niemand en heeft grootere liefde dan deze, die zijn leven geeft voor zijne vrienden.* Jo. XV, 13.

Slotrede.

1. Indien wij dus niet en gelooven, of niet en volherden, of geene vruchten voort en brengen, het liegt alleenlijk aan ons... Zorgen wij dan om alle beletsels weg te nemen !

2. Welke prikkel voor ons te hooren dat het woord Gods in ons herte dertig, zestig, ja honderd voor één kan opbrengen !...

3. Zullen meest vruchten voortbrengen, die diepst in de liefde geworteld, en meest met den geest van zelfverloochening bezield zijn ; met den geest van Christus, *die ons bemind, en hemzelven voor ons geleverd heeft.* Gal. II, 20 ; Eph. V, 2. (1)

---

(1) Ne materia Homiliarum nimium occupet spatium, eam nonnisi infra quadriennium integram tradendam censuimus.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

—

Ego moriar

—

I. **Ego** *moriar.* — Egometipse, quisquis sum, moriar: nam *homo* sum; atqui *statutum est hominibus semel mori;* homo sum, ergo et in me cadit illa divinæ justitiæ sententia: *pulvis es et in pulverem reverteris;* homo sum, ergo a nativitate germen mortis in me fero; et signatus sum signaculo mortis, sicut arbor in silva signatur quando excisioni destinatur; lex enim naturæ est: quod generatione productum, corruptioni obnoxium est... Experientia confirmat: nam omnes homines moriuntur: omnes qui sæculis anteactis vixerunt mortui sunt; ita omnes qui nunc vivunt brevi mortui erunt; et sic generationes sibi invicem succedunt, sicut messes quotannis in agris ant frondes in arboribus perpetua vicissitudine removentur. Faciam igitur quidquid voluero ut mortem effugiam, evadere non potero: Omnipotens constituit mihi *terminos qui præteriri non poterunt:* cum ad illos pervenerim, quisquis fuero, juvenis aut senex, dives aut pauper, in humili officio occupatus aut dignitate insignitus, morte moriar ego; delebor de libro viventium et inscribar catalogo mortuorum... Sane de veritate ista mihi persuasum est omnino, sed an satis attendo ad consequentias? moriar ego, ergo *non habeo hic manentem civitatem sed futuram inquiro;* ergo stultitia est præsentem vitam solum attendere et quæ futura sunt non prævidere... Quis adeo insensatus ut credat sese semper victurum? et tamen quot ita vivunt ac si nunquam essent morituri!... Numquid et ego vivo in oblivione mortis? Ecce ubique imago mortis coram me, et raro

illam attente aspicio : alios mori video, moribundos in ultimo agone assisto, mortuorum funera celebro, et vix unquam serio recogito me *per eamdam viam transiturum*... Et tamen quam salutaris cogitatio mortis ! Quam utilis ad excitandam meam vigilantiam et augendum timorem a peccato, quo commisso, mors me conjicere posset *in manus Dei viventis,* peccatorum vindicis ? Quam utilis etiam ad inflammandum zelum meum pro gloria Dei et salute animarum, ut in hora mortis amplam segetem meritorum Domino offerre queam !...

II. *Ego* **moriar.** — Quid est *mori ?* Responsum præbet S. Job : *Homo cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi quæso, nunc est ?*

Nudatus : mori est omnibus terrenis bonis, honoribus et dignitatibus, quibus homo in præsenti vita fruitur, orbari et ad nuditatem usque spoliari : *Nihil enim intulimus, in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. — Sicut egressus est homo nudus ex utero matris suæ sic revertetur et nihil auferet secum de labore suo,* quem ad divitias congregandas exantlavit. — *Cum interierit, non sumet omnia nec descendet cum eo gloria ejus.*

Ergo stultitia est avide temporalia quærere iisque cor apponere quæ mors brevi eripiet, et non potius divitias congregare immortales ! dignitates et supereminentias ambire aut de iis gloriari, cum omnes æquatura sit mors, una relicta distinctione virtutum ac meritorum.

Consumptus : mori est corpus inanime fieri, lividum quoque ac fœdum, ab aspectu hominum mox removendum, in escam vermibus tradendum, in pulverem redigendum : *Putredini dixi : pater meus es, mater mea et soror mea vermibus. — Pulvis es et in pulverem reverteris.*

Ergo dementia est corpus, quod brevi depascet mors, curare et fovere cum detrimento animæ æternum victuræ !

Ubi, quæso, nunc est? — Æternitatem ingressus nunquam inde reversurus... *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* — *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descenderit ad inferos non ascendet nec revertetur ultra in domum suam.* — Non enim nisi *semel* moriar: *statutum est hominibus* SEMEL *mori;* — si semel bene, semper bene: æterna beatitudo mea in tuto erit; si semel male, semper male: perditio mea erit irreparabilis; *si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit:* mors momentum est a quo pendet æternitas!

Ergo negotium negotiorum hominis est per sanctam vitam sese disponere ad sanctam mortem, ut hæc ipsi aperiat æternitatis *beatæ* januam. Igitur *vanitas vanitatum et omnia vanitas præter amare Deum et illi soli servire;* — et — *Beatus qui horam mortis semper ante oculos habet et ad moriendum quotidie se disponit!*

Hæc scio, hæc aliis prædico, sed an egomet juxta veritates illas vitam meam instituo...?

—

Examen circa actiones quotidianas

—

Sancte mihi vivendum; ad sancte vivendum non est necesse mirabilia operari, sed sufficit et requiritur ut actiones meas quotidianas sancte peragam: quare juvat identidem, occasione menstruæ recollectionis, examen instituere circa modum quo soleo opera mea ordinaria præstare.

An sanctifico primitias diei? — An surgo hora *statuta,* nec unquam somnum protraho ob pigritiam aut sensualitatem? An expergefactus statim mentem ad Deum elevo Eique offero ex corde omnes cogitationes, verba, opera, molestias diei? *Ecce me, Domine, quoniam vocasti me.* — An elicio intentionem lucrandi indulgentias quas de die lucrari possum, easque applicandi, in quantum applicari possunt, determinatis animabus in purgatorio

degentibus ? — An inter lavandum me et vestiendum mentem occupo sanctis cogitationibus et Deum invoco precibus quibusdam jaculatoriis, ex. gr. *Deus, Deus meus, ad Te de luce vigilo — Amplius lave me, Domine, ab iniquitate mea... — Induc me, Domine, novum hominem qui secundum Te creatus est in justitia et sanctitate veritatis ?* — An soleo etiam summo mane determinare materiam examinis particularis circa aliquod vitium vel defectum quemdam speciali cura emendandum, aut circa aliquam praxim virtutis speciatim excolendæ ?

An post *preces matitunas* devote recitatas, quotidie instituo *meditationem,* per semihoram aut saltem per horæ quadrantem, *pie, methodice ?* An mihi persuasum est de summa utilitate hujus exercitii, et an, si necesse sit, scio generose aliquantulum decurtare tempus somni ne meditationem omittere debeam ?

Quacum devotione et fervore soleo celebrare *missam?* An considero celebrationem missæ ut actionem omnium officiorum ministerii sacerdotalis præstantissimam ? An ad angelicum istud opus affero cor purum non tantum ab omni peccato mortali sed imo ab affectu ad quodvis peccatum veniale ? An servo fideliter rubricas ? An verba omnia integre pronuntio et caveo ab omni præcipitantia in gestibus ? An soleo unire intentiones meas cum intentionibus Christi, ministerio meo sacrificium crucis innovantis, ad recognoscendum Dei supremum dominium in creaturas, ad gratias Ei exhibendas, ad peccatorum expiationem, ad novas gratias impetrandum... ? An soleo post missam instituere gratiarum actionem *attentam, ferventem,* non tantum ore sed et corde loquendo ad Jesum in pectore meo tanquam in vivo tabernaculo commorantem ?

Quomodo soleo excipere *confessiones ?* An ad opus illud divinum cum fructu exercendum conor indies perfectius me instruere ? An ad adeundum confessionale alacrem et semper paratum me exhibeo ? An me in

confessionali habeo ut *vicarium divini Salvatoris,* positum ad dispensandum sanguinem Ipsius in emundationem peccatorum et sanctificationem animarum ? An proinde erga pœnitentes me exhibeo benignum, misericordem, firmum tamen sed nunquam durum, de bono pœnitentis studiosum, semper gravem nunquam familiarem ?

An identidem instituo *lectionem piam,* ex libro doctrinæ solidæ ?

Quomodo soleo exsolvere pensum quotidianum *divini officii ?* An *digne, attente* ac *devote,* recogitans me legatum agere Ecclesiæ ad Deum ?

Quomodo cæteras meas *orationes* perfundo ? An cum *humilitate,* cum *reverentia* externa et interna, cum *fiducia,* cum *constantia ?* — An quotidie recito cum filiali pietate saltem tertiam partem Rosarii Mariani ?

An saltem unam quotidie instituo visitationem ad divinum hospitem tabernaculi ?

An nunquam sum otiosus aut tempus inutiliter tero ? Annon negligo *studium ?* An diligenter præparo meas instructiones et conciones, conferentias quoque menstruas ? An casus conscientiæ, quos in confessionali solvere oportuit aut oportebit, sollicite expendo in cubiculo meo, consultis sanæ doctrinæ auctoribus ?

An cum vero zelo apostolico instituo *catechesim* puerorum, præsertim illorum qui ad primam communionem sese præparant, recordatus quia parvuli sunt prædilecti Christi Jesu, cujus vices gero, amici, et quia a puerorum recta institutione maxime pendet bonus status parochiæ in futurum ?

An propter eadem motiva assidue visito *scholas ?*

An diligenter *visito infirmos* et moribundos ? An visitatio mea ad infirmos est vere sacerdotalis, ita ut consiliis et exhortationibus meis vere juvem infirmos ad dolores et molestias ægritudinis patienter tolerandas ac sanctificandas atque ad bonam mortem sese præparandos ?

An *refectiones* meas santifico præmissa attenta oratione et subsequente gratiarum actione ex animo Deo omnis doni largitori oblata ? — An sedulo vito omnem excessum in cibo et potu atque novi mortificatione gulam refrenare ?

An *recreationes* meæ semper sunt honestæ ? — An prudens sum in visitationibus instituendis ? An sedulo vito omnem familiaritatem cum personis alterius sexus? — An servo ubique modestiam et gravitatem clericalem in tota mea externa conversatione, ita ut omnibus sim ædificationi et nemo, etiamsi ex adverso sit, habeat mei causa aliquid mali dicere de ordine clericali ?

An hora statuta, precibus vespertinis pie recitatis et examine conscientiæ tum particulari tum generali serio instituto, pie ac modeste *decumbo,* requiem meam necnon mortem meam, cujus somnus immaginem præbet, Jesu, Mariæ et Joseph necnon Angelo custodi et sancto Patrono enixe commendans.

* * *

Quomodo me habeo ad mortem ? An frequenter et serio recogito me moriturum ; atque mihi persuasum est maximam meam sollicitudinem in hoc esse ponendam ut bonam ac sanctam mihi præparem mortem ? Quid si nunc mihi instaret mors ? An paratum me inveniret ? An nullius peccati mortalis conscium, an ferventem an vero tepidum ? An nulli creaturæ nimis adhærentem, a qua separatio mihi tristitiam pareret? —

An testamentum rite ac valide conditum ? An res et pecuniæ ecclesiæ et bonorum operum perspicua notatione a meis propriis sunt distinctæ ?

* * *

An fideliter servavi proposita in ultimo secessu sacro elicita et notata ? — Illa, occasione hujus recollectionis, renovabo et mense proximo fidelius conabor executioni mandare.

E Dataria Apostolica

—

Oneratur conscientia Ordinariorum in commendandis precibus pro obtinendis matrimonialibus dispensationibus super impedimento primi tangentis secundum consanguinitatis gradum.

Perillustris et Rme Domine :

Petitionum copia pro obtinendis matrimonialibus dispensationibus super impedimento primi tangentis secundum consanguinitatis gradum Sanctissimi Principis Domini Nostri Leonis Papæ XIII mentem, ingluvie malorum percrebescente, perculit. Etenim animadvertens (quod) indulgendo hujusmodi concessionibus, effrenata licentia, quæ de die in diem augetur, haudquaquam compescitur ; eo quod occasio continua, commodum eam impune satisfaciendi magis allectant Nupturientes spe etiam nodo conjugali occulturos infelices effectus, atque reatus, qui jam præcesserunt.

Ne vero Sanctitatis suæ indulgentia, præbeatur occasio salutarem disciplinam labefactandi, quæ a sanctitate sacramenti jubetur, et tantum prodest morum integritati, societatis bono, et vegetiorum corporum incremento, onerat Episcoporum conscientiam, ut sedulo invigilent ne Sanctæ Sedi precantes accedant nisi veræ causæ canonicæ jure commendent, et litteris manu propria exaratis, rationes in quolibet casu explicent, necnon circumstantias, quibus putent gratiam esse concedendam. Tali modo Summus Pontifex tutior annuet petitionibus quoties agnoscet necessitatem eo obstrictiorem quo artes erunt minores alio modo consulendi.

Pro certo habeo Amplitudinem Tuam omnibus viribus elaboraturam ut Sanctitatis Suæ vota præoptatum finem

habeant. Interim meæ observantiæ sensus Tibi profiteor, atque cuncta fausta adprecor a Domino.

Datum Romæ ex Ædibus nostris die 19 Junii 1895.

Amplitudinis Tuæ — Servus verus.

A. Card. Bianchi, P. D.

Observanda

Ex isto documento apparet Sedem Apostolicam ægerrime dispensare super impedimento consanguinitatis, quoties tangitur gradus primus; atque ad similem dispensationem obtinendam requiri causam finalem seu motivam, quæ simul vestita sit circumstantiis adeo gravibus, ut urgenti necessitati æquiparetur: quod moderna Curiæ Romanæ praxis confirmat.

Est igitur cur parochus pro virili satagat, ut parochiani hujusmodi forte unionem meditantes a consilio suo desistant, proposita ipsis, præter alias rationes, summa difficultate dispensationem ecclesiasticam obtinendi.

Ex Sacra Rituum Congregatione

Decretum

In Sacra Rituum Congregatione duo insequentia dubia excitata fuerunt, nimirum:

I. Quænam Litaniæ publice recitari valeant in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis, vi Constitutionis Clementis Papæ VIII, et decretorum, quæ ab illius Successoribus Pontificibus promulgata fuere?

II. Utrum invocationes ad normam Litaniarum, in honorem Sacræ Familiæ, Sacratissimi Cordis Jesu, Mariæ

Perdolentis, S. Joseph, aliorumque Sanctorum in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis recitari possint ?

Sacra porro R. C., in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Præfecti, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet :

Ad I. *Litaniæ tantum quæ habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis.*

Ad II. *Negative.* Atque ita rescripsit die 6 Martii 1894.

Præsens decretum expeditum fuit die 15 Januarii 1895.

Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præf.
Aloisius Tripepi
S. R. C. Secret.

Loco † Sigilli.

—

Dubium

A Sacra Rituum Congregatione expetitum fuit, utrum Litaniæ Ss. Cordis Jesu, quæ per Decretum *Pinerolien.*, quod circumfertur, quamvis a Sancta Sede approbatæ non fuerint, permissæ dicuntur, saltem extra functiones stricte liturgicas, recitari aut cantari possint in Ecclesiis vel Oratoriis publicis ?

Eadem vero Sacra Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit : « *Negative ; et cuilibet Decreto contrario derogatum esse per subsequens Generale Decretum, datum die 6 Martii 1894, quo prohibentur Litaniæ quæcumque, nisi exstent in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis* ». Atque ita servari mandavit. Die 28 Novembris 1895.

Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præf.
A. Tripepi *S. R. C. Secretarius.*

L. † S.

—

Adnotationes. — In Breviario Romano et in corpore Ritualis Romani continentur litaniæ omnium Sanctorum et litaniæ commendationis animæ. In appendice

autem ad Rituale Romanum, juxta recentiores editiones ab Apostolica Sede approbatas, habentur: 1. litaniæ (cum precibus et orationibus), quæ dici debent in expositione XL horarum in alma Urbe; 2. litaniæ Lauretanæ B. M. V. et 3. litaniæ SS. Nominis Jesu. Hæ omnes ergo et hæ solæ litaniæ publice recitari valent in Ecclesiis et oratoriis publicis. Notetur tamen in missali pro Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes litanias indicari, quæ non sunt nisi litaniæ Sanctorum abbreviatæ et recitantur vel cantantur illis solis diebus post prophetias vel post benedictionem fontis. Certe illæ litaniæ approbatæ sunt et non excluduntur per præsens decretum, quod non intendit nisi dare normam pro functionibus non stricto sensu liturgicis.

Quoad litanias Lauretanas animadverti potest, in approbata formula, prout eam tradit appendix ritualis: 1. post invocationem: « Regina sanctorum omnium » legi invocationem « Regina sine labe *originali* concepta » et addi aliam « Regina sacratissimi Rosarii »; hoc ex præscriptione Leonis XIII per breve 24 Decembris 1883, in quo legitur: « volumus ac decernimus, ut in « litaniis Lauretanis post invocationem, *Regina sine* « *labe* ORIGINALI *concepta,* addatur præconium, *Regina* « *sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.* » 2. post tertium *Agnus Dei,* non addi: *Christe, audi nos, Christe, exaudi nos,* sed immediate sequi versum: *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.* 3. Orationem non esse *Defende quæsumus* etc. sed: *Concede nos famulos tuos etc.,* quæ terminatur conclusione brevi: *Per Christum Dominum nostrum.*

Quoad litanias SS. Nominis Jesu, notetur post tertium *Agnus Dei* addi: *Jesu, audi nos, Jesu, exaudi nos;* et statim sequuntur duæ orationes: *Domine Jesus-Christe qui dixisti* etc. et *Sancti Nominis tui Domine* etc. quæ ultima terminatur, juxta recentiores editiones Ritualis approbatas, per conclusionem brevem: *Qui vivis et*

regnas in sæcula sæculorum, non autem per conclusionem longiorem : *Per Dominum nostrum,* etc., prout legitur in quibusdam Breviarii et Ritualis editionibus. (1)

H. V. D. W.

Ex S. Congr. Indulgentiarum

Hymnus « Adoro te » nova indulgentia dilatus

SSmus Dominus noster Leo Papa XIII rescripto S. Congr. Indulg. diei 20 Decembris 1884, concesserat indulgentiam 100 dierum *sacerdotibus* qui post Missæ celebrationem, præter recitationem consueti cantici *Benedicite* etc. et Psalmi *Laudate* cum versiculis et tribus orationibus adnexis, recitaverint rythmum eucharisticum S. Thomæ Aquinatis *Adoro te.*

Illam indulgentiam rescripto ejusdem S. Congr. die 15 junii 1895 extendit *ad omnes fideles* qui hunc rythmum post S. Communionem recitarent.

* * *

Indultum quo conceditur dispensatio a nova benedictione pro Scapularibus SSmæ Trinitatis, quando a fidelibus aliud assumitur post primum attritum vel consumptum.

Beatissime Pater

Fr. Stephanus a S. Corde Mariæ Ordinis SSmæ Trinitatis Congregationis Hispanicæ Commissarius Apostolicus, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit adscriptos sodalitati SSmæ Trinitatis parvum habitum seu scapulare ex lana alba confectum cruce rubra et cærulea decoratum, ab aliquo Ordinis superiore benedictum, sumere et super se gestare : verum quum scapulare hujusmodi attritum vel consumptum fuerit et aliud assumatur, de novo benedici debet, prouti expresse edicitur in Summario Indulgentiarum

(1) Conf. Ephemerides liturgicæ, anni 1889, pag. 554.

concessarum sodalibus SSmæ Trinitatis, sub pœna amissionis Indulgentiarum.

Id tamen causa est, ut plures Christi fideles prædictæ sodalitati adscripti sæpe sæpius priventur Indulgentiis eidem concessis. Nam non semper præsto sunt cuique fideli indigenti novo scapulari superiores Ordinis SSmæ Trinitatis aut alii sacerdotes etiam sæculares de eorumdem superiorum licentia, qui illud benedicere queant. Quare, ut bono spirituali adscriptorum provideatur Orator supplex adit S. V. quatenus huic legi iterum benedicendi novum scapulare post primum a sodalibus assumptum, benigne *derogare dignetur, ita ut in posterum quicumque eorum primum scapulare susceperit benedictum, si hoc ita attritum vel consumptum fuerit, ut primam formam amiserit, aliud ipsis assumere detur, etiam non benedictum absque amissione Indulgentiarum;* et ita etiam uniformitas habebitur quoad hoc scapulare, cum omnia aliarum diversarum confraternitatum scapularia non benedicantur nisi prima vice tantum, idest quando primitus imponuntur, facta cuilibet adscriptorum potestate aliud postea assumendi absque nova benedictione.

Et Deus etc.

S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, utendo facultatibus, a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, attentis expositis, et præsertim, ut etiam quoad scapulare Sanctissimæ Trinitatis inducatur uniformitas pro aliis, et in primis pro Carmelitico, existens, quæ nonnisi prima vice benedicuntur, idest quando primitus Christifidelibus imponuntur, benigne annuit pro gratia juxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 24 Augusti 1895.

Observanda

Multi fideles gestant per modum unius plura scapularia diversa, v. gr. album scapulare SS. Trinitatis (de quo in indulto), tanneum vel consimilis coloris vel nigrum B. M. V. de Monte Carmelo, nigrum B. M. V. Septem Dolorum, cæruleum Immaculatæ Conceptionis

et coccineum Passionis (pro quo non tantum panniculi sed etiam funiculi debent esse ex *lana* et coloris coccinei) (1). Quum autem, post primam impositionem rite peractam, illud scapulare benedictum dimisissent et novum scapulare quintuplum subrogare vellent, indigebant nova benedictione pro scapulari SS. Trinitatis; secus jam non lucrari valebant indulgentias huic scapulari adnexas. Hanc necessitatem aufert indultum supra citatum, ita ut nullum ex enumeratis scapularibus nova indigeat benedictione.

Præterea notatu dignum est illos qui legitime receperunt scapulare SSæ Trinitatis, veram constituere sodalitatem. Ideo in libello supplici pluries agit orator de *sodalibus,* de fidelibus *adscriptis sodalitati* SS. Trinitatis. Ideo etiam *sodalitatibus* seu « *confraternitatibus* erectis et institutis ab Ordine SS. Trinitatis Redemptionis captivorum » RR. Pontifices concesserunt multiplices illas indulgentias, quæ continentur in supracitato summario, quasque Ampl. D. De Schrevel recenset (p. 254) in utilissimo opusculo, cui titulus *Florilegium seu fasciculus precum et exercitiorum* quod juxta editionem alteram, anni 1892, a S. Congr. Indulg. approbatam, sæpe in hac materia citare placebit.

Proinde in formula benedictionis et impositionis scapularis SS. Trinitatis (2), substantialia — adeoque ad valorem servanda — sunt etiam ea verba quibus exprimitur *receptio ad confraternitatem* (S. Congr. Indulg. 18 Augusti 1868).

Inde sequitur, præter *benedictionem* et *impositionem* scapularis rite peractam, requiri *inscriptionem* nominis in albo confraternitatis SS. Trinitatis. Quæ inscriptio non ut congrua tantum habenda est, sed *ita necessaria est ut absque jactura indulgentiarum omitti non possit* (Resp. S. Congr. Indulg. diei 17 Julii 1891 et decreta in hoc responso citata).

(1) A. C. De Schrevel, *Florilegium*, p. 252 sq.

(2) Hanc invenies in *Florilegio*, n. 305 sq.

Licet in nostra diœcesi paucæ tantum videantur esse ecclesiæ, in quibus canonice erectæ sunt sodalitates SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, in omnibus tamen parœciis præsto esse possunt sacerdotes, qui scapulare SS. Trinitatis legitime imponere fidelibus eosque confraternitati adscribere valent. Hac enim facultate inter alios gaudent directores operis S. Infantiæ.

Nam SS. D. N. Leo Papa XIII per breve *Humani generis,* diei 3 Februarii 1893, in perpetuum « omnibus « et singulis sacerdotibus **a**) in quibuslibet societatis « (S. Infantiæ) consiliis (1), **b**) directoribus (2), **c**) præ- « fectis serici duodecim sociorum et **d**) qui vel ære « proprio consuetam duodecim sociorum eleemosynam « persolverint (3), **e**) vel juxta apostolicam concessionem « diei 15 Julii 1885, statuta pecuniæ vi semel soluta, « inter socios perpetuos nuncupatos (4), cooptati fue- « rint », præter alia plura privilegia, facultatem tribuit consueto ritu *benedicendi* et *fidelibus imponendi scapulare confraternitatis SSmæ Trinitatis* cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum quibus adscripti memoratæ sodalitati fruuntur et gaudent.

Ut tamen hac facultate rite uti valeant requiritur : **a**) ut sint confessarii ab Ordinario approbati ; **b**) ut prævie obtinuerint Ordinarii licentiam, « quæ si desit hujus privilegii concessio nulla est » et habitus impositio invalida. Quam licentiam facillime obtinere possunt per directorem generalem diœcesanum operis

(1) Id est membra seu vocales consiliorum quorumlibet Societatis.

(2) Nomine *directoris* venit parochus in cujus parœcia institutum est opus S. Infantiæ vel sacerdos ab ipso designatus ut ipsius locum sumat.

(3) Illi qui quotannis solvunt 7,20 fr.

(4) « Inter sodales perpetuos Instituti recensentur ii qui quotidie recitaverint præscriptas Instituti preces, et cum singulis mensibus, propriis sibi de causis, solvere nequeant præscriptam oblationem, unica tantum vice non minus quam 100 fr. pro pio Instituto obtulerint ». *Florileg.*, p. 291.

S. Infantiæ (1); c) ut hac facultate non utantur, iis in locis in quibus exstant conventus Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum seu Trinitariorum.

Quod si servent illas conditiones, non tantum valent *benedicere* et *imponere* scapulare SS. Trinitatis Christifidelibus, sed eosdem etiam *adscribere* confraternitati, ita tamen ut illi sacerdotes penes se habeant privatum regestum et, quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad superiores sodalitatis vicinioris canonice erectæ, nomina receptorum, ut in album confraternitatis referantur (Decret. S. Congr. de Prop. Fide diei 26 Januarii 1871).

(1) Transmittetur eis, præter pagellam indicantem facultates concessas a R^mo superiori Ordinis Minorum, pagellam continentem privilegia a S. Sede collata per citatum breve *Humani generis*, debito Ordinarii consensu addito.

Fabriques d'église

Au mois de Février comme *tous les mois* d'ailleurs, il y a une réunion ordinaire du bureau des marguilliers. Cette réunion a lieu un dimanche ou un jour de fête, à l'issue de la messe paroissiale, au lieu indiqué pour la tenue des séances du conseil, c'est-à-dire dans l'église, dans un lieu attenant à l'église, ou dans le presbytère (Art. 22 comp. art. 10 du Décret de 1809).

Ces réunions mensuelles du bureau se tiennent-elles régulièrement ? Nous nous permettons d'en douter. Et cependant, le bureau n'est-il pas la commission consultative et exécutive de la fabrique ? N'est-il pas chargé de l'administration journalière du temporel de la paroisse ? Ne doit-il pas préparer les affaires qui doivent être portées au conseil ? Voir art. 24 du Décret.

Aux termes de l'article 5 de la loi du 4 Mars 1870 : « Le trésorier est tenu de présenter son compte annuel « au *conseil,* dans une séance obligatoire, qui se tiendra « le premier dimanche du mois de Mars ». Cet article a modifié l'article 85 du Décret de 1809, d'après lequel le trésorier devait présenter son compte annuel au *bureau* des marguilliers, dans la séance du premier dimanche du mois de Mars ; et les marguilliers devaient faire le rapport du compte au conseil, dans la séance du premier dimanche du mois d'Avril. Sous la loi nouvelle, l'intervention du bureau n'est plus requise ; cependant, d'après le rapport fait au Sénat, le conseil conserve la faculté de charger le bureau d'examiner préalablement le compte et de lui en faire rapport.

Dans la prochaine livraison des *Collationes,* nous indiquerons les principales prescriptions que le conseil de fabrique doit observer dans la vérification du compte annuel.

Entretemps, nous conseillons aux trésoriers et aux bureaux des marguilliers qui préparent le compte, de ne pas perdre de vue les règles indiquées dans la circulaire ministérielle du 15 Mai 1885 sur la comptabilité des fabriques d'église. Voir *Mémorial administratif,* partie générale, p. 642 ss., et *Collectio epist. pastor.,* T. XIV, p. 220 ss.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — Personnel

Un arrêté royal du 7 Octobre 1895 annule les élections, en date du 28 Avril précédent, de MM. Pescheur et Folie, respectivement en qualité de président et de secrétaire du conseil de fabrique de l'église d'Arvenne (province de Luxembourg), et de M. Folie, précité, en qualité de membre du bureau des marguilliers de la dite église.

Cette décision est fondée sur ce que trois membres seulement sur sept ont procédé aux élections dont il s'agit et qu'en vertu de l'article 9 du Décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique ne peuvent délibérer que lorsque plus de la moitié des membres sont présents à l'assemblée.

(Moniteur des 14 et 15 Octobre 1895 ; p. 3942.)

Observation. Contrairement à l'avis de Giron, *Droit administratif,* n. 1076, nous soutenons avec l'opinion commune des auteurs que par « *la moitié des membres* » il faut entendre, non pas la moitié des membres *en fonctions,* mais la moitié du nombre total des membres dont le conseil est composé lorsqu'il est *au complet.* L'arrêté royal cité semble, par la généralité de ses termes, confirmer l'interprétation commune. Il n'y a d'exception à cette règle que par les élections triennales.

Fabrique d'église — Legs

—

Une personne avait légué à la fabrique d'église de N. tous les biens meubles et immeubles qu'elle posséderait au jour de son décès, à charge, pour la fabrique : 1° de remettre à la confrérie Sainte-Anne, établie dans la localité, une somme de deux cents francs dans le mois de son décès ; 2° de faire célébrer.... ;

Un arrêt royal, en date du 14 Octobre 1895, décide :

« En ce qui concerne la charge imposée à la fabrique d'église... de remettre une somme de deux cents francs à la confrérie Sainte-Anne ;

Considérant qu'en ordonnant à la fabrique de remettre à cette confrérie la somme dont il s'agit, le testateur a reconnu implicitement que la dite confrérie forme un corps distinct, indépendant de la fabrique, et ayant un budget séparé ; que cette déduction est confirmée par l'instruction ;

Considérant que cette confrérie ne jouit pas de la personnification civile et qu'elle est, dès lors, incapable de recevoir par testament ; que par conséquent, la libéralité faite en sa faveur est nulle de même que la charge, imposée à cet égard à la fabrique d'église ;

. . . . . .

Article unique. La fabrique de l'église de N. est autorisée à accepter le legs prémentionné, aux conditions imposées en tant qu'elles ne sont pas contraires aux lois. »

(Moniteur du 20 Octobre 1895 ; p. 4058).

Note. Comparez arr. roy. du 10 Février 1879 (*Revue de l'admin.*, 1879, p. 115) ; Giron, *ouv. cité*, n. 855 ; Affre, *Traité de l'admin. tempor. des paroisses*, p. 265 ; Brixhe, *Dict. des fabr.*, 2me édit. v° *Confréries*.

Commentaire

de l'article 268 du Code pénal belge

L'article 268 du code pénal belge est ainsi conçu :

Seront punis d'un emprisonnement de huit jours à trois mois et d'une amende de vingt-six francs à cinq cents francs, les ministres d'un culte qui, dans l'exercice de leur ministère, par des discours prononcés en assemblée publique, auront directement attaqué le gouvernement, une loi, un arrêté royal ou tout autre acte de l'autorité publique.

La disposition de cet article n'a été votée qu'après de longues et vives discussions, et après avoir subi des modifications nombreuses et considérables. Le projet du gouvernement, reproduisant les dispositions des articles 201 à 206 du code pénal de 1810, érigeait en délit même la simple critique ou censure faite soit dans des discours prononcés, soit par des écrits lus publiquement. Ces restrictions à la liberté furent votées par la majorité libérale de la Chambre ; mais, arrivé au Sénat, le projet subit divers amendements, et la rédaction actuelle fut le résultat d'une transaction faite entre les deux partis de concert avec le ministre de la justice, M. Bara. Cette rédaction fut adoptée à l'unanimité par le Sénat ; la Chambre la vota à son tour, mais après une nouvelle discussion et à la faible majorité de 49 voix contre 26, et 3 abstentions. Voir Nypels, *Législation criminelle de la Belgique,* T. II, p. LXXI s.

Les opposants y virent une atteinte portée aux principes constitutionnels ; cependant, malgré le doute qu'on pourrait soulever à cet égard (Voir Thonissen, *Constitution belge annotée,* p. 50, note), l'article 268 a force de loi et est appliqué par les tribunaux.

Pour que cet article soit applicable, il faut les conditions suivantes :

1. Le délit doit être commis par les ministres du culte *dans l'exercice de leur ministère,* c'est-à-dire, par les ministres du culte comme tels, en tant que prêtres, exerçant les fonctions de leur ministère sacerdotal et remplissant la mission d'enseigner qui leur incombe en raison de leur caractère. On a dit, pour justifier la mesure exceptionnelle de l'article 268, que les ministres du culte sont protégés par des dispositions spéciales contre les outrages ou les voies de fait qui pourraient être excercés envers eux dans l'exercice de leurs fonctions (art. 145 et 146 du c. p.), et que, par une juste réciprocité, la loi peut exiger d'eux une réserve plus grande que de la part des autres citoyens. Spécialement protégés par la loi lorsqu'ils exercent leur ministère, ils sont tenus à leur tour de devoirs spéciaux envers la société qui les protège : ils ne peuvent abuser de leur ministère et de l'influence que leur donne leur mission religieuse pour attaquer les actes de l'autorité publique. Ce sont ces attaques qu'on a érigées en délit et frappées d'une pénalité.

En dehors de ses fonctions, le ministre du culte est libre comme tout citoyen. En conséquence, le prêtre qui prononcerait un discours dans un meeting ou donnerait une conférence dans une réunion politique, un congrès, une société littéraire, etc., ne serait pas passible des peines comminées par l'article 268. « Quand un prêtre voudra se rendre dans un club, dans une réunion publique quelconque pour y parler politique, qui l'en empêchera ? Où y a-t-il un article du code pénal qui interdit au prêtre de faire tout ce qui est permis aux autres citoyens ? » Disc. de M. Guillery, *Séance de la Chambre des repr.*, 7 Février 1867.

2. Le délit doit être commis *par des discours prononcés.*

La rédaction de l'article 268, adoptée par la Chambre,

comprenait, non seulement les discours prononcés, mais aussi les *écrits lus* publiquement. Ces derniers mots, qui visaient les instructions pastorales, furent supprimés, parce qu'on les considéra comme incompatibles avec les principes constitutionnels (art. 16), et aussi, parce qu'on voulut éviter de placer le prêtre entre son devoir comme ministre du culte et la crainte de la répression. Le ministre du culte ne peut donc pas être poursuivi du chef d'avoir lu un mandement qui lui a été imposé par son supérieur hiérarchique. Les mandements et instructions pastorales sont soumis aux lois ordinaires en matière de presse et de publication ; et les rédacteurs seuls peuvent être poursuivis comme auteurs. Discours de M. Bara, *Séance de la Ch. des repr.,* 26 Fév. 1866 (Ann. parl., p. 231, ss.)

Cependant, si un ministre du culte, de sa propre autorité et sous sa responsabilité personnelle, *lisait* en chaire *un écrit,* redigé par lui-même ou par un autre, et contenant une attaque directe contre le gouvernement ou un acte de l'autorité publique, il commettrait le délit prévu par l'article 268, parce qu'il y aurait là un *discours prononcé,* dans le sens de la loi. Il en serait autrement d'une circulaire qu'un curé adresserait à ses paroissiens : celle-ci ne serait soumise qu'aux pénalités ordinaires.

D'ailleurs, pour que le ministre du culte soit passible des peines édictées par le code pénal, il ne faut pas que son discours revête nécessairement la forme d'un prône, d'une conférence ou d'un sermon. Le prêtre qui n'éleverait la voix que pour formuler une attaque ne serait pas moins coupable que celui qui aurait encadré cette attaque dans un discours préparé à l'avance.

3. Le discours doit être prononcé *en assemblée publique,* c'est-à-dire, dans l'espèce, dans une réunion accessible à tous les fidèles, dans un office religieux

ordinaire. Ainsi, les propos tenus par un prêtre devant quelques personnes convoquées isolément, ou encore en séance du conseil de fabrique ou du bureau des marguilliers, ne tombent point sous l'application de la loi. Il en est de même, croyons-nous, des discours prononcés aux réunions des congrégations ou confréries auxquelles les membres seuls sont admis.

La publicité est un élément essentiel du délit ; mais, la loi étant muette sur l'endroit ou le lieu où se tient l'assemblée, nous pensons que le discours prononcé en plein air serait punissable, s'il se tient devant une assemblée publique, par un ministre du culte, dans l'exercice de son ministère.

4. Le discours doit contenir une *attaque directe.*

C'est ici que les difficultés d'interprétation se présentent. Que faut-il entendre par *attaque directe ?* Ces mots ont un sens indéterminé qu'il serait bien difficile de définir exactement. Certains auteurs, pour toute explication, se consentent de dire qu'une insinuation vague ne pourrait suffire ; qu'il faut une attaque claire, bien caractérisée ? Mais, qu'est-ce qu'une attaque bien caractérisée ? D'autres, déterminant davantage l'objet d'une attaque directe, sont d'avis que la seule provocation directe à la révolte, à la désobéissance aux lois et aux autorités publiques, constitue le délit prévu par l'article 268. C'est là prétendent-ils, l'interprétation qui résulte clairement de la comparaison du texte actuel avec celui du projet primitif de la loi. Celui-ci prévoyait deux infractions bien distinctes : la *critique ou censure* et la *provocation directe à la désobéissance ;* or, le changement de rédaction apporté au texte primitif prouve que la simple critique ou censure n'est plus punissable ; par conséquent, le seul délit prévu par l'article 268 est la provocation directe à la révolte, à la désobéissance. Voir *Het Vlaamsch Bestuur,* 1893, bl. 88. Ce raisonnement ne nous semble pas très

logique ; et la seule conclusion qui parait se dégager de la substitution du texte actuel à celui du projet, c'est que le législateur, en adoptant une rédaction entièrement modifiée, a visé un délit distinct de l'une et l'autre infraction prévues dans le texte primitif. Et, de fait, il résulte des discussions parlementaires auxquelles la disposition de l'article 268 a donné lieu, que, d'une part, la simple censure ou critique ne suffit pas, et que, d'autre part, la provocation directe n'est pas requise, pour constituer le délit prévu par cet article.

Tout d'abord, il est hors de doute que la simple censure ou critique n'est pas, par elle-même, punissable. Déjà, au cours de la session de 1858-1859, la commission de la Chambre, pour écarter les incriminations dont le projet primitif était l'objet, et *afin,* dit-elle, *de ne laisser aucun doute sur la nécessité de l'intention coupable pour constituer le délit,* avait proposé de substituer les mots : *auront attaqué,* à l'expression : *prononceront des discours contenant la critique ou la censure.* Cet amendement, il est vrai, ne fut pas admis par le gouvernement, ni voté par la Chambre ; mais, lorsque le projet tel qu'il avait été voté par la Chambre, fut transmis au Sénat, la commission de la justice, par l'organe de son rapporteur, M. d'Anethan, conclut au rejet des dispositions adoptées, et notamment de celle qui punissait les discours contenant la censure ou la critique du gouvernement, etc. Finalement il intervint une rédaction nouvelle, arrêtée de concert avec le ministre de la justice, et modifiant encore, à son avantage, l'amendement tel qu'il avait été d'abord proposé par la commission de la Chambre : la seule *attaque directe* était frappée d'une pénalité. Cette rédaction (celle qui a passé dans le code) fut votée sans observation au Sénat ; et M. Bara, dans la séance même où l'article 268 fut voté par la Chambre, déclara devant cette assemblée que « *Quant à la critique de la loi, tout le monde*

peut la faire. » M. Thonissen, qui prit part aux discussions, témoigne aussi que, sous la législation actuelle, la simple critique est permise au prêtre comme à tout autre citoyen (*Constitution belge annotée,* p. 50).

La simple critique ne constitue donc pas, par elle-même, une attaque directe. Nous disons : *par elle-même;* car la critique et la censure, suivant la forme qu'on leur donne et les termes qu'on emploie, peuvent dégénérer en délits, s'il en résulte un dommage pour l'ordre public.

D'autre part, pour qu'il y ait attaque directe, il n'est point nécessaire que le discours contienne une attaque méchante à la loi et une provocation directe à la désobéissance (Schuermans, *Code de la presse,* T. I, p. 376). Il est bien vrai que, au cour de la discussion, quelques orateurs se sont servis de certaines expressions qui semblent indiquer la nécessité d'une provocation à la désobéissance, et que M. Bara notamment, pour justifier l'article 268, a déclaré ne pas pouvoir admettre « qu'on ait le droit de *prêcher la désobéissance* à la loi, en vertu des principes religieux » ; mais il est vrai aussi que les annales parlementaires contiennent certains passages qui démontrent clairement que, dans l'intention du législateur, la provocation directe à la désobéissance n'est nullement requise. « Je désire, disait M. Thonissen, la suppression de l'article 268, parce que les législateurs sages doivent toujours scrupuleusement éviter de placer les citoyens entre la voix impérieuse de leur conscience et l'obéissance aux lois de leur pays. Il y a en effet, des cas où le prêtre n'est pas libre de se taire. Ainsi que l'a dit Pie IX dans un bref adressé au roi de Piémont : « Si la loi n'est pas catholique, le clergé est obligé d'en avertir les fidèles ». C'est une doctrine à l'égard de laquelle l'Eglise n'a jamais varié. Elle a toujours dit qu'il faut obéir à Dieu plutôt qu'aux hommes. Et qu'on

ne dise pas qu'il y a là un principe d'anarchie, un élément de révolte ! La religion catholique condamne tous les vices, elle encourage et récompense toutes les vertus. Elle est compatible avec toutes les formes de gouvernement, depuis le despotisme jusqu'à la république démocratique. Ce n'est pas l'Eglise, se sont les gouvernements eux-mêmes qui sèment la désaffection, quand ils font des lois qui blessent la liberté de conscience. Le cas sera rare, très-rare en Belgique, je le veux bien ; mais enfin le cas est possible, et puisque M. le ministre aime les exemples, je lui citerai un fait dont j'ai été témoin. Il y a quelques années, l'administration locale d'un village avait dressé un rôle de journées de travail pour l'entretien des chemins vicinaux. Ceux qui avaient de l'argent payaient, mais les autres devaient travailler, et on les faisait travailler le dimanche. Les travailleurs murmuraient, mais ils ne croyaient pas méconnaître leurs devoirs religieux en obéissant à un ordre de leur bourgmestre. Que fit le curé ? Il monta en chaire pour dire aux fidèles que la loi divine était en opposition avec les décrets du conseil communal. Eh bien, *suivant votre code pénal,* le curé, qui se bornait à remplir une obligation sacrée, était digne d'être condamné à trois mois de prison ». Y a-t-il là une provocation directe à la désobéissance ? Qui oserait le prétendre ? Et cependant, que répondit M. Bara ? Déclara-t-il que le discours du curé ne contenait pas d'attaque directe et ne tombait pas sous l'application de l'article 268 ? Bien au contraire. « M. Thonissen, répondit-il, parlait tout à l'heure d'un ministre du culte qui avait prêché contre les corvées imposées le dimanche. Mais le ministre du culte *n'avait pas besoin de monter en chaire,* il n'avait qu'à se rendre chez les habitants de la commune, il avait mille moyens pour faire connaître sa manière de voir et engager les habitants à ne pas exécuter l'arrêté du conseil

communal ». *Séance de la Ch. des repr.*, 8 Fév. 1867 (Ann. parl., p. 392). Il résulte de ce que nous venons de dire que, dans la pensée du législateur, l'attaque directe peut exister sans qu'il y ait provocation directe à la désobéissance. D'ailleurs, cette dernière infraction est frappée de pénalités plus sévères (1) et c'est pour ce motif qu'on a voté la suppression des articles 303 et 304 du code pénal de 1810, reproduits dans le projet voté d'abord par la Chambre.

Nous concluons donc que l'attaque directe prévue par l'article 268 tient un certain milieu entre la simple censure ou critique et la provocation directe à la désobéissance ; et nous croyons, qu'à la seule lumière, passablement diffuse, des discussions parlementaires, il n'est guère possible de la préciser davantage. Les mots « attaque directe » ont un caractère très élastique, qui laisse à l'appréciation souveraine des juges une latitude très grande. Aussi trouvons-nous dans nos annales judiciaires certaines décisions appliquant l'article 268 à des faits qui, nous semble-t-il, tiennent beaucoup plus de la simple critique que de la provocation à la désobéissance. Ainsi, il a été jugé qu'il y a attaque directe contre un arrêté du bourgmestre, lorsque le ministre du culte jette publiquement le blâme sur les inhumations qui ont eu lieu dans un nouveau cimetière, en vertu d'un arrêté pris dans un moment où l'autorité communale était en conflit avec l'Evêque diocésain (Cour de Gand, 10 Janvier 1870 ; *Pasic.* 1870, II, 140). Il a été jugé également que le ministre du culte qui, dans l'exercice de son ministère, en assemblée publique, invite ses auditeurs à considérer comme innocentes des personnes condamnées par un jugement ou un arrêt, attaque directement ce jugement

(1) L'article 2 du décret du 20 Juillet 1831 commine la peine d'un emprisonnement de 6 mois à 3 ans contre quiconque aura méchamment et publiquement attaqué la force obligatoire des lois, provoqué directement à y désobéir.

ou cet arrêt et commet le délit prévu et puni par l'article 268 du code pénal (Cour de Gand, 10 Août 1876; *Pasic.* 1877, II, 131 ; Trib. de Courtrai, 30 Juin 1877 ; *Belg. jud.*, 1877, p. 1406).

Une conclusion pratique qui se dégage de tout ce que nous venons de dire, c'est que les ministres du culte doivent user de beaucoup de modération et de prudence, lorsque, dans l'exercice de leur ministère, ils se permettent de faire une excursion dans le domaine politique. En règle générale, quand il s'agit d'actes de l'autorité publique, ils agiront sagement en s'abstenant, non seulement de toute attaque directe, mais encore de toute critique ou censure, et en abandonnant l'appréciation de ces actes à leurs supérieurs hiérarchiques. Voir *Statua diœc. Brugen.*, Part. II, tit. I, art. 1, § 13.

5. L'attaque doit être dirigée contre le *gouvernement, une loi, un arrêté royal ou tout autre acte de l'autorité publique.*

Les termes : *tout autre acte* doivent s'entendre aussi bien des actes de l'autorité administrative (jusques et y compris l'autorité communale) que des actes émanés des pouvoirs politiques.

L'article 268 ne prévoit pas les attaques personnelles; celles-ci tombent sous l'application des articles 443 et ss. du code pénal.

D'ailleurs, il importe de remarquer que toute infraction pénale, même celle prévue par l'article 268, peut donner naissance à une action civile : lorsqu'une personne se prétend lésée par l'attaque d'un ministre du culte contre un acte de l'autorité, elle est recevable à intervenir comme partie civile sur la poursuite intentée par le ministère public, et réparation lui est due du dommage qu'elle prouvera lui avoir été directement causé par ce délit. Arrêt de la Cour de Cassation, 4 Octobre 1878 (*Pasic.* 1878, I, 387).

Nous terminons notre commentaire par cette der-

nière question : *Quelle est la nature de l'infraction prévue par l'article 268 du code pénal ?* Est-ce un *délit politique* de la compétence des cours d'assises, ou bien un *délit de droit commun* de la compétence des tribunaux correctionnels ?

Les attaques dirigées par les ministres du culte contre le gouvernement ou un acte de l'autorité publique ne constituent pas nécessairement des délits politiques. Celles qui s'adressent aux actes politiques du pouvoir, aux actes émanés des pouvoirs politiques, sont essentiellement des délits politiques ; celles au contraire qui s'adressent à un acte de l'autorité administrative ne revêtent pas ce caractère, mais elles peuvent le revêtir à raison des circonstances qui s'y rattachent et qu'il appartient au juge du fond de rechercher et d'apprécier. Voir Thonissen, *ouv. cité,* nos 445 et ss. ; Beltjens, *La Constitution belge revisée,* art. 98, n. 226 ; Cour de Cassation, 9 Janvier 1888 (*Pasic.* 1888, I, p. 70, et note).

Ainsi, par exemple, constitue un délit politique de la compétence des cours d'assises, l'attaque directe dirigée contre le gouvernement, les lois scolaires et les arrêtés royaux ou ministériels pris en exécution de ces lois. Cour de Bruxelles, 19 Janvier 1881 (*Pasic.* 1881, II, 47).

D'autre part, le fait, par un ministre du culte, d'avoir contrevenu à l'article 268 du code pénal, en attaquant en chaire un acte administratif de l'autorité communale, ne constitue pas un délit politique. Cour de Cassation, 2 Novembre 1869 (*Pasic.* 1870, I, 102).

C. V. C.

Varia

EPHEMERIDES LITURGICÆ *quæ Romæ eduntur (fasc. 12, tomi IX, — Decemb. 1895) sequentia habent :*

Graviora Monita

I. In quadam Ephemeride gallica legitur, Sacerdotem posse pro sua privata devotione sacrum Tabernaculum aperire, pro Sacramenti adoratione, preces ad libitum fundere, ac deinde illud claudere. Idque dicitur legitime inferri a quibusdam S. R. Congreg. Decretis. Nomine et auctoritate Sacri Tribunalis Rituum, omnes lectores nostros certiores facimus, quod Ephemeris gallica vulgavit, esse *simpliciter* falsum, et illationem esse prorsus *illegitimam*. Expositio privata differt a solemni, quod illa fit cum pyxide, ista cum Ostensorio ; sed utraque instituta est ad bonum publicum, nullo pacto privatæ personæ.

II. In alia legitur, Communionem fidelibus non posse impertiri sine gravissima causa, neque immediate ante, neque immediate post Missam ; et adducitur ad rem recentius quoddam S. R. Congregationis Decretum. Eodem nomine eademque auctoritate declaramus, et *simpliciter* falsum quod asseritur, et apocryphum, si extet, Decretum, quod in genere nominatur, sed non affertur. Ad rem valeat sequens declaratio nobis data d. 28 Novembris 1895 :

Nullum extat decretum S. R. Congregationis quod prohibeat Communionem fidelium ante vel post missam ; et tum Director *Ephemeridum liturgicarum* **tum Director** *Analect. Ecclesiastic.* **curent, ut huiusmodi resolutio lectoribus innotescat.**

PHILIPPUS DI FAVA *Substitutus S. R. C.*

Communio fidelium immediate post Missam permittitur ex Ritualis Rubrica, uti Sacerdotes norunt ; *ex rationabili* quidem *causa,* ait Rituale, sed hæc, temporum nostrorum conditione perpensa, facile adest, semperque generaliter adesse censendum est, quando communiò petitur. Posse etiam immediate ante Missam communionem distribui

indubium est, eadem ut supra extante causa, eodemque, ut diximus, modo intellecta, quamvis Rituale de hoc sileat. Ita fert communis et laudabilis praxis Urbis: hic est Ecclesiæ sensus: hoc omnino tenendum, atque ita se gerendum.

III. Nomine tandem et auctoritate ejusdem S. R. Congreg., omnium in memoriam redigimus, Reliquias quascumque et Corpora Beatorum non posse in publicis supplicationibus deferri, uti deferri possunt Reliquiæ et Corpora Sanctorum.

Hæc prohibitio sua gravitate pollet, legemque infringere, toties per Decreta seu particularia, seu generalia et a Summis Pontificibus confirmata, nemini licet.

* * *

De Contractu Conductionis, scholastice disseruit *E. J. De Gryse, S. T. D.* Pastor-Decanus Sancti Martini, Cortraci.

I. Clarissimus Auctor tractatum suum in duo capita partitur.

In priore capite (p. 4-13) præambulam quæstionem solvit: sitne contractus conductionis operarum suapte natura injustus? — Audacter nempe Carl Marx edixit: Valorem venalem mercis esse unice *laborem* adhibitum ad eam mercem conficiendam; consequenter totum pretium ab emptore datum ad operarium pertinere et omne lucrum ab hero perceptum esse laborem mercenarii insolutum. — Quem Auctor confutat dilucide, ostendens valorem venalem mercis ex *labore,* simul et *utilitate naturali* ac *raritate* rerum constitui.

Inde progreditur ad alterum caput (p. 14-113), in quo contractum conductionis operarum considerat sub triplici respectu *œconomico, morali* et *sociali.* — Plurimæ hic sunt quæstiones, hisce temporibus agitatæ, quarum solutionem Auctor exponit aut indigitat. Quas si plane omnes ad conditionem rei judicatæ adducere non potuit, omnes tam sapienter tractat, ut ad res elucidandas, mentesque illustrandas, ac tandem de præcipuis communem apud theologos doctrinam stabiliendam, laborem utilissimum navasse videatur.

II. Operæ pretium erit compendio referre, adnotatis paucis, doctrinam clariss. Auctoris circa quæstionem salebrosam de justa mercede et de mercede minima opifici debita :

1. « Justa erit merces si inter eam et operas locatas æqualitas sit... : Utrimque valor debet esse idem (p. 31). » Jamvero generatim : « Constituitur rerum valor per earum *perfectionem ad usus humanos,* considerando *gradum utilitatis* necnon *intensitatem desiderii fruitionis sc. necessitatis in emptore,* necnon earum *raritatem,* attentis simul *sumptibus et vitæ ratione venditoris* (p. 25). » Inde speciatim in conductione-locatione operarum : « In casibus ordinariis Herus seu Dominus librabit præsertim *utilitatem, necessitatem, raritatem* usus facultatis operativæ mercenarii. Mercenarius e contra præsertim librabit *ea quæ sibi ad vitam cultumque humanum necessaria sunt...* » Intelligamus : ad vitam cultumque humanum necessaria sibi, non contra communem ordinem a vita domestica abstracto sed ad familiam aliquem respectum habenti. Talem respectum *de facto* in æstimanda mercede non prætermitti vel inde apparet quod paulo minora salaria tribui consueverunt iis officiis quæ universim a cælibibus exercentur.

2. « Norma practica est ut statuatur de illis omnibus valoris elementis secundum *æstimationem communem* et quidem non adulteratam (p. 33). »

3. « Est quædam merces minima debita ex justitia commutativa, quæque si violetur ad restitutionem obligat. Ast ea merces minima ex justitia commutativa non vindicat sibi nisi id quod necessarium est ad alendum opificem individuum, frugem et bene moratum; non vero dici potest mercedem minimam ex justitia commutativa requisitam oportere esse sufficientem ad alendam etiam opificis familiam. Ita dicendum si nulla lex justa interveniat, et pretium operarum vulgare sequamur (p. 50-51). »

Attamen, quod Auctor satis innuit, normaliter merces ex justitia debita, secundum communem æstimationem non adulteratam determinata, talem mercedem minimam superabit. Providus enim Deus vires viri non ipsius tantum necessitatibus commensuravit, sed contulit validiores, quibus et *suorum* necessitatibus communiter succurrere possit.

4. « Naturalis honestas postulat ut, si lucrum totale id patitur, merces sufficiens sit ad operarium, uxorem ejusque liberos commode sustentandos (p. 64). »

Vides, ex 3. et 4., Auctorem recedere ab opinione plurium recentiorum, qui tenent : etiam justitiam postulare, si lucrum totale id patitur, mercedem sufficientem necessitatibus communis vitæ opificum, seu parem alendo opifici, frugi et bene morato, per communem vitæ cursum. Hæc sententiarum discrepantia theoretice magnum momentum, practice parvum habet. Quod præter statim notata, satis ostendunt verba quibus Auctor, circa finem opusculi (p. 107) suam salarii theoriam adæquate spectatam genti operariæ sublevandæ plane idoneam demonstrat : « Si dicta ad summam revocemus, ex justitia commutativa operario debetur ante omne domini lucrum merces sufficiens ut frugis [frugi potius] et sobrius personaliter vivere queat. Ex æstimatione communi major erit merces, scilicet merces currens ; et ut debitam mensuram [idoneam opifici cum suis alendo] attingat curabunt collegia artificum. Accedit quod herus tribuet ex honestate. Addendæ subventiones, assecurationes, pensiones... Ubi hæc non sufficiunt, superest charitas in eleemosynas effusa. — Jamvero si prædicta verificarentur, quis dicat, ea non sufficere non modo ut mercenarius alimenta habeat, sed etiam copiam quandam rerum sibi et suis ? »

III. Tria potissimum hoc opus omnibus sacerdotibus peculiariter commendant. *Primo,* ejus *indoles vere*

theologica. Auctor totus in eo est ut antiqua Theologiæ principia statuat, evolvat, applicet modernæ conditioni rerum. *Secundo,* satis uber *eruditio theologica.* Præter hodiernos scriptores non paucos, et antiquos Theologiæ principes, S. Thomam et S. Antoninum, scito delectu testimoniorum citatos habemus, ex aurea Theologiæ ætate, summos illos viros, Molinam, Lessium, Lugonem; quibus adjungitur doctissimus Reiffenstuel. — Hic tantum adverti posset, p. 111, nota 1, minus accurate Lugonem citari pro sententia, quam disput. XXVI, n. 52 sqq. refert, sed n. 59-61 impugnat. — *Tertio* præsertim, ejusdem *derivatio ex Encycl.* RERUM NOVARUM, fonte saluberrimo quem Leo XIII, adspirante Deo, ægris civibus et civitatibus aperuit. Nullum nempe lectorem latebit Auctoris studium non tantum litteram Encyclicæ frequentissime referendi, sed ejusdem spiritu disquisitionem suam penitus imbuendi.

Quod opus bene vertat instaurandæ conditioni opificum, optamus, confidimus.

O. E. D.

* * *

Clero utilissimum censemus opus: — MARIA'S ROZENKRANS, door den *Eerw. Pater C. De Busschere,* van de Orde der Predikheeren — utpote quod amplam et solidam concionatori præbeat materiam circa devotionem sacratissimi Rosarii B. M. V. tam instanter a SS^mo^ Patre Leone XIII commendatam; necnon instructiones et documenta plurima contineat circa SS. Rosarii confraternitatem et indulgentias ei adnexas.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

dilecto clero suo dicatæ

ab Episcopo Brugensi G. J. WAFFELAERT, S. T. D.

Præfatio.

Mirum mihi semper visum fuit atque dolendum, non paucos reperiri sacerdotes, etiam ingenio haud mediocri præditos, qui totum studium suum convertant in theologiam quamdam (si hoc nomen illa meretur) mere casuisticam, ejusque conclusiones ultimo practicas, ut ajunt; ita ut tum in theologiam speculativam ac dogmaticam, tum in ipsa principia rei moralis vix incumbant, imo horum studium negligant et suo saltem agendi modo quasi spernere videantur. Qua de re jam conqueritur sapientissimus vir Lessius: « Multi, ait, (1), eam theologiæ partem quæ in speculatione versatur, parum sibi utilem, parum moribus accommodam arbitrantur. Quo fit ut vel exiguam in ea sibi comparanda, dum in theologiæ palæstra exercentur, operam collocent, vel certe absoluto studiorum curriculo negligant, totique in eam quæ practica vocatur, incumbant: prorsus ac si ista plane sterilis, hæc sola fœcunda foret in hominum utilitatem. »

Mirum dico ac dolendum. Et *mirum* quidem, cum et ipsi, quos coarguo, experiri debeant, tum in verbo Dei prædicando (utinam semper et vere verbum Dei) et dirigendis aliorum moribus, tum in meditandis ac rite ordinandis moribus propriis, fundamenti ac cardinis instar esse principia, tam dogmatica quam moralia, inter se alioquin intimo et indissolubili nexu con-

(1) *De perfectionibus moribusque divinis*, Præfatio.

juncta (1). Præterea, quod acrius forte animos eorum feriet, hoc est, si quæramus ab ipsis, quorsum Deus speculativas viritates ac mysteria sublimia de summa Trinitate, de Incarnatione Verbi, de divina gratia, etc., revelaverit, si nos ipsi sacerdotes, ministri Dei et fidelium doctores, de illis dogmatibus, quantum in hac vita licet, scrutandis ac contemplandis, populosque edocendis, parum solliciti esse debeamus. Profecto non ita sentiebant Ecclesiæ Patres et Doctores, qui tanto studio mysteriis fidei per totam vitam vacarunt, tantoque splendore doctrinæ eadem illustrarunt ; non ita sancti omnes, quos contemplatio harum veritatum ad apicem perfectionis deduxit, aliisque verbo et exemplo efficaciter ad sanctitatem conducendis idoneos fecit.

Mirum dico : hujusmodi enim sacerdotes fere crederes autumare ea mysteria a Deo, quasi pro arbitrio suo, sine utilitatis ac necessitatis ratione hominibus revelata fuisse, cum sole clarius eluceat Deum, in ordine supernaturali a se, per insigne beneficium gratuitæ bonitatis ac misericordiæ suæ, statuto ac reparato, omnino debuisse manifestare illa mysteria, sine quibus, ut patet, ordo ille non intelligitur nec consistit. Ut hoc unum nunc addamus postea in decursu meditationum theologicarum amplius declarandum, certe, adorandum Trinitatis mysterium fundamentum est totius doctrinæ salutaris, sine quo nec Incarnatio Verbi, nec mundi redemptio, nec divina gratia intelligitur ; idem mysterium radix est penitioris intelligentiæ perfectionum divinarum in creaturis relucentium aliarumque multarum veritatum, quas ratio naturalis attingit. Et, si Deus seipsum, ut in se est, visione beatifica fruendum nobis constituit ut finem ultimum, nonne debuit ut objectum fidei seipsum proponere, non jam solummodo ut e creaturis elucet, sed ut in se est, Unum videlicet natura, Trinum in personis ?

(1) Cf. tract. nostrum *de Prudentia, fortitudine et temperantia*, in præfatione.

Dolendum etiam dico sacerdotes non magis hisce præcipuis fidei veritatibus contemplandis indulgere. Et primo quidem, prætextus ille studii magis practici dolenda habet incommoda : periculum enim est ne solis auctorum conclusionibus inhærendo verus principiorum intellectus non attingatur, indeque ea principia passim ita applicemus ut neglecta omnium adjunctorum consideratione, una quasi formula casus omnes, aliquo modo similes, solvendos putemus. Periculum est ne in casuistica quadam totam scientiam moralem reponentes, eosdem ubique casus recurrere existimemus, ubi quædam similitudo apparet. Et quomodo habitus practicus prudentiæ et sapientiæ, quomodo veri nominis experientia umquam acquiri potest, nisi vera et solida scientia, studiumque speculativum principiorum, fundamenta et medullam rei moralis exhibentium, præluxerit (1)? Neque objiciatur, quæso, defectus temporis : si enim aliquid defectu temporis omittendum est, certe numquam illud negligendum quod præcipuum est ; et melius est non agere, quam, prævia meditatione omissa, agere imprudenter. Cæterum experientia docet semper nos tempus habere, si numquam tempus inutiliter amittimus.

Sed, quod magis dolendum, hoc est, sub prætextu rei practicæ et utilitatis, ea negligere quæ summæ utilitatis sunt, considerationem videlicet et studium veritatum tam sublimium ut omnem circa creata veritatem in infinitum superent, tamque utilium ut nihil sit quod ad sanctitatem et perfectionem nos suavius et efficacius inducat. Audiamus iterum Lessium, hæc longius evolventem cum de iisdem negligentibus sacerdotibus dicit : « Falluntur profecto atque jucundissimo utilissimæ scientiæ fructu sese privant. Nam primo inter omnes Theologiæ partes nulla præstantior, nulla dignior, nulla quæ magis Theologiæ aut sapientiæ (quæ æternis

(1) Cf. tract. nostrum *De dubio solvendo in re morali*, n. 245 et sqq.

contuendis consulendisque insistit) nomen mereatur. Longe enim præstantius est, de rebus divinus, nempe de Dei perfectionibus, de S^mæ^ Trinitatis arcano, de creatione et conservatione mundi, de cooperatione Dei cum rebus creatis, de Incarnationis et Eucharistiæ mysterio, de visione Dei, et vita æterna, vel pauca cognoscere ; quam plurima de rebus creatis, de inventis et institutis humanis, aliisque rebus, quarum usus solum ad hanc vitam pertinet.

Deinde, hæc pars Theologiæ homini non solum maximam consolationem adfert, si quis ea probe norit uti, sed etiam summam perfectionem et sanctitatem conciliare potest. Non enim, ut quibusdam persuasum est, ea quæ hic traduntur, ad scholas tantum ac scholasticas pertinent disputationes, sed vel maxime ad usum ac commodum cujusque derivantur, ut scilicet attentissima illarum rerum consideratione mens in Deum assurgat, illum contempletur, admiretur, veneretur, timeat, amet, et jugiter laudet ac benedicat, semperque in ejus conspectu posita, vitam omnem ac mores ad ejus beneplacitum nutumque perfectissime componat. Hic est proprius Theologiæ speculativæ scopus, hic finis. Hanc ob causam sublimia ista mysteria sæpe animo volvenda, et mens in eorum contemplatione exercenda, idque ea animi submissione ac reverentia, qua par est ; ope divina, ac sancti Spiritus illustratione, ad id rite peragendum, frequenter implorata, sine hac enim sterile esse ac inutile omne nostræ contemplationis studium, fatendum est.

Accedit, quod etiamsi alia quæ in Theologia traduntur, ad vitam pie sancteque instituendam conducant plurimum, nihil tamen sit, quod mentem adeo a rerum fluxarum et caducarum amore avocet, et ad cœlestium ac æternarum desiderium inflammet, quam divinarum perfectionum et operationum meditatio. Hæc est quæ sola veluti omnium aliarum scientiarum Domina et Princeps in futuro sæculo vigebit, et omnia reget ac moderabitur, cessantibus omnibus aliis quæ in hoc sæculo ad praxim comparatæ. Hæc hominem in terra constitutum prælibare facit initium cœlestium gaudiorum, dum, quod in æterna Angelorum societate ipsi agendum est, id inter homines constitutum agere docet, singulari quadam æternæ felicitatis prærogativa. Ad hanc tamquam ad supremum culmen omnis sapientiæ ac virtutis

S. Dionysius ita Timotheum exhortatur: *Tu vero, chare Timothee, circa mystica spectacula, continua exercitatione et sensus relinque, et intellectuales operationes, et sensibilia, et intelligibilia omnia, et ea quæ sunt et quæ non sunt omnia, ut ad unionem ejus qui super essentiam et notionem est, quantum fas est, sine notione assurgas.* Ubi de excellentissimo agit contemplationis modo, in quo consideratis accurate Perfectionibus divinis, quatenus ad certam speciem limitatæ ac inter se distinctæ offeruntur, mens assurgit ad aliquid sublimius et illimitatum, omnibus istis infinite præstantius, illique ignoto modo se contemplatione et amore conjungit.

Denique cognitio divinarum Perfectionum est suprema ac prima omnis sanctitatis et perfectionis vitæ regula naturæ rationali, angelicæ pariter et humanæ: quæ cognitio si perfecta sit, sola sufficit ad summam maximarum virtutum perfectionem assequendam. *Nosse enim te, consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Quia scilicet cognitio Dei est suprema et absolutissima perfectæ consummatæque justitiæ regula, eamque in affectu excitat, excitatam auget, auctamque perficit. Et quid est illud, *Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum,* nisi hanc notitiam esse normam omnis rectitudinis, qua certissime ad vitam æternam perducamur? Quid, quod Apostolus toties tam ardentibus votis rogat et obsecrat ut fideles *crescant in scientia Dei?* Quid, quod tam serio Abrahæ inculcatur, *Ambula coram me, et esto perfectus;* quid, inquam, indicatur aliud, nisi per assiduam divinæ præsentiæ, ac divinarum perfectionum considerationem, virtutes ac vitæ perfectionem acquiri? Hinc in præsentia Dei præ oculis sibi perpetuo retinenda, sanctorum studium ac industria plurimum desudavit. Huc etiam pertinet divinorum morum consideratio, quos sub divinis perfectionibus comprehendere possumus, ad quorum imitationem Christus Dominus crebro suos hortatur: *Diligite,* inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Christum hac in re Apostolus imitatur, dum

Ephesios et in iis nos omnes, ut Dei simus imitatores, exhortatur. *Estote,* inquit, *imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Ex quibus efficitur, divinarum Perfectionum considerationem regulam esse excellentissimam omnis perfectionis et sanctitatis, quæ si menti nostræ perfecte proposita foret, alia regula minime esset opus.

Porro sicut divinæ præsentiæ cognitio, ac divinorum morum operationumque meditatio hominem adducit ad omnem virtutem ac vitæ perfectionem : ita e contrario Dei ignoratio, ac inconsiderantia fons est omnis vitii, turpitudinis ac peccati, juxta illud : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quis enim est tam projectæ salutis, qui scelus ullum in se admittere non formidaret, si quantum id Deo displiceat, perpenderet, ac eum sibi præsentem, iramque suam ac æternæ calamitatis fulmen minitantem apprehenderet ?

Ratio vero cur cognitio Dei prima sit regula virtutis, est manifesta. Quia perfectio hominis consistit in unione cum Deo, primo suo principio, et fine ultimo. Hæc autem unio cum Deo originem accipit a cognitione, quæ totius unionis cum Deo est fundamentum. Nam, ut Dionysius ait, prima unio cum Deo est per intellectum. Ex hac autem sequitur unio per affectum, nempe per spem, charitatem et religionem : et unio aliarum virium animæ cum eodem, quatenus earum operationes per affectum in Deum, id est, in Dei gloriam elevantur ac diriguntur. Idipsum in beatissimis cœli incolis observatu dignissimum est : illorum enim affectus omnes ac motus secundum unicam eamque perfectissimam divinæ cognitionis regulam efformantur. Ab hac aliæ omnes juste sancteque vivendi regulæ participant rectitudinis rationem ; ex hac omnis Christi doctrina ac vita immediate profluxit ; ex hac omnium Sanctorum documenta et exempla omnia dimanarunt. Quod etiam ex eo confirmari potest, quod omnis lex et regula a lege æterna deriventur. Atqui lex æterna ex essentia divina resultat, sicut lex naturæ in homine et Angelo ex natura rationali. Ergo Divinitatis cognitio est prima ac suprema regula omnis perfectionis. »

(Continuabitur.)

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii

I

Variis argumentis, ex Genesi VI-X, coll. 2ª Petri III, 5, depromptis, ostende Diluvium tum quoad homines, tum etiam quoad animantia ipsamque tellurem universale fuisse.

II

Generali quodam modo demonstra miracula et oracula quæ apud gentes idololatras aut sectas acatholicas edita feruntur, earumdem religionis divinitati ac veritati haudquaquam patrocinari.

III

Titius sacerdos in statu peccati mortalis recitat horas canonicas ; — aliàs Breviarium legit sine ulla intentione orandi ; — aliàs devote quidem officium divinum persolvit sed cum positiva intentione non implendi hac recitatione præceptum ecclesiasticum : — *an* et *quare* Titius obligationi suæ satisfacit ?

IV

Da definitionem conscientiæ et indica qualitates rectæ conscientiæ. — Explica responsum.

V

Infra assensum fidei divinæ, habetur assensus *fidei ecclesiasticæ,* atque etiam assensus qui dicitur *religiosus :* utriusque notionem expone.

VI

An et *quanta* habetur obligatio servandi rubricas Missalis Romani ?

Evangelia dominicarum

homilitice explicata

DOM. II QUADRAG.

Jesus' gedaanteverandering. MATTH. XVII, 1-9. Zie ook MARC. IX, 1-9; LUC. IX, 28-36; II PETRI, I, 16-18.

1. Te dien tijde nam Jesus met hem Petrus, en Jacobus, en diens broeder Joannes, en leidde hen op eenen hoogen berg alleen. 2. En hij veranderde vóór hen van gedaante; en zijn aangezicht blonk gelijk de zon, en zijne kleederen wierden wit als sneeuw. 3. En ziet, daar verschenen aan hen Moyses en Elias, met hem sprekende. 4. Petrus nu nam het woord, en zei tot Jesus: Heere! wij zijn hier goed! zoo gij wilt, laat ons hier drie tenten maken, ééne voor u, ééne voor Moyses, en ééne voor Elias. 5. Terwijl hij nog sprak, ziet, eene licht-wolke overschaduwde hen; en ziet, eene stem uit de wolke zei: Deze is mijn welbeminde Zoon, in wien ik mijn welbehagen heb gesteld: hoort naar hem. 6. En de leerlingen *deze stem* hoorende, vielen op hun aangezicht, en waren zeer bevreesd. 7. En Jesus trad toe, en raakte hen aan; en hij zei tot hen: Staat op, en vreest niet! 8. En hunne oogen opslaande, en zagen zij niemand, tenzij Jesus alleen. 9. En als zij van den berg afkwamen, gebood hun Jesus, zeggende: En zegt dit gezicht aan niemand, totdat de Zoon des menschen van de dooden zal opgestaan zijn.

* * *

Wegens den *uitleg,* zie Luc. Brug., Jans. Gand., a Lapide, Beelen, Van Steenkiste, Liagre, enz.

Doel

Waarom is Christus van gedaante veranderd?

« Primo, ut per hanc claritatem et gloriam, ac per testimonium Eliæ et Moses, (adde: et Dei Patris), Apostolis divinitatem suam probaret, illamque sub humanitate occultatam atque velatam ostenderet. *Secundo,* ut præmuniret discipulos, ne caderent animo cum ipsum visuri essent in monte Calvariæ cruci affixum... *Tertio,* ut se hac forma judicem venturum cum potestate magna et majestate indicaret, et quasi repræsentaret... *Quarto,* ut fidem et spem, animumque et zelum Apostolorum cæterorumque fidelium, ad certamen et cruces quaslibet pro Evangelio fortiter subeundas, spe similis gloriæ in resurrectione obtinendæ excitaret et acueret. *Anagogice:* voluit hic Christus dare ideam nostræ resurrectionis et gloriæ, in qua ipse corpus nostrum reformabit configuratum corpori claritatis suæ. *Tropologice:* voluit Christus *primo* hic typum dare transfigurationis animæ peccatis nigræ in lucem gratiæ, per quam Christo configuramur. Transfiguratio enim nostra consistit in configuratione cum Christo, ut Christo in omnibus humilitate, charitate, obedientia, religione, etc. conformemur; ut simus vivæ imagines vitæ et sanctitatis Christi, quasi nostri exemplaris; ut cogitemus, loquamur. operemur ea pietate, gravitate, zelo, qua Christus; ut quicumque nos viderit, putet se in nobis Christum cernere. *Rursum* Christus hic dat ideam transfigurationis, qua anima a minori sanctitate transit ad majorem: Christus enim jam sanctus transfiguratus est, atque hæc transfiguratio sæpe priore est difficilior et rarior: Sancti enim sæpe sibi sanctitate blandiuntur, et in ea quasi securi conquiescunt, nec ad majorem aspirant, uti peccatores et pœnitentes aspirant ad justitiam... Rarius est... ut a sanctitate minori ad majorem, quam ut a peccato quis

ad sanctitatem transfiguretur... Hoc tamen subinde fit in monte et secessu cum Christo, puta in crebra et ferventi oratione ac meditatione » a Lapide.

Bemerkingen

1. De kortstondige gedaanteverandering van Jesus was een voorteeken van zijne aanstaande verrijzenis en hemelvaart, en van de heerlijkheid waarmede hij de levenden en de dooden zal komen oordeelen (MATTH. XVI, 27, 28 ; MARC. VIII, 38, 39 ; LUC. IX, 26, 27) ; alsook van onze toekomstige verrijzenis en verheerlijking, indien wij met den Geest van Jesus bezield zijn (ROM. VIII, 11, 29 ; EPH. II, 5, 6; PHILIPP. III, 21.)

2. Jesus' gedaanteverandering was een enkel staaltje van de toekomstige verheerlijking van zijn lichaam.

En nogtans, Petrus werd daardoor buiten zijn zelven vervoerd, en hadde de beschouwing van Jesus' heerlijkheid eeuwiglijk willen genieten : *wij zijn hier goed...*

Hoe heerlijk, hoe verrukkend schoon zal de glans niet zijn van Jesus' verheerlijkt lichaam in den hemel, en van al de lichamen der gelukzaligen te zamen ! Hoe vervoerend zal 't aanschouwen niet zijn van den geestelijken glans der verheerlijkte zielen, der Engelen, der Moeder Gods, ja der H. Drijvuldigheid zelve ! De luister der geschapene geesten en is maar een weerglans van het eeuwig Licht, en de klaarheid der verheerlijkte lichamen, een enkele weerglans van den luister hunner zielen. Bij het licht van Gods wezen is het zonnelicht eene schaduw, en de dag een nacht. Onmogelijk God te aanschouwen, zonder hem eeuwiglijk te willen aanschouwen. In den Hemel zullen wij waarlijk en bestendig goed zijn : « Zij worden dronken van den overvloed uws huizes, en gij drenkt hen uit den stroom uwer wellusten » Ps. XXXV, 9.

« In hoc Petri voto, etsi inconsiderato et imprudenti, observandum id quod Deus per ipsum demonstrare

voluit, nimirum quanta sit futuræ gloriæ illicibilitas. Si enim temporaria hæc, et imperfecta gloriæ Christi ostensio tanta voluptate conspicientium mentes perfudit, ut omnium jam obliti extra se raperentur, et omnibus posthabitis hac sola semper frui desiderarent, quam solida voluptas continget sanctis, cum ipsum Dominum videbunt in decore regni sui, non duobus stipatum, sed immensa Angelorum et sanctorum multitudine, nec humanitatis tantum gloriam contemplantes, sed ipsam etiam ejus divinitatem facie ad faciem conspicientes? » Jans. Gandav.

3. De wensch van Petrus was onbezonnen en verkeerd : *Hij wist niet wat hij zei : want zij waren ontsteld van vreeze.* MARC. IX, 5. « Scire oportebat Petrum, iis quos cælestis gloria vestit et protegit, nullis opus esse tabernaculis manufactis ac caducis; sibi vero non quærendum esse triumphum ante victoriam, aut coronam ante certamen, sed nec hanc, quæ jam ipsi cernenda dabatur, eam esse gloriam in cujus visione esset conquiescendum; ut vero ea fuisset, non sibi soli et paucis sociis, retinendum fuisse Christum in monte, qui a Patre destinatus erat Salvator mundi, cui proinde Jerosolymam abeundum erat mundi redimendi regnique morte parandi causa. Præposterum itaque fuit Petri votum, erravitque quod finem visionis non teneret, æternam optans eam, quæ temporarii speciminis loco ostensa erat, gloriam » Luc. Brug. 't En is hier op aarde niet dat wij ons opperste geluk te zoeken hebben: « Cito transiit hæc gloria et delectatio transfigurationis, ut ostenderet Christus omnia in hoc mundo, etiam excelsa et divina, esse brevia, sed in cœlo fore æterna, ut ad illud anhelemus » a Lapide.

4. Willen wij eens met Jesus naar ziel en lichaam verheerlijkt worden, wij moeten eerst hier op aarde *bidden, lijden* en *aan Jesus gehoorzamen.*

Bemerken wij immers *a*) dat Jesus van gedaante

veranderd is *terwijl hij bad* (Luc. IX, 25); *b*) dat Moyses en Elias *spraken van zijnen uitgang, dien hij ging volbrengen in Jerusalem* (Luc. IX, 31), dat is, van zijn lijden en zijne dood; en dat wij moeten *deelachtig zijn aan zijn lijden, en gelijkvormig aan zijne dood* (Philipp. III, 10); *c*) dat God de Vader hier uitdrukkelijk bevolen heeft naar zijnen welbeminden Zoon te luisteren (Matth. XVII, 5; vgl. Deut. XVIII, 15). *Ipsum audite,* « quem doctorem et legislatorem vobis atque humano generi dedi... Ipsi, quæcumque docuerit aut mandaverit, etiamsi superent captum mentis vestræ, etiamsi humano judicio absurda aut carni inimica, fidem adhibete atque obedite, non aliter ac mihi; ipsi, inquam, non alteri cuivis qui ab eo vel tantillum dissideat; cui jam vidistis Legem et Prophetas cedere suo munere defunctos, in quo uno exstant omnia et plenè et clarè, quorum non erat in Lege et Prophetis nisi umbra obscura; qui denique eos qui ipsum audierint ad talem gloriam perducet quali vos jam ipsum vidistis ornatum » Luc. Brug.

Slotrede.

1. Om ons zelven tot godvruchtigheid, lijdzaamheid, en getrouwigheid in den dienst van Jesus op te wekken, overdenken wij dikwijls Jesus' gedaanteverandering, de geestverrukking van Petrus, het eeuwig geluk des hemels, en de heerlijke gedaanteverandering die ons te wachten staat.

2. Die tot de eeuwige heerlijkheid en zaligheid willen komen, moeten hier eerst eene geestelijke gedaanteverandering ondergaan: de zondaren moeten hen bekeeren: zij moeten hunne ziel reinigen, en ze met het luisterlijk kleed der heiligmakende gratie versieren, en wandelen als kinderen des lichts (Eph. V, 8); die rechtveerdig is, moet nog rechtveerdiger worden, en die heilig is, moet nog heiliger worden (Apoc. XXII, 11).

« Wij moeten allen, met ongedekten aangezichte de heerlijkheid des Heeren als in eenen spiegel aanschouwende, in datzelfde beeld veranderd worden van heerlijkheid tot heerlijkheid, als van den Geest des Heeren » II Cor. III, 18. De Vasten is een tijd van geestelijke gedaanteverandering.

DOM. III QUADRAG.

Jesus jaagt eenen duivel uit. LUC. XI, 14-28. Vgl. MATTH. XII, 22-50 ; MARC. III, 22-35.

Te dien tijde 14. joeg Jesus eenen duivel uit, en deze was stom. En als hij den duivel uitgejaagd had, sprak de stomme ; en de scharen waren verwonderd. 15. Maar sommigen van hen zeiden : Door Beëlzebub, den overste der duivelen, drijft hij de duivelen uit. 16. En anderen, om hem te beproeven, vroegen hem een teeken uit den hemel. 17. Maar hij, hunne gedachten ziende, zei tot hen : Alle koningrijk, dat tegen zijn zelven verdeeld is, zal verwoest worden, en het eene huis zal op het andere vallen. 18. Indien nu ook de Satan tegen hemzelven verdeeld is, hoe zal dan zijn rijk stand houden ? Daar gij zegt, dat ik door Beëlzebub de duivelen uitjage ! 19. Maar indien ik de duivelen door Beëlzebub uitdrijve, door wien drijven uwe zonen ze dan uit ? Daarom zullen dezen uwe rechters zijn. 20. Doch indien ik door den vinger Gods de duivelen uitjage, dan is voorwaar het Rijk Gods tot u gekomen. 21. Wanneer een sterke, gewapend, zijn hof bewaakt, dan is hetgene hij bezit in zekerheid. 22. Maar als een sterkere dan hij hem overvalt en overwint, ontneemt hij hem al zijn wapentuig, waarop hij vertrouwde, en deelt zijnen roof uit. 23. Die met mij niet en is, is tegen mij, en die met mij niet en vergadert, verstrooit. 24. Als

de onreine geest van den mensch uitgegaan is, waart hij om door waterlooze plaatsen, rust zoekende; en die niet vindende, zegt hij: ik zal wederkeeren naar mijn huis, van waar ik uitgegaan ben. 25. En gekomen zijnde, vindt hij het uitgevaagd en versierd. 26. Dan gaat hij heen, en neemt met hem zeven andere geesten, nog boozer dan hij zelf is, en zij gaan binnen en wonen aldaar; en het laatste van dien mensch wordt erger dan het eerste. 27. En het geschiedde, als hij dit sprak, dat eene zekere vrouw, hare stem verheffende uit de schare, tot hem zei: Zalig de schoot die u gedregen heeft, en de borsten die gij gezogen hebt! 28. Maar hij zei: Ja, zalig die het woord Gods hooren, en het bewaren.

Bemerkingen.

A. De stomme, waarvan hier sprake is, verbeeldt al degenen die, door de werking van den duivel, zwijgen als zij zouden moeten spreken, hetzij om God te loven, hetzij om hun geloof te belijden, hetzij om den godsdienst, de H. Kerk, de priesters, de godvruchtige christenen, en al wat recht en goed is te verdedigen, hetzij om hunnen naaste of onderdaan te onderwijzen, te vermanen, te berispen, hetzij om over te dragen, hetzij om te biechten, enz.

« Dæmon ergo facit homines mutos, ne peccata confiteantur, sicque venenum expuant; ne laudent Deum, nec proximos doceant vel corripiant; sed Christus sua gratia laxat ora ad confitendum, laudandum, docendum et monendum, quando oportet » a Lapide.

« Cur te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? quod si forte pudor est tibi uni homini, et peccatori, peccatum tuum exponere,

quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit » St Bern. in *Sententiis*.

B. De Pharizeërs (Matth. XI, 24) en de Schriftgeleerden (Marc. III, 22), die Jesus' wonderwerk aan Satan toeschrijven, vertoonen ons door hun voorbeeld hoe verre de hoogmoed, de haat en de nijd, iemand kunnen brengen : zij bestrijden zelfs de welbekende waarheid, en zondigen tegen den H. Geest. Zie daarover den Catechismus, en den uitleg van Matth. XII, 31, 32 ; Marc. III, 28-30 — Herinneren wij ons ook de erge gevolgen van den haat en den nijd van den duivel (Gen. III ; Sap. II, 24), van Caïn (Gen. IV), van Josefs broeders (Gen. XXXVII), van Saül (1 Reg. XVIII), van de Joden, die Jesus uit nijd aan Pilatus overgeleverd hebben (Matth. XXVII, 18) enz. Zie ook Gal. V, 26 ; Philipp. I, 15.

C. Jesus verdedigt hemzelven met veel zachtmoedigheid, en uit loutere liefde tot God en tot den evennaaste : « Quandoquidem calumnia hæc non in suam tantum personam recidebat ; sed et blasphemia erat in Deum, et ad populi subversionem vergebat, non potuit Dominus eam silentio præterire, sed validis et variis rationibus calumniæ hujus absurditatem ostendere voluit. Utitur autem quatuor potissimum rationibus, quæ omnes penè à communibus et popularibus exemplis sunt desumptæ. His enim apud populum veritas erat manifestius aperienda » Jans Gand. Zijne redens behelzen schoone lessen, namelijk over de verderfelijkheid van de tweedracht (Luc. XI, 17), over de onmogelijkheid van de onzijdigheid (Luc. XI, 23) ; over de kenbaarheid van den boom aan zijne vruchten, en van 's menschen herte aan zijne woorden (Matth. XII, 33-35).

D. De andere Pharizeërs en Schriftgeleerden, die Jesus een teeken uit den hemel vragen, alleenlijk om hem te beproeven (Matth. XII, 38 ; Luc. XI, 16),

verbeelden al die eigenzinnige, schijnheilige en boosaardige kopstukken, die met geene redens te overtuigen en zijn, die de Wijsheid zelve zouden willen wetten stellen, en de wijze bepalen waarop zij hun de waarheid zou moeten doen blijken, en die Gods zendelingen maar en ondervragen om ze te beproeven, en hun gezag te krenken. Hetgene zij vragen, zal hun geweigerd worden. Zie Matth. XII, 39. Hun gedrag strijdt regelrecht met de christelijke eenvoudigheid, die met genoegzame bewijzen van Gods wil tevreden is.

E. *Als de onreine geest...* « Berispend, doch tegelijk ook waarschuwend en tot bekeering vermanend, geeft Jesus hier (24-26) door eene gelijkenis te kennen, welk het droevig gevolg is der verwaarloozing van Gods genade : 's menschen zedelijke toestand wordt daarop nog erger, en hij valt nog dieper dan te voren... De gelijkenis, door den Zaligmaker hier gebezigd, is genomen van een bezetene, welke, na van den boozen geest verlost te zijn, dien naderhand, door zijne schuld, wederom laat indringen, en alsdan nog veel erger gekweld wordt dan ooit te voren. Die verergerde toestand *naar het lichaam* van zoodanig een bezetene was een beeld van den verergerden toestand *naar de ziel* bij dezulken, die Gods genade, hun ter bekeering geschonken, verwaarloosden » Beelen. — « Inde discunt peccatores recidivi suam conditionem spiritualem longe pejorem esse quam antea. Etenim, quando quis iterum peccat, *a*) augetur culpa, *b*) gratia minuitur, *c*) consuetudo mala contrahitur ; unde *d*) difficilior redditur vitæ emendatio, ex quo tandem majus oritur æternæ damnationis periculum » Van Steenkiste.

F. *Eene zekere vrouw...* « Deze vrouw het geluk roemende der moeder van Jesus, roemt daardoor de grootheid van Maria's Zoon ; en zij deed dit met luider stemme, te midden en ten aanhooren van zijne lasteraars, onbeschroomd hem tegelijk verheffende en

verdedigende, en zijne vijanden hunne boosheid verwijtende. Een schoon voorbeeld ! » (namelijk voor de slaven van het menschelijk opzicht, voor de lafhertige stommen waarvan wij hierboven (A) melding gemaakt hebben) Beelen. — « Demonstratum certe etiam in hac muliere rursum, Deum spretis superbis, sapientibus et potentibus hujus seculi, humiles potius eligere voluisse, quibus Evangelii veritatem aperiret, et per infirmos et stultos pudefacere potentes et sapientes » Jans. Gand.

G. *Maar hij zei...* « Wat deze vrouw gesproken had, was waarheid ; ook wil Jesus haar niet tegenspreken, maar te kennen geven, dat men het nog voor een veel grooter geluk en zaligheid moest achten, *het woord Gods te aanhooren en te bewaren,* d. i. te onderhouden en te betrachten. En hierdoor wil de Zaligmaker deze vrouw en de schare daar tegenwoordig opwekken om hem, Gods afgezant, geloovig aan te hooren, en naar zijne woorden te handelen » Beelen. — « Occasione igitur accepta ab eo quod mulier dixerat, commendat Jesus Dei verbum quod ipse prædicabat, et ad illud audiendum observandumque omnes invitat, asserens potissimam beatitudinis rationem hac in re sitam esse, et quasi respondens mulieri : Non sis anxia quod tu talem filium non genueris, qualem me esse putas, quasi minus beata sis matre mea : dico tibi et præsentibus omnibus, potissimam beatitudinis hac in vita rationem, non sitam in eo esse, ut filios quis habeat præclaros, sed ut auditum Dei verbum custodiat et observet ; hoc qui perfectissime facit, omnium beatissimus est. Ita docuit Jesus quod ex re erat præsentium omnium, laude beatitateque matris suæ silentio præterita, ne in ipsius ore sordesceret. Non tamen negat matrem suam, ex eorum esse numero qui custodiunt verbum Dei : sed dat intelligendum, beatiorem esse ea ex parte, si custodiat verbum Dei, quam ex ea quod mater sit

Christi Filii Dei » Luc. Brug. — « Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Et materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset » St August. *De sancta virginit. C. II.*

Slotrede.

1. Ons wel zwichten van de boosaardigheid en de ongeloovigheid der Pharizeërs en Schriftgeleerden na te volgen... Eenvoudig gelooven, en ons geloof moedig belijden, gelijk die vrouwe...

2. Niet alleenlijk gelooven, en ons geloof belijden, maar volgens ons geloof leven. Daar is de eenigste weg tot de eeuwige zaligheid. *Ja, zalig zijn zij die het woord Gods hooren, en het bewaren.*

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

Incertitudines seu mysteria mortis.

I. **Incertum tempus mortis.** — *Nescitis diem neque horam.* — Re quidem vera omni die, omni hora, omni temporis puncto potest nobis mors ingruere, et de facto quotidie multi moriuntur improviso. Hic scientia humana, hic prævisiones quantumvis probabiles sæpe falluntur. Tenui filo pendet vita caduca; rumpetur aliquando filus; qua vero die aut hora, nemo cum certitudine determinare potest: nec ætas junior, nec valetudo firmior securum me reddere potest; promiscue enim senes et juvenes eadem false demetit mors, et multos quos cognovimus nobis juniores et robustiores ad terram detraxit. — Ideo autem voluit Deus horam mortis nobis esse occultam, ut hujus horæ formidine excitaremur ad vigilantiam, qua omni studio conemur peccata nostra pœnitentia expiare, ne forte nos imparatos hora mortis occupet; qua etiam instanter operemur, dum lucem habemus, ad comparandum nobis bonam segetem meritorum, ne candela ex improviso deficiente, *tenebræ nos comprehendant.* Sic monet nos ipse Dominus: *Vigilate, nescitis enim quando dominus domus veniat: sero an media nocte, an galli cantu an mane; ne cum venerit repente inveniat vos dormientes.* — Quapropter *præcinge lumbos tuos* diligenti passionum ac vitiorum mortificatione, et *lucernæ ardentes* virtutum ac bonorum operum sint in manibus tuis; *dum tempus habes, operare bonum,* quia ocius forte quam putas *veniet nox in qua operari jam non licebit.*

II. **Incertæ circumstantiæ et genus mortis.** — Nescio ubi moriturus sim et quomodo ; an in domo propria, an in aliena aut in via publica ; an post longam aut brevem infirmitatem ; an solus vel amicis et propinquis circumdatus ; an rationis compos vel sensibus destitutus ; an leniter et quasi somno quiescens vel laboriosæ agoniæ luctibus et doloribus oppressus ; an sacramentis exeuntium munitus necne : hæc omnia ignoro. Quod autem inter hæc maxime sollicitum reddere me debet hoc est, quia et ego *repentina et subitanea morte* possum obrui : quod enim tot aliis etiam sacerdotibus accidit, quare et mihi accidere non posset ? *Quam multi putantes diu vivere decepti sunt et insperate de corpore extracti sunt ! Quotics audivisti a dicentibus quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit... Igitur semper paratus esto et taliter vive ut nunquam te imparatum mors inveniat :* ita age quasi mors prope esset in januis, quasi quælibet actio vitæ postrema foret ; ita vive sicuti in hora mortis vixisse volueris, et subitaneam mortem timere non debebis.

III. **Incertus status animæ in quo mors me deprehendet.** Utrum in statu gratiæ an vero (quod Deus avertat) in statu peccati lethalis ex hac vita sim migraturus cum certitudine pronuntiare nequeo : et hæc incertitudo omnium maxime terrifica. Si de statu meo præsenti, utrum odio aut amore dignus sim, certum omnino judicium proferre non liceat, quanto minus de statu meo futuro quid certi prædicare possum !... Quamdiu vivo, peccare possum mortaliter et, peccato commisso, morte corripi, quin spatium detur pœnitentæ. Ceterum scriptum est : *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ;* hoc autem perseverantiæ munus « aliunde haberi non potest nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere : nemo (igitur) sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur : tametsi in Dei auxilio firmissi-

mam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, *sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.* — Verumtamen *qui se existimant stare videant ne cadant,* et *cum timore ac tremore salutem suam operentur* in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes quod *in spem gloriæ* et nondum in gloriam renati sumus, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo ; in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti : *Debitores sumus non carni ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* » (Trid. sess. VI, cap. 13).

—

Examen circa praxim pœnitentiæ et mortificationis

—

Hoc mense incipit tempus quadragesimale, tempus acceptabile ad exercitium pœnitentiæ et mortificationis qua indigemus omnes si velimus in via virtutis perseverare et progredi : opportune igitur instituetur examen menstruum circa illam materiam.

I. Quoad mortificationem EXTERNAM. — An mihi persuasum est de necessitate corpus meum mortificandi ? An corpus meum considero tanquam inimicum domesticum a quo sedulo cavere debeo ne me prodat ac perdat ? Proinde an, ad exemplum S. Pauli, *illud castigo et in servitutem redigo,* annon contra soleo illi blandiri eique indulgere quidquid appetit ? — Annon sum nimis sollicitus de cura sanitatis meæ, et sub hoc prætextu a mortificatione externa et corporali sive præscripta sive libera me excusatum habeo ?

An studeo mortificare sensus meos ?

1) *Visum.* — An abstineo ab aspectibus omnibus qui possent esse incitamentum ad peccatum, præprimis ab illis quos experientia novi in me excitare imaginationes turpes, commotiones libidinosas? — Nonne lego scripta lasciva ? — An identidem mortificationis causa cohibeo oculos ab aspiciendo etiam bona et honesta sed visui valde amæna et delectabilia ; ab illis ad quæ aspicienda mera curiositas impellit ?

2) *Auditum.* — Annon facile aurem præbeo detractionibus, calumniis, susurrationibus, irrisionibus, crisibus ?... item verbis laudatoriis et adulationis ? — Numquid delector nimis audiendis sermonibus frivolis, mundanis, scurrilitate infectis ? — An scio mortificare nimiam curiositatem in audiendis novis ?

3) *Odoratum.* — An quæ illum sensum quandoque ingrate afficiunt novi tolerare in spiritu mortificationis? Nonne hac ex parte in visitatione pauperum aut infirmorum nimis delicatum me exhibeo ? — An abstineo ab iis omnibus quibus sæculares utuntur destinatò ad odoratui blandiendum ?

4) *Tactum.* — An mihi interdico hac ex parte quæcumque modestiam offendunt — vel quæ redolent nimiam familiaritatem præsertim cum personis alterius sexus ? — Annon nimis sollicitus sum de lecti mollitie, de situ corporis commodo ? — Nonne tardus sum in surgendo et sic primitias diei diabolo sensualitatis concedo ? — Nonne fugio laborem et fatigationem ? — An novi in spiritu mortificationis patienter tolerare frigoris, caloris, sitis, itineris necessaria incommoda, item dolores corporis, ægritudinis aut senectutis gravamina ?

4) *Gustum.* — An, in quantum per sanitatem licet, observo fideliter leges jejunii et abstinentiæ ? — An sedulo vito omnem excessum in manducando et bibendo ? — An novi ad mensam mortificationis causa abstinere a quibusdam non necessariis, identidem

seligere minus bona aut grata, absque murmuratione accipere insipida aut minus bene præparata ? — Annon nimis avide manduco, quasi *effusus super cibum ?* — Annon sum de iis *quorum Deus venter est,* qui videnter non vivere nisi ad manducandum et lautis epulis fruendum? — Annon frequentius adeo commessationes aut compotationes? — Annon extra consuetas refectiones, absque necessitatis aut convenientiæ ratione, aliquid sumo aut bibo ? — Annon nimis frequenter cogito aut loquor de cibis et potibus ?

Quomodo exerceo mortificationem *linguæ?* An *pono custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet* lingua mea *in verba malitiæ ?* An sollicite abstineo ab omni verbo caritatis fraternæ offensivo — ab omni mendacio — a vana Sanctissimi Nominis usurpatione — ab irreverenti usurpatione Sacræ scripturæ — ab omni censura superiorum — ab omni stultiloquio et scurrilitate ? — An caveo multum a loquendo de iis quæ vel a longe spectant audita in sacro tribunali ? — Annon sum nimis loquax, contentiosus, mordax, adulator ? — An in spiritu humilitatis et mortificationis novi quandoque Christi regale silentium imitari, dum alii mihi irrident aut falso me accusant ?

II. Quoad mortificationem INTERNAM :

1) An sedulo mortifico passiones meas inordinatas?... concupiscentiam honorum, dignitatum, laudis et æstimationis hominum ; — appetitum inordinatum bonorum temporalium ; — desideria carnis, voluptatum sensualium et quæ talia desideria excitare sunt nata ?

2) An exerceo mortificationem *intellectus,* illum captivando in obsequium fidei ; non nimis curiose scrutando credenda ; — prohibendo illum a judiciis temerariis ; — submittendo eum judiciis et rationibus aliorum præsertim superiorum ; atque cohibendo ne curiose inquirat in motiva eorum quæ a superioribus injunguntur ?

3) An assidue mortifico *voluntatem,* obediendo prompte, integre, ex animo et in spiritu fidei omnibus superioribus; semper quærendo, ad exemplum Christi, ea facere quæ *Deo sunt placita;* sic subjugando voluntatem meam propriam sub voluntate Dei, quocumque modo mihi manifestetur?

4) An mortifico *memoriam,* eam quantum possum cohibendo ne occupetur offensionibus aut injuriis forte mihi a proximo illatis; ei vero objiciendo mea peccata, summam meam ingratitudinem erga Deum, Patrem et Benefactorem optimum, ut ita in me foveatur spiritus contritus et humilitatus?

* * *

Quomodo me habeo respectu mortis? — An mense præterito frequentius de morte mea cogitavi? — An feci quæ occasione recollectionis menstruæ intellexeram facienda esse ut me ad mortem præparem? — An nunc sum ita dispositus ut, etiamsi *subitanee* mors me corriperet, me tamen paratum inveniret?



Fabriques d'église

Examen et vérification du compte annuel

La loi du 4 Mars 1870 porte :

Art. 5. Le trésorier est tenu de présenter son compte annuel au conseil, dans une séance obligatoire, qui se tiendra le premier dimanche du mois de Mars.

Art. 6. Le compte de la fabrique est transmis par le conseil de fabrique avant le 10 Avril, en quadruple expédition, avec toutes les pièces justificatives, au conseil communal, qui en délibère dans sa plus prochaine séance.

Afin de faciliter aux administrations fabriciennes la fidèle exécution des prescriptions légales, et de leur épargner le désagrément du renvoi de comptes non approuvés ou modifiés par les autorités appelées à les contrôler, nous présenterons quelques observations pratiques, qui ne seront pas sans utilité pour les conseils de fabrique dans la vérification des comptes qui leur sont soumis. (1)

1. Le budget des fabriques constituant la base de leur comptabilité, chaque article de recette ou de dépense doit être renseigné au compte sous le numéro correspondant au numéro du budget ; et dans la première colonne du compte on doit inscrire fidèlement les crédits ouverts au budget *approuvé* de l'exercice correspondant. Ainsi, les chiffres du budget de 1895, à

(1) Ceux qui désirent de plus amples renseignements, pourront les trouver dans les excellents ouvrages de Moulart, *Des fabriques d'églises*, p. 623 ss. (édit. de 1888), et de Leroy, *Instructions pratiques sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'églises*, p. 102 à 149 ; ils consulteront aussi très utilement la circulaire ministérielle du 15 Mai 1885 (*Collectio epist. pastor.*, T. XIV. p. 220 ss.).

porter au compte qu'il s'agit de soumettre à l'approbation, doivent être inscrits tels qu'ils ont été réglés et arrêtés par l'autorité supérieure, et non pas tels qu'ils avaient été proposés par le conseil de fabrique.

2. Aucun paiement ne peut être effectué, ni aucune dépense portée en compte, sans une allocation prévue et *approuvée* au budget ou un crédit spécial demandé à l'autorité compétente (1).

3. « Les allocations budgétaires ne pourront être dépassées sans une autorisation spéciale de la Députation permanente, sauf en ce qui concerne les objets réservés à l'Evêque ». Circ. min. du 15 Mai 1885.

Si le montant effectif d'une dépense n'excède que légèrement le crédit alloué au budget en vue de cette dépense, ce léger excédant peut être imputé sur l'allocation portée à titre de *dépenses imprévues*. Certains auteurs, par exemple le *Mémorial belge,* an. 1875, p. 80, pensent que, sous le régime de la loi du 4 Mars 1870, il n'est plus permis aux fabriques d'allouer des crédits pour dépenses imprévues. Nous ne saurions partager cet avis.

« *Utile est aliquid adscribere in budgeto pro expensis imprævisis... Illud pro minoribus fabricis non superet*

(1) La circulaire du 15 Mai 1885, reproduisant une disposition contenue dans les instructions émanées de la Députation permanente du Brabant en 1882, décide que les crédits spéciaux doivent être demandés « à la Députation permanente, par une délibération *en double* du conseil de fabrique », comme si l'autorité diocésaine n'était pas appelée à se prononcer au sujet de ces demandes. Cette décision est évidemment erronée : elle est contraire à l'article 8 de la loi du 4 Mars 1870 et aux principes généraux du décret du 30 Décembre 1809 (art. 47 et 87). La délibération du conseil de fabrique, tendant à obtenir un crédit spécial, est soumise aux mêmes formalités que le budget, et doit par conséquent être présentée en *quadruple* expédition (art. 1 de la loi de 1870). C'est là d'ailleurs la règle prescrite pour *toutes* les délibérations relatives aux objets que la loi soumet à l'avis des Evêques (Circ. min. du 7 Mai 1885).

Ce que nous avons dit des demandes de crédits spéciaux s'applique également aux demandes de *majoration* ou de *transfert* de crédits, dont il est question dans les deux observations suivantes (3 et 4).

1 20 redituum ordinariorum et 1 30 pro divitibus fabricis ». Monita ad clerum Gandaven., an. 1872.

D'ailleurs la circulaire ministérielle du 15 Mai 1885 reconnaît expressément ce droit aux fabriques : « L'énumération comprise dans l'article 37 du décret du 30 Décembre 1869 n'est pas limitative. Aussi les auteurs des formules de 1870, (modèles des budgets) et 1871, (modèles des comptes) ont-ils laissé aux articles 50 et 61 des dépenses, des blancs destinés à recevoir celles qui n'ont pas été classées sous des rubriques déterminées... Les frais de processions... et les *dépenses imprévues* y trouveront également leur place ». Cf. Leroy, *ouv. cité*, p. 90.

4. Chaque crédit a sa spécialité, c'est-à-dire que, lorsqu'un crédit a été affecté à une dépense déterminée, il ne peut être employé à une autre dépense. Si dans le courant de l'exercice, le conseil de fabrique reconnait la nécessité d'un transfert, il s'y fera autoriser par la Députation permanente, sauf en ce concerne les objets réservés à l'Evêque.

« Les allocations budgétaires comprises dans le chapitre Ier des dépenses, qui concerne la célébration du culte, étant arrêtées définitivement par le chef diocésain, celui-ci peut autoriser des transferts de crédits aux articles de ce chapitre, pourvu que ces transferts ne modifient pas le chiffre total du budget. L'autorisation épiscopale sera jointe au compte, afin que la Députation permanente puisse s'assurer de la régularité des actes de la fabrique ». Circ. min. du 15 Mai 1885.

5. La loi ordonne que le trésorier présente à l'appui de son compte toutes les pièces justificatives nécessaires pour établir la réalité et la régularité des opérations portées en compte. L'instruction ministérielle du 15 Mai 1885 indique les pièces justificatives à fournir. Les principales sont : a) pour les *recettes :* l'état des loyers, fermages, rentes et intérêts des

capitaux, dans lequel il est fait mention des sommes reçues et des paiements arriérés ; les comptes des préposés à la régie des chaises ou l'acte de bail approuvé ; les procès-verbaux dressés trimestriellement du produit des troncs, quêtes et oblations ; un état justifiant les droits de la fabrique dans les inhumations et services funèbres, etc. ; b) pour les *dépenses:* un état détaillé des services religieux fondés ; un tableau des recettes non recouvrées, portées en dépenses extraordinaires, comme reprises de compte ; et surtout les états, mémoires ou factures des fournisseurs, les mandats et les quittances.

« Les pièces justificatives doivent être classées dans l'ordre des articles du compte. Elles doivent être réunies en liasse ». Circ. min. du 15 Mai 1885. Pour faciliter le contrôle, il serait utile de détailler les pièces justificatives dans un inventaire ou bordereau, que l'on joindrait au compte.

6. Les états détaillés des services religieux fondés, doivent être certifiés exacts par le président du bureau des marguilliers. Voir art. 26 du décret de 1809.

7. « Toutes les dépenses des comptes doivent être appuyées de mandats *réguliers,* faits au nom des intéressés et acquittés par eux de leur nom patronymique, ainsi que des factures à l'appui, établissant, d'une manière certaine, la nature et la réalité de la dépense ». Circ. min. du 15 Mai 1885.

Pour être *réguliers,* a) les mandats doivent être datés, et indiquer : 1) les noms et qualité ou profession du créancier au profit duquel ils sont délivrés ; 2) la somme à payer écrite en toutes lettres ; 3) l'objet de la dépense ; 4) l'exercice auquel ils se rapportent ; 5) l'article du budget ou le crédit spécial auquel ils se rattachent. b) Ils doivent être *signés* par le *président du bureau* des marguilliers (Art. 28 du décret de 1809). Cependant, le président ne peut mandater à son profit la somme que la fabrique peut lui devoir. Dans ce cas,

il doit laisser à un autre membre du bureau le soin d'ordonnancer le paiement que la caisse de la fabrique doit lui faire. En aucun cas, le *trésorier* ne peut mandater, les fonctions d'ordonnateur étant absolument incompatibles avec celles du payeur. c) « Les mandats ne peuvent contenir que des dépenses imputables sur un seul et même article du budget » (Circ. du 15 Mai 1885). d) Les mandats ne peuvent autant que possible présenter ni ratures ni surcharges ; s'il y en a dans la partie manuscrite, elles doivent être approuvées.

La circulaire du 15 Mai 1885 dit que les *mandats* doivent être *acquittés* par les intéressés. Il n'est donc pas nécessaire d'acquitter les états, mémoires ou factures : il suffit que les mandats soient quittancés. Cependant, si les états, mémoires ou factures ont été acquittés, il n'est plus requis de quittancer les mandats : la quittance, mise au bas de la facture, constitue pour la fabrique son titre libératoire et suffit à sa décharge.

Les quittances doivent être spéciales, non seulement pour chaque article du compte, mais encore pour chaque mandat.

« Les acquits en formes de croix doivent être certifiés par deux témoins ». Circ. du 15 Mai 1885.

8. Si plusieurs mandats se rapportent à un seul et même article du compte, ils seront accompagnés d'un état ou bordereau énumératif, indiquant le total de tous ces mandats, ainsi que le montant de chacun d'eux. Lorsque plusieurs pièces justificatives sont produites à l'appui d'un mandat, elles doivent être énumérées dans un bordereau.

9. « Le réliquat d'un compte formera toujours le premier article du compte suivant, » dit l'article 82 du décret de 1809. En conséquence, si le compte *approuvé* de l'exercice précédent (1894) a été clôturé avec un boni, ce boni doit être inscrit à l'article 19 des recettes extraordinaires ; s'il se clôture avec un déficit,

celui-ci doit être inscrit à l'article 51 des dépenses extraordinaires, au compte de 1895.

10. Les sommes rejetées du compte de 1893, sujettes à rappel, et inscrites comme telles dans le budget de 1895 (à l'art. 52bis (1) des dépenses extraordinaires), doivent être portées à l'article 52 du compte de 1895.

Si les sommes ont été rejetées parce qu'elles concernaient des dépenses qui n'étaient pas appuyées de mandats réguliers et quittancés (voir ci-dessus), il faut en outre régulariser ces pièces et les joindre à nouveau au compte de 1895. Si, au contraire, il s'agit de sommes rejetées parce que les allocations budgétaires ont été dépassées, et que d'ailleurs les mandats étaient réguliers et acquittés, il suffit d'inscrire simplement ces sommes au compte de 1895.

11. Les comptes doivent être dressés en quadruple expédition (art. 6 de la loi de 1870). Ces différentes expéditions doivent être en tout point conformes entre elles. Il ne peut se trouver de différence dans le montant des sommes qui y sont portées, et il faut avoir soin de ne point omettre dans l'une de ces expéditions des recettes ou des dépenses qui figurent dans les autres.

Voilà les points sur lesquels nous appelons principalement l'attention des conseils de fabrique, chargés d'examiner le compte qui leur sera présenté à la séance du mois de Mars.

Nous finissons par une observation qui concerne spécialement le bureau des marguilliers. Le compte de l'exercice, présenté par le trésorier, est un compte de recettes et de dépenses effectuées pour la fabrique ; mais il y a aussi le compte de la caisse, qui est un

(1) Les formules des budgets, telles qu'elles ont été arrêtées par l'arrêté royal du 7 Août 1870, n'ont pas l'article 52bis. Dans les modèles où ce numéro fait défaut, on peut l'ajouter ou inscrire les sommes rejetées du dernier compte rendu sous l'article 61.

compte d'avoir résultant de versements et de retraits de fonds. Il y a entre ces deux comptes une corrélation nécessaire, parce que l'avoir de la fabrique varie à chaque exercice dans la proportion combinée de ses recettes et de ses dépenses ; et cette corrélation sert à contrôler l'un par l'autre ces deux comptes. On est sûr d'avoir bien opéré quand le compte de la caisse présente en fin d'exercice une augmentation ou une diminution égale á l'excédant ou au déficit du compte de l'exercice. Il importe donc que, vers l'époque fixée pour l'examen du compte de l'exercice, le bureau des marguilliers dresse l'état de situation de la caisse. Voir Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique,* p. 458 ss.

Un ordre formel a été donné à cet égard par Mgr Faict, Evêque de Bruges : *Volumus et jubemus ut anno singulo circa dominicam primam Martii, qua fabricæ computus præsentari in concilio debet, verificatio arcæ tribus seris instructæ fiat, præsentibus ad minus burelli præside, thesaurario et parocho* ». Congr. prosyn. 14 Junii 1889, decr. VII.

C. V. C.

Ex S. Rom. et Univ. Inquisitione

Decretum de abortu medicali

A S. Congr. Inquisitionis emanavit decretum gravis momenti circa abortum medicalem. Quum in ipso responso appelletur ad duo responsa prius data, et revera sit arcta hujus cum illis connexio, priora quoad substantiam præmittimus.

Primum dabatur 28 Maii 1884. Ad dubium ab Em. Card. Archiep. Lugdun. propositum : « An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam quam Craniotomiam appellant, quando scil. ea omissa mater et filius perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte ? » Resp. S. C. : « *Tuto doceri non posse.* »

Secundum habetur in epist. die 19 Aug. 1889 data Archiep. Camerac. :

« Anno 1886, Amplitudinis tuæ Prædecessor dubia nonnulla huic supremæ Congr. proposuit circa liceitatem quarumdam operationum chirurgicarum craniotomiæ affinium. Quibus sedulo perpensis, EE. ac RR. Patres... feria IV, die 14 currentis mensis respondendum mandaverunt :

In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit die 28 Maii 1884, et *quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam fœtus vel matris gestantis.* »

Nunc sequitur, in extenso, novum decretum, in quo notetur : *a*) jam non agi de immediata occisione fœtus in utero, sed imo de operatione immediate tendente ad fœtum immaturum expellendum ; *b*) non peti et resolvi quid in scholis doceri possit, sed imo quid in praxi fieri liceat.

Beatissime Pater,

Stephanus Maria Alphonsus Sonnois, Archiepiscopus Cameracensis, ad pedes Sanctitatis Tuæ devotissime provolutus, quæ sequuntur humiliter exponit.

Titius medicus cum ad prægnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse præter ipsam prægnationem, hoc est, fœtus in utero præsentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, præsto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu fœtus ejectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus ut in materno sinu fœtum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur ; quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset.

Jamvero lectis quæ die 19 augusti 1889 Sancta Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit : « tuto doceri non « posse licitam esse quamcumque operationem directe occi- « sivam fœtus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem « salvandam », dubius hæret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut prægnantes graviter ægrotantes salvaret.

Quare, ut conscientiæ suæ consulat, supplex Titius petit utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit.

Feria IV die 24 Julii 1895.

In Congr. gener. S. R. et Univ. Inquisitionis, proposita suprascripta instantia, Em. ac Rever. Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, præhabito Rev. D. Consultorum voto, respondendum decreverunt : Negative, juxta alias Decreta, diei scilicet 28 Maii 1884 et 19 Augusti 1889.

Sequenti vero feria V die 25 Julii, in audientia R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. relatam Sibi Em. Patrum resolutionem adprobavit.

L. † S.

J. Mancini Can. Magnoni,
S. R. et Univ. Inquisitionis Not.

Studiosus lector copiosam doctrinam theologicam de abortu et embryotomia, per omnia citatis decretis conformem, inveniet apud *Nouvelle Revue Théologique,* annis 1884-85, in novem articulis ab Illustr. ac Reverendiss. D. Episc. Brug., tunc Theologiæ Moralis professore, conscriptis.

O. E. D.

Ex sacra Rituum Congregatione

Urbis et Orbis

Quod Benedictus XIV diserte docet (*Op. de Beat. et Can. Lib. IV, part. II, C. II, n. 5*), Missas nempe in honorem Beatorum, vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus Regularibus ex indulto concessas, ab aliis Presbyteris sive Sæcularibus, sive Regularibus, celebrari non posse; Sacrorum Rituum Congregatio jampridem declaraverat, ac postea quampluribus particularibus seu generalibus Decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus, eodem Benedicto XIV fatente, incongruum videretur, ut exteri Sacerdotes ad Regularium ecclesias, die pro festo statuta, confluentes, aliam celebrarent Missam ab illa, iisdem Regularibus concessa; hinc factum est, ut Summi Pontifices, in ipso Beatificationis Brevi, indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos Sacerdotes in præfatis ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium judicatum est, cum novæ pluresque Missæ, iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus ecclesiis, quum Sanctorum tum Beatorum indultæ sint; ne videlicet, latæ super celebratione Missarum leges, aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur; nisi et forte earundem observantia fere impossibilis fieret.

Quæ quidem omnia cum pluries, ac præsertim in una *Romana, Dubiorum,* in conventu habito die 23 Augusti 1890,

perpensa fuissent ; Sacra Rituum Congregatio, dilata resolutione, decrevit, ut ad omnem difficultatem penitus amputandam, certæ normæ hac in re universis Sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit :

Omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares, ad ecclesiam confluentes, vel ad oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem ecclesiæ vel oratorii conformes, sive illæ in Romano, sive in Regularium Missali contineantur ; exclusis tamen pecularibus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta ecclesia, vel oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria ; iis tamen exceptis diebus, in quibus præfatas Missas Rubricæ Missalis Romani, vel S. R. C. Decreta prohibent. — 9 Julii 1895.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per me subscriptum Cardinalem Præfectum relatione Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacræ Congregationis ratam habuit et confirmavit : Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando.

Die 9 mensis Decembris, anno 1895.

Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præf.
A. Tripepi, S. R. C. Secretarius.

L. † S.

Bellunen. et Feltren.

R^mus Dom. Salvator Joannes Baptista Bolognesi, Episcopus Bellunen. et Feltren. nonnulla dubia Sacræ Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum :

In diœcesibus Bellunen. et Feltren. plures extant ecclesiæ ad Regulares Familias olim pertinentes, quæ, iisdem

Regularibus initio hujus sæculi per civile Gubernium dispersis, Clero sæculari attributæ sunt. Hasce in ecclesias, ubi mos viget peragendi sacras Majoris hebdomadæ functiones, nonnullis abhinc annis, deficiente Sacerdotum numero, quædam inductæ sunt consuetudines, unde suborta sunt insequentia dubia :

Dub. I. An *Passio Domini,* deficientibus aliis ministris, cantari possit a Diacono ministrante quoad textum Evangelistæ, et a Celebrante quoad verba a Christo prolata ; vel a duobus Diaconis, quorum alter sit ipse Diaconus ministrans ; vel (si Subdiaconus ministrans sit in ordine diaconali) a duobus Missæ ministris ?

Dub. II. An Feria V in Cœna Domini liceat Missam canere cum alterius Hostiæ delatione ad Sacellum (vulgo *Sepulcrum*), quamvis die sequenti, ea in ecclesia, Missa Præsanctificatorum non celebretur, eamdem Hostiam e Sepulcro in Sacrarium sub vesperam privatim deferendo ? et quatenus Negative.

Dub. III. An liceat prædicta Feria V Missam canere absque alterius Hostiæ consecratione, et absque processione ?

Dub. IV. Ubi vero nulla eadem Feria V habeatur functio, an possit sacra Pixis in suo Altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco Sepulcri, ad Sanctiss. Eucharistiam adorandam accedere valeant ?

Dub. V. . . . . .

Dub. VI. . . . . .

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicæ, ita propositis dubiis rescribere rata est, videlicet :

Ad. I. *Affirmative.*

Ad. II. *Negative.*

Ad. III. *Affirmative* juxta Decretum Pii Papæ VII (Resol. Dubior. 28 Junii 1821, appr. 31 Julii eodem anno), *de venia saltem Episcopi.*

Ad. IV. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 1 Februarii 1895.

Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præf.
Aloisius Tripepi, S. R. C. Secret.

Loco † Sigilli.

Congr. Presbyter. SS. Sacramenti

R^mus^ Procurator Generalis Congregationis SS^mi^ Sacramenti a Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur, nimirum :

I. . . . . .

II. . . . . .

III. An post expositionem privatam SS^mi^ Sacramenti, scilicet, aperto ostiolo tabernaculi, dari possit Benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in pyxide recondito ?

IV. Sacerdos celebrans coram SS^mo^ Sacramento patenter exposito dum in Evangelio dicit : « Et Verbum caro factum est » genuflectit aliquantulum versus SS^mum^ Sacramentum : Quæritur an debeat versus idem Venerabile Sacramentum inclinationem facere quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen *Jesu?*

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum cæremoniarum magistris, dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit :

Ad. III. Affirmative.

Ad. IV. Affirmative. Atque ita rescripsit. Die 30 Novembris 1895.

Caj. Card. Aloisi-Masella, S. R. C. Præf.
A. Tripepi, Secretarius.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — Suppression de crédits inscrits à l'article 39 du compte

Un arrêté royal en date du 1 Mai 1895 (*Moniteur*, p. 1640), rejette le recours du conseil de fabrique de l'église de N..., contre un arrêté de la Députation permanente du conseil provincial de Liége qui avait supprimé les sommes de 10 et de 50 francs inscrites à l'article 39 *(Honoraires des prédicateurs).*

Cette décision est fondée, sur ce qu'il résulte de l'instruction que ces sommes ont été payées au desservant de N...; que les crédits admis à l'article 39 des budgets des fabriques d'église ne peuvent servir qu'à rétribuer les prêtres *étrangers à l'église* dans laquelle les prédications extraordinaires ont lieu.

Observation. Cette décision nous paraît injustifiable. L'art. 37, 2° du décret de 1809 énumère, parmi les charges de la fabrique, celle *de payer l'honoraire des prédicateurs de l'avent, du carême et autres solemnités;* il ne requiert nullement que les prédicateurs soient étrangers à l'église, et nous ne comprenons pas pourquoi le clergé de la paroisse, s'il veut se charger de ce service extraordinaire, n'aurait pas droit à l'honoraire aussi bien que les prêtres étrangers.

Fabrique d'église — Frais de processions

Un arrêté royal en date du 15 Novembre 1895 (*Moniteur*, p. 4495), décide que les frais de processions doivent être compris parmi les dépenses *obligatoires,*

dans lesquelles la commune est tenue d'intervenir en cas d'insuffisance des ressources de la fabrique.

Observation. La commune est tenue de suppléer à l'insuffisance des revenus de la fabrique (art. 92, § 1 du décret de 1809, et art. 131, § 9 de la loi comm.); mais cette insuffisance doit être constatée, et pour que la preuve en soit admise, il faut que la fabrique se borne aux dépenses légales et obligatoires; la commune n'est *pas tenue* d'intervenir, si le déficit de la fabrique résulte de dépenses *facultatives*. Telles sont notamment les dépenses inscrites aux articles 36, 37 et 38 des budgets et des comptes.

De Benedictione nuptiali

et missa pro sponso et sponsa

Sacra Congregatio Concilii ad dubium: « *An sacerdos in exequiis persolvendis missam celebrans, non recepto stipendio,* debeat pro ipso defuncto, vel potius pro aliis petentibus et *eleemosynam offerentibus sacrificium applicare queat,* » re ponderata sub die 27 Aprilis 1895 censuit respondere: « *negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ».

Ex hoc responso ergo liquet: sacerdotem in exequiis persolvendis missam celebrantem, non recepto stipendio, non debere pro ipso defuncto, sed posse pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus sacrificium applicare. Rituale Romanum quidem, *de Exequiis,* cap. I, n° 4, maxime exoptat « ut missa, præsente corpore defuncti, *pro eo* celebretur, » juxta præsentem tamen declarationem S. Congr. Concilii strictum præceptum applicandi illam missam non imponit. Hac occasione forsan utile erit in memoriam revocare, quod circa hanc materiam habent instructiones nostræ diœcesanæ *(Pastorale, de exequiis):* « Curet Parochus ut quilibet pauper sepeliatur cum missa, quæ celebretur sumptibus mensæ pauperum, vel piæ confraternitatis vel ex fidelium eleemosynis ».

In pertractanda hac quæstione de applicatione missæ pro defunctis, in exequiis, non recepto stipendio, allegatur, in summario precum S. Congregationi Concilii oblato, responsio S. C. Sancti Officii, die 1 Sept. 1841 data, qua decernitur in celebratione nuptiarum sacerdotem non teneri applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam recipiat. Jam hic quæri potest: *utrum tamen semper missa celebranda sit ad benedicendas nuptias, sive offeratur stipendium sive non.*

De hac re eadem S. Congreg. Inquisitionis die 31 Augusti 1881 dedit sequens decretum generale:

« In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei Inquisitoribus generalibus, præhabito voto DD. consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. decreverunt : Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa,* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, intra tamen Missæ celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint ; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii. — Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Ex hoc decreto generali et ex aliis a S. Congreg. Rituum editis, sequentia deduci possunt :

1° Benedictio nuptialis semper impertienda est in matrimoniis catholicorum. Excipitur casus quo mulier est vidua et in prioribus nuptiis Benedictionem jam accepit. Ipsas etiam primas nuptias mulieris, si secundæ sunt ex parte viri, benedicendas non esse præcipit Rituale Romanum (Tit. VII, Cap. I, n° 15), nisi ubi vigeat consuetudo, ut tales nuptiæ benedicantur ; sed hanc exceptionem decretum S. C. Inquisitionis abstulisse videtur, cum unicam ponat : « dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. » Cæterum consuetudo benedicendi nuptias primas ex parte mulieris, quamvis vir viduus jam acceperit benedictionem, existit in nostris regionibus et consequenter servari potest.

2° In mente Ecclesiæ benedictio nuptialis illa est « *quam exhibet Missale Romanum in missa pro sponso et sponsa* » et impertienda est « *intra missæ celebrationem,*

juxta rubricas. » Consistit in orationibus : *Propitiare Domine* etc., *Deus qui potestate* etc. dicendis ante *Libera nos* etc., necnon in tertia *Deus Abraham* etc. dicenda ante orationem *Placeat tibi Sancta Trinitas.* Nunquam licitum est illam benedictionem impertiri extra missam seu a missa abstrahere. Quod patet ex verbis decreti S. C. Inquis. citati : « intra missæ celebrationem » et ex pluribus decretis S. Congr. Rit. ; ita decreto *in Limburgen.* 23 Junii 1853 expresse declaratur : « *In missa* assignata benedictio juxta rubricas non est impertienda nisi in missa », (quod responsum mandante Pio IX juxta mentem suam et alias decreta datum est) ; — *in Montis Albani,* 14 Aug. 1858 : quæritur : « an possit sacerdos, quum matrimonia extra missam celebrantur... sponsis benedictionem impertiri, et orationes recitare, quæ in Missali in missa *pro sponso et sponsa* habentur, quæque dicendæ sunt, tum post *Pater noster,* tum ante *Placeat,* quando agitur de nuptiis in quibus non est deneganda supradicta benedictio » ? S. C. Respondet « negative in omnibus ». — « An facta per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a S. Concilio Tridentino vetitis, censeatur etiam permissa benedictio conjugum per preces et orationes in missa pro sponsis contentas ? Et quatenus negative, an posset Episcopus in casu eam facultatem concedere ? R. Negative in omnibus ». — Idem confirmat decretum *in Imolen.* 26 Martii 1859, declarans per posteriora decreta revocatum fuisse decretum *in Eystecten.* (1 Sept. 1838), quo responsum fuerat, « nihil obstare, quominus benedictio nuptiarum in Missali præscripta intra Missam, extra ipsam Missam detur ; » — et decr. *in Ambianen.* 31 Aug. 1867, quo iterum declaratur « benedictionem nuptialem dari non posse extra Missam ». — Insuper sacra Congr. Rit. *in Mexicana* 25 Sept. 1875 significat responsa R^mo^ Episcopo Diœceseos Montis Albani 14 Aug. 1858 data, ita esse generalia ut omnes omnino

diœceses afficiant, etiam eas in quibus immemorabiles in contrarium adsunt consuetudines « et consuetudinem contrariam esse eliminandam uti abusum ».

3° Ad benedicendas nuptias missa celebranda est « *juxta rubricas* ». Jamvero rubrica Ritualis Romani, tit. VII, cap. 2, n° 4, ita habet : « si benedicendæ sunt nuptiæ Parochus missam *pro sponso et sponsa,* ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur ». In Missali autem præponitur missæ *pro sponso et sponsa* rubrica : « si benedictio nuptiarum facienda est die Dominica, vel alio die festo, dicatur missa de Dominica vel festo cum *Gloria* et *Credo,* si illa missa id requirit, et cum commemoratione sequentis missæ *pro sponso et sponsa,* et reliquis quæ pro communione et complemento benedictionis in ea habentur. Si autem benedictio nuptiarum facienda sit aliis diebus, etiamsi in iis occurrat festum duplex majus vel minus, dicatur sequens missa votiva ». Juxta has ergo rubricas ad benedicendas nuptias missa votiva *pro sponso et sponsa* celebranda est, exceptis quibusdam diebus ; ut patet ex decretis S. C. R., v. gr. *in Limburgen* 23 Junii 1853 : « missa in nuptiis semper debet esse votiva pro sponso et sponsa ut in missali, præterquam in festis de præcepto etc. » Dies autem excepti (præter tempus feriatum seu clausum, quo interdicitur benedictio nuptiarum et consequenter missa) sunt : *a)* dies Dominicæ ; *b)* festa de præcepto et duplicia 1 vel 2 classis (juxta decretum 20 Dec. 1783) ; *c)* dies infra octavam Epiphaniæ ; vigilia et dies infra octavam Pentecostes necnon dies octava SS. Corporis Christi : uno verbo omnes dies quæ excludunt officia duplicia 2 classis. Diebus autem exceptis, missa diei currentis celebranda est cum commemoratione ejusdem missæ pro sponsis, et cum orationibus propriis pro benedictione nuptiarum in eadem missa positis post *Pater noster* et ante orationem *Placeat.*

4° Juxta idem decretum generale S. C. Inquis. relatum, benedictio nuptialis impertienda est « *omnibus illis conjugibus qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint* », si v. gr. matrimonium contraxerunt tempore clauso, quo juxta Rituale cap. II, n° 15, prohibentur : « solemnitates nuptiarum, ut nuptiis benedicere etc. » ; — impertienda est « *etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.* » Et additur : « *hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant.* » Rituale autem Romanum n° 16 exposcit « ut si domi celebratum fuerit (matrimonium), præsente parocho et testibus, sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi », benedictionis enim nuptiarum locus est ecclesia. In casu autem quo hæc benedictio separetur a contractu, missa tamen votiva *pro sponso et sponsa* celebratur iisdem diebus et cum iisdem cæremoniis, ac si matrimonium immediate ante missam contraheretur ; diebus autem impeditis, in missa diei commemoratio pro sponsis facienda est cum cæteris orationibus specialibus in missa *pro sponso et sponsa* contentis. Hoc sequitur ex eodem decreto quod generaliter præscribit, impertiendam esse benedictionem omnibus conjugibus qui eam in contrahendo matrimonio non obtinuerint, « intra tamen missæ celebrationem, juxta rubricas ». Quænam autem sint hæ rubricæ superius jam vidimus. Probatur etiam ex responso S. C. R. dato *in Bergomen.* 18 Aug. 1884 : Quærenti enim utrum, tempore feriato elapso, ad benedictionem impertiendam conjugibus qui eam (illo tempore) non obtinuerunt, celebranda sit missa *pro sponso et sponsa,* cum eodem pro his valituro indulto, quod stat pro cæteris, qui ad nuptialem benedictionem suscipiendam accedunt tempore non feriato, vel utrum eligi debeat, pro dicta missa celebranda, dies

quo missæ votivæ permittuntur etc. respondet S. C. R.: « satis provisum per memoratum decretum generale (S. Inquis. 31 Aug. 1881), in quo edicitur missam *in casu* esse celebrandam juxta rubricas. »

5° Decretum S. C. Inquisitionis 1 Sept. 1841 quod declarat sacerdotem non teneri missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam recipiat, insuper rescribit : « licite matrimonium contractum coram parocho benedici ab alio sacerdote de consensu parochi vel ordinarii » ; et « in eadem missa posse sacerdotem plures sponsos benedicere. » Ideo necessarium non est in casu, ut sacerdos pluries benedictionis orationes recitet, sed sufficit ut semel eas dicat, nec illas immutare debet, sed prout in missali jacent recitabit. (Ephemer. liturg. anni 1893, p. 542). Juxta dec. S. C. R. 21 Martii 1874, benedictio nuptialis fieri potest etiam in casu, ubi sponsi infra missam sacram Communionem non perciperent.

Ex his omnibus concludendum videtur curandum esse parochis, ut juxta mentem Ecclesiæ, nuptiæ, exceptis excipiendis, benedicantur ritu ab ea instituto et servato. « Etiamsi, ait Ill^mus Vander Stappen, (*Tract. de administr. sacram.* tit. VII, art. 3), juxta ritum peculiarem diœcesis... matrimonia jam speciali benedictione benedicantur, curandum tamen est ut, quantum fieri potest, fideles benedictionem solemnem infra missam suscipiant, cum S. Sedes hujus susceptionem universim, absque distinctione locorum, urgeat. »

H. V. D. W.

Dispensatio matrimonialis

super impedimentis dirimentibus publicis cum concubinariis in articulo mortis constitutis.

—

In re matrimoniali celebris est concessio facta a SS. D. N. Leone XIII per S. Officii decretum 20 Febr. 1888.

De mandato Sanctitatis Suæ supremæ congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis proposita fuerat quæstio expendenda respiciens « facultates quibus, urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus *cum iis qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt,* ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiæ rite copulari et propriæ conscientiæ consulere valeant ».

Jamvero, re serio diligenterque ab Eminentissimis Patribus generalibus Inquisitoribus perpensa: « Sanctitas sua benigne annuit pro gratia qua locorum Ordinarii dispensare valeant, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi bene visam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente. Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suæ, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit, removeatur tum inducendo eosdem ut in

loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares pœnitentias, atque eam vitæ rationem, quæ præteritis excessibus redimendis apta videatur, quæque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum. »

Proposito postea dubio : « Utrum Ordinarii in casibus extremæ necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, litteris supremæ Congregationis 20 Febr. 1888 concessam, parochis et universis confessariis approbatis *modo generali* subdelegare valeant, an non » ; — S. Officium fer. 4 die 9 Januarii 1889 respondit : « Supplicandum Sanctissimo ut decernere et declarare dignetur, Ordinarios, quibus memorata facultas præcitatis litteris diei 20 Febr. 1888 data fuit, posse illam *subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora.* » — Eadem feria ac die SS^mus^ D. N. Leo div. prov. PP. XIII in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita benigne annuere dignatus est juxta Eminentissimorum PP. suffragium (1).

Observanda

1° Uti ex tenore illorum documentorum liquide colligitur, possunt Ordinarii facultatem dispensandi, de qua agitur, subdelegare *cuicumque viro ecclesiastico,* PRO CASU PARTICULARI ; at solis *parochis* (i. e. *omnibus, qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis,* uti decrevit eadem Congr. 23 Apr. 1890) illam valent subdelegare HABITUALITER, et quidem cum restrictione ut subdelegatio vim habeat tantum *pro casibus in quibus desit tempus ad Ordinarium recurrendi et periculum sit in mora.*

(1) Utriusque documenti commentarium confecit Planchard ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XX, p. 122 sqq.; t. XXI, p. 370 sqq. — quibuscum cfr. t. XXII, p. 490 sqq.

Præfatam habitualem facultatem parochis suæ diœceseos subdelegavit p. m. Episcopus Brugensis J.-J. Faict his verbis :

« Potestate Nobis facta, per decretum S. Officii 9 Januarii 1889, omnibus diœcesis nostræ parochis subdelegamus potestatem, litteris hujus Congregationis 20 Febr. 1888... concessam, dispensandi cum ægrotis in gravissimo mortis periculo constitutis, super impedimentis quantumvis publicis, matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto S. presbyteratus Ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente ; *sed pro casibus tantum in quibus desit tempus ad Nos recurrendi, et periculum sit in mora.* Dispensationis autem super impedimento publico concessæ quantocius certiores reddamur ». Congr. prosyn. an. 1892.

2° Laudata concessio Pontificia 20 Febr. 1888 facta est unice in favorem moribundorum *qui sive in civili tantum, ut vocant, matrimonio invalido aut alias in concubinatu vivunt* (S. Off. 17 Sept. 1890). Sed comprehendit tam casum quo impedimentum directe non afficit moribundum sed bene valentem, quam quo directe afficit moribundum. (S. Off. 1 Jul. 1891).

3° Usum dictæ facultatis quod attinet, quoties agitur de illis concubinariis, qui ne civili quidem, uti vocant, matrimonio sunt conjuncti, hand parva difficultas in nostris regionibus oritur ex art. 267 codicis pœnalis Belgici :

« Sera puni d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs, tout ministre d'un culte qui, hors les cas formellement exceptés par la loi, procédera à la bénédiction nuptiale avant la célébration du mariage civil.

« En cas de nouvelle infraction de même espèce, il pourra en outre être condamné à un emprisonnement de huit jours à trois mois ».

D'après l'interprétation donnée à cet article par plusieurs tribunaux, voire même par la Cour de Cassation (arrêt du 26 Déc. 1876), les mots *bénédiction nuptiale* ne se réfèrent pas à une cérémonie spéciale du mariage religieux, mais au mariage religieux lui-même. — De

plus, le ministre du culte qui procède à un mariage religieux avant le mariage civil ne peut exciper de sa bonne foi. Le fait matériel, indépendamment de tout élément intentionnel, donne lieu à l'application de la loi. (Cour de Cassation, même arrêt). — Enfin les art. 66 et 67 du Code pénal relatifs à la participation de plusieurs personnes à un même crime ou délit, sont applicables dans l'espèce. (Cour de Cassation, arrêt du 28 Mars 1877).

Quæ cum ita sint, curandum est ut concubinarii dispensandi, antequam matrimonio coram Ecclesia copulentur, prius coram magistratu civili legalem formam observent. Sed, cum de moribundis agitur, res multam moram non patitur : et tamen propter statuta legis civilis nostræ, hæc non ita prompte absolvi poterat ; statutum enim :

« Avant la célébration du mariage, l'officier de l'Etat civil fera *deux publications, à huit jours d'intervalle, un jour de dimanche,* devant la porte de la maison commune... (Code civ. art. 63). — Un extrait de l'acte de publication sera et restera affiché à la porte de la maison commune pendant les huit jours d'intervalle de l'une à l'autre publication. *Le mariage ne pourra être célébré avant le troisième jour, depuis et non compris celui de la seconde publication* (art. 64). — Une loi récente, celle du 26 Déc. 1891, a modifié les dispositions des art. cités comme suit : « Art. 1. Avant la célébration du mariage, l'officier de l'Etat civil fait *une publication, un jour de dimanche,* à la porte de la maison commune... Art. 2. L'acte de publication reste affiché à la porte de la maison commune. *Le mariage ne peut être célébré avant le dixième jour depuis et non compris celui de la publication.* »

Nunc tamen, favore ejusdem legis 26 Dec. 1891, art. 7, major facta est rei expediendæ facilitas ; fert enim : « Le procureur du roi près le tribunal de première

instance, dans l'arrondissement duquel les impétrants se proposent de célébrer leur mariage, *peut dispenser, pour des causes graves, de la publication et de tout délai.* »

Igitur, obveniente casu, quo concubinarii, in mortis periculo constituti, non sint juxta civiles leges conjuncti et velint conscientiæ suæ consulere per matrimonium in faciem Ecclesiæ contrahendum, omni cura satagat parochus ut quamprimum obtineatur præfata procuratoris regii dispensatio, atque sic dictum matrimonium civile tempestive celebretur ; quatenus dein tuto ipse cum duobus testibus eorum matrimonio vero seu religioso præesse valeat.

Hic addere juvat nonnulla excerpta ex libello : *Guide pratique de l'officier de l'Etat civil,* par A. ROLAND, juge au Trib. de 1re Instance à Gand — et TH. WOUTERS, Substitut du Procureur du Roi à Gand (1) :

« Les personnes, qui désirent obtenir cette dispense (de l'art. 7 de la loi du 26 Déc. 1891, cité ci-dessus) doivent s'adresser *par requête sur timbre,* à moins d'indigence constatée, au Procureur du Roi près le tribunal dans l'arrondissement duquel le mariage doit être célébré... La dispense ne peut être accordée que pour des causes graves. Tels sont notamment les cas où une naissance hors mariage est imminente, où l'un des futurs époux est en danger de mort et désire régulariser une union illégitime, où il existe un ou plusieurs enfants à légitimer par le mariage. » (Supplément 1895, p. 32).

« C'est en règle générale, à la *maison communale,* que le mariage doit être célébré. On admet aussi qu'il peut l'être, par exception, *au domicile des parties* pour des motifs légitimes, par exemple dans le cas d'un mariage *in extremis,* ou lorsqu'une des parties est dans l'impossibilité absolue de se transporter à la maison commune. — Mais il faut toujours que le mariage soit célébré *publiquement,* c'est-à-dire portes

(1) Gand, librairie générale de Ad. Hoste, éditeur, rue des Champs, 47.

ouvertes, car la publicité est un élément essentiel de la célébration du mariage...

Le mariage doit être célébré en présence de *quatre témoins*, parents ou non parents. C'est encore pour assurer la publicité que la loi établit cette prescription. — Les témoins doivent réunir les conditions requises pour l'assistance aux actes de l'Etat civil en général. (Art. 37, C. c.) » — (Edit. 1891, p. 169 sv.)

H. V. D. B.

Consultationes

1. Quæritur utrum liceat exponere SS. Sacramentum in ciborio, quod nonnisi *reliquias* hostiarum continet?

Resp. Si vel una tantum hostia consecrata continetur in pyxide, certe sufficit ut fiat expositio (privata) et detur benedictio ; si autem pyxis non continet nisi parva fragmenta Hostiarum, auctores (Ill. Vanderstappen : *De celebratione Missæ,* lib. II, sect. 3, app. VIII, § 3 ; De Herdt, Tom. I, nº 282) docent nullam deberi reverentiam et sacerdotem non facere ratione eorum consuetas genuflexiones præscriptas ad Pyxidis aperitionem etc. ; sicut etiam in die Nativitatis, quando sacerdos tres consecutive missas celebrat, post communionem primæ missæ, in transitu ante calicem non purificatum, omittuntur genuflexiones, quamvis forte aliquid SS. Sanguinis in calice remanserit. Ex quo concludendum est, a fortiori non posse fieri expositionem et dari benedictionem cum sacra pyxide, in qua non nisi parva fragmenta hostiarum remaneant.

—

2. An ad impositionem thuris sub missa debet thuriferarius genuflectere in suppedaneo ?

Resp. Juxta auctores thuriferarius semper stans ministrat thuribulum, sive SS. Sacramentum sit exposi-

tum, sive non, et quicumque sit celebrans, nisi sit Episcopus proprius. (De Herdt, *Sacræ liturg. prax.*, tom. II, nº 14; et *Praxis Pontif.*, lib. I, cap. II, nº 76; Ill. Vander Stappen, *Cæremoniale, ser. I, cap. II, nº 9 et cap. VII, nº 4.*)

—

3. Debetne celebrans genuflectere antequam incenset crucem altaris ?

Resp. Missale *In ritu celebrandi missam,* tit. IV, nº 4, ita habet: « Qui (celebrans) facta cruci profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens, et facta iterum cruci reverentia incensat altare : » et nº 6 « Si in altari fuerit tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit (celebrans), quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris. »

Ex textu ergo rubricarum sequitur celebrantem debere genuflectere, si in altari habetur tabernaculum SS. Sacramenti, profundam tantum reverentiam facere, si non habetur.

Insuper notare juvat, exposita in altari reliquia S. Crucis (vel alterius instrumenti Dominicæ Passionis), celebrantem eodem modo se gerere ac si celebraret coram tabernaculo SS. Sacramenti, ideoque ante et post incensationem crucis et in transitu genuflectere debere.

H. V. D. W.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cf. supra p. 57 sqq.)

Ex antea dictis jam simul elucet quo animi affectu hujusmodi studiis nostris incumbere nos deceat, quod alio in loco (1) declarat idem Lessius, dicens : « Inter ea quæ homini in hac vita maxime debent esse curæ, primum merito locum tenet cognitio Divinitatis ; eaque non perfunctoria vel aridæ cujusdam speculationis, sed accurata, illustris et efficax, quæ vim suam etiam in affectum et omnes animæ vires diffundat. Ex hac enim omne bonum animi, omnisque salutaris dispositio, qua ad perfectionem et vitam æternam sublevamur, tamquam ex uberrimo fonte promanat ; et sine hac frustra ad sublimem perfectionis gradum contendas. Quam ob causam Sapiens notitiam Dei vocat *justitiam consummatam* seu perfectam ; nimirum quia justitia consummata ex illa notitia, sicut ex luce calor, ex vita motus, et ex pulchri visione amor, nascitur.

Hinc Apostoli, accepto Spiritu sancto, quo mirabiliter circa Divinitatem et humanitatem Christi illustrati fuere, momento temporis plus perfectionis adepti sunt, quam nos in nostris tenebris tota vita consequi possimus : et beatissima Virgo, ob eximiam qua donata est Divinitatis notitiam, statim perfecta fuit ; adeo ut non solum peccatum ullum veniale non commiserit, sed neque ullum opus imperfectum, seu tepidum, languidum, vel adiaphorum admiserit. Simili modo (et quidem excellentiori ac sublimiori) omnes justi post hanc vitam, simul atque lumine gloriæ, quo Divinitatem clare cognoscent, illustrati fuerint, subito in omnibus animæ viribus perfectissimi evadent.

Quicumque ergo ad insignem perfectionis ac sanctitatis gradum in hac vita adspirat, hoc maxime curare debet, ut altissimam et clarissimam, quantum homini fas est, Divinitatis ac divinarum perfectionum notitiam assequatur : hac

(1) De perfectionibus moribusque divinis. Epistola dedicatoria.

enim semel obtenta, facile et cum magna etiam voluptate mundum despiciet, carnem domabit, justitiam colet, divina præcepta et consilia servabit, et Christi Domini nostri vitam imitabitur. Tantum enim in Deo boni, tantum solatii et gaudii inveniet, ut cætera omnia nihili æstimet, dicatque cum Propheta : *Quid mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum. (Psal. 72).* Per hujus notitiæ lucem vilescent omnes honores, omnes opes, omnes carnales voluptates, et quidquid mundus admiratur et prosequitur ; nihilque menti in pretio erit præter Deum, et quod Deo charum.

Notitiæ Divinitatis conjungenda cognitio humanitatis Christi, et perfectionum illius. Ipsa enim est speculum omnis sanctitatis, in eaque clarissime relucet omnis perfectio quæ ex consideratione Divinitatis et perfectionum divinarum colligi potest, quod insinuat Dominus cum ait : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (Joan. 17). Ubi utramque notitiam requirit, quam dicit esse *vitam æternam,* quia est unica ad vitam æternam via, eamque quodammodo ex se parit. Potest autem hæc notitia dupliciter haberi : modo communi per fidem, et sic est necessaria omnibus justis ; et modo excellenti, nempe cum fidei accedit donum sapientiæ : qua ratione etsi non sit absolute necessaria ad salutem, est tamen necessaria ad perfectionem et insignem sanctitatis ac gloriæ gradum consequendum. Et quamvis hoc illustre donum sapientiæ potissimum illustratione divina proveniat, quæ idcirco oratione et vitæ puritate nobis assidue procuranda est ; tamen ordinarie ad hoc etiam opus est studio et meditatione nostra. Illa enim dona cœlestia, ad quæ aliquid conferre animumque disponere potest industria nostra divinæ gratiæ auxilio adjuta, Deus sine nostra cooperatione conferre non consuevit ; nisi quibusdam peculiari favore ad eximium aliquod munus, quod statim magnam animi perfectionem et sapientiæ sanctitatisque excellentiam postulet, electis, sicut in beata Virgine et Apostolis usu venit. »

Aliud monitum de studiis hisce nostris bene ordinan-

dis addit, idem doctus ac pius auctor Lessius (1): « Cum Dei notitia, sui consideratio est conjungenda, ut, perspecta utriusque distantia, hinc sua imperfectione ac tenuitate, inde Dei perfectione ac majestate, quid cuique tribuendum sit, depulsis proprii amoris tenebris, clarissime cognoscat. Ex mutua enim illa humanæ humilitatis ac divinæ celsitudinis compositione, quid officii sui ratio tum erga Deum tum erga seipsum postulet, facillime cognoscetur. A nobis malum habemus, et imperfectionem ; a Deo omne bonum, et omnem perfectionem. Quapropter omnis amor Dei bonitati debitus, omnis honor perfectioni ; nostræ vero malitiæ pœna, vilitati contemptus. »

Omnia hucusque exposita cum sæpius jam mente revolvissem, ad opus me accinxi ut in gratiam dilecti cleri mei et cum ipso percurrerem in hisce meditationibus universam theologiam proprie dictam seu sermonem de Deo, maximam intuens pro nostris nobisque commissis animabus inde hauriendam utilitatem; ita autem hoc exequi statui ut, transultis argumentorum et disputationum vepribus ac systematum opinionumque tricis, cum summa mentis admiratione ac cordis suavitate contemplari liceat tum Deum ipsum, quantum sinit hæc vita mortalis, tum ordinem a Deo constitutum ejusque Providentia duce sese evolventem, uno veluti conspectu jucundissimo. Igitur in decursu harum meditationum theologicarum præprimis divina Majestas elucebit, mirabilisque nexus dogmatum ac totius ordinis a Deo statuti pulchritudo apparebit, in specie patebit fundamenti ac cardinis instar esse mysterium SS. Trinitatis in intelligendis ac penitus scrutandis reliquis dogmatibus et universim toto ordine supernaturali. Denique, quæstiones nova luce offundi dignæ proponentur studio theologorum. Nam, ut et hoc obiter animadvertamus, quamquam nefas est cogitare de novis verbo Dei revelato addendis, nova tamen singulis

(1) In præfatione ejusdem opusculi.

quibusque, ingenio licet perspicacissimo, vastissimo præditis, manent investiganda in altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, in judiciis inscrutabilibus, viisque investigabilibus ejus ; imo, et scientia humana progrediente, novæ oriuntur quæstiones theologicæ, quarum solutio et verbo Dei revelato et scientiæ humanæ illustrandis haud parum conferre possunt.

Post longam præfationem, sequetur brevis introductio ordinem dicendi indicans.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis

I

Ex Genesi XI, 1-9, demonstra genus humanum non per animorum discordiam, sed per linguæ confusionem, e terra Sennaar in universas terras dispersum fuisse.

II

Explica Matth. X, 39 : *Qui invenit animam suam, perdet illam : et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

III

In quo consistit essentia Dei ? Explica et proba responsum.

IV

Quid requiritur ut effectus ex actione vel omissione sequens sit voluntarius ? An et quandonam licet ponere causam quæ duos effectus habet, unum bonum, alterum malum ?

V

An et quo sensu potest voluntas pati violentiam? Explica responsum.

VI

Quænam veritates explicite credendæ sunt *necessitate medii* ad justificationem; et quomodo agendum cum pœnitentibus fidei articulos ignorantibus?

Evangelia dominicarum

homilitice explicata

DOMIN. RESURRECT. Marc. XVI, 1-7.

Te dien tijde 1. kochten Maria-Magdalena, en Maria *de moeder* van Jacobus, en Salome reukwerken, om Jesus te gaan zalven. 2. En zeer vroeg op den eersten dag der week kwamen zij aan de grafstede, toen de zon reeds opgestaan was. 3. En zij zeiden tot elkander: Wie zal ons den steen van den ingang der grafstede afwentelen? 4. En opziende, zagen zij dat de steen afgewenteld was; want hij was zeer groot. 5. En in de grafstede ingegaan zijnde, zagen zij eenen jongeling ter rechterzijde zitten, bekleed met een wit gewaad; en zij verschrikten. 6. Maar hij zei tot haar: zijt niet ontsteld! Gij zoekt Jesus den Nazarener, den gekruiste: hij is verrezen, hij en is hier niet; ziedaar de plaatse waar zij hem geleid hebben. 7. Maar gaat, zegt aan zijne leerlingen en aan Petrus, dat hij u voorgaat naar Galilea; aldaar zult gij hem zien, gelijk hij u gezeid heeft.

Waarom moest Christus verrijzen?

« Necessarium fuit Christum resurgere, propter quinque. Primo quidem *ad commendationem divinæ justitiæ,* ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant, secundum illud Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Quia igitur Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem... Secundo, *ad fidei nostræ instructionem,* quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi, quia, ut dicitur II ad Cor. ult. 4 : *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Et ideo ad Corinth. XV, 14, dicitur : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra...* Tertio *ad sublevationem nostræ spei,* quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos. Unde dicitur I ad Corinth. XV, 12 : *Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et Job XIX, 25, dicitur : *Scio,* scilicet per certitudinem fidei, *quod redemptor meus,* id est, Christus, *vivit* a mortuis resurgens ; et ideo *in novissimo die de terra surrecturus sum : reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quarto, *ad informationem vitæ fidelium,* secundum illud Rom. VI, 4 : « *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris ; ita et nos in novitate vitæ ambulemus ;* » et infra : « *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.* » Quinto, *ad complementum nostræ salutis,* quia sicut per hoc quod mala sustinuit humiliatus est moriendo, ut nos liberaret a malis ; ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud Rom. IV, 25 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* » S. Thom. *Summ. theol. p. III, q. 53, art. 1.*

Aanmerkingen.

De verrijzenis van Jesus is:

1. De loon van zijne nederigheid, gehoorzaamheid en lijdzaamheid. Zie Luc. XXIV, 26, 46; Philipp. II, 8-11; Hebr. II, 9.

2. Een doorslaande bewijs van de goddelijkheid zijner zending en leering, en vervolgens eene klaarblijkende bevestiging van ons geloof: « Ex rei natura et in se considerata certe Christi resurrectio ex mortuis est prodigium summum, signumque splendidissimum et peremptorium ad demonstrandam veritatem religionis, quam Dominus prædicabat. Sed directe etiam ipse hoc miraculum elegerat, veluti summam confirmationem et argumentum ineluctabile missionis suæ, eorumque quæ fecit et docuit. Hæc resurrectio in vetere fœdere erat præfigurata et prænuntiata, ipseque Salvator pluries illud miraculum prædixit, ita ut resurrectio Christi simul vaticinii ipsius sit impletio. Quumque Pharizæi increduli ac veritati resistentes ad libitum suum portenta a Christo postulant, indignis eadem Dominus recusat, sed provocat ad resurrectionem suam uti ad ultimum et solemne signum, cui qui restiterit eo ipso suam iniquitatem et obstinationem summam ostendat... Apostoli vero erant hujus facti testes electi et divinitus præordinati, atque ut tales se exhibent. Resurrectionem Christi igitur ipsi prædicant ut compendium et confirmationem supremam et peremptoriam religionis quam Dominus instituit, ac veritatem suæ testificationis et prædicationis multiplicibus prodigiis demonstrant » Jungmann, *de vera Religione*. Zie Ps. XV, 10; Matth. XII, 40; XVI, 4; Luc. XI, 29; Jo II, 19; Act. II, 24-28; I Cor. XV, 14.

3. Een zinnebeeld en een onderpand van onze toekomstige verrijzenis. Zie Job XIX, 25; I Cor. XV, 12 (hierboven), alsook Rom. VIII, 11 « *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui*

suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis »; I Cor. XV, 20. « *Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium,* etc.; » Philip. II, 21. « *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* »; I Thess. IV, 12-15 « *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo... mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi* »; II Cor. IV, 14. « *Qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit* »; Tertull. *(de resurrect. carn. 1):* « Fiducia christianorum, resurrectio mortuorum » ; Præfat. Pasch.: « Mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit ».

4. Eene werktuigelijke oorzake en een voorbeeld van onze geestelijke verrijzenis. Zie hierboven Rom. VI, 4: *Quomodo... ambulemus;* vv. 9-11: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate... viventes autem Deo* »; Rom. IV, 25. « *Resurrexit propter justificationem nostram* » ; Col. II, 12. « *Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis* »; 13. « *Et vos cum mortui essetis in delictis... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta* » ; III, 1. « *Si consurrexistis cum Christo: quæ rursum sunt quærite... 5 mortificate ergo membra vestra etc.* » ; I Petri IV, 1-4 « *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis: ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem* ».

Slotrede.

1. Denken wij dikwijls, om ons te troosten en onzen moed op te beuren, aan de verrijzenis des vleesch.

2. Bemerken wij wel dat deze alleen aan Jesus' heerlijke verrijzenis deelachtig zullen zijn (heel klaar en schoonklinkend... onlijdelijk), die geestelijk verrezen zijn, die met den Geest van Jesus bezield zijn (Rom. VIII, 11), die in Christus zijn (I Thess. IV, 15), die den ouden man afleggen, en den nieuwen aandoen (Eph. IV, 22-24), die, naar Jesus' voorbeeld, henzelven vernederen, en aan God tot de dood toe gehoorzamen (Phil. II, 8). De weg tot de heerlijkheid is voor ons, gelijk voor Jesus, de ootmoedige gehoorzaamheid en de lijdzaamheid (Rom. VIII, 17).

3. De Paaschtijd is voor al de christenen een tijd van geestelijke verrijzenis tot een nieuw en beter leven, en vervolgens ook een tijd van geestelijke vreugde. Luisteren wij dus naar de ernstige vermaning van den Apostel, in den Epistel van dezen Hoogdag: « *Broeders, zuivert den ouden zuurdeesem weg* (de ondeugden van uw voorgaande leven), *opdat gij een nieuwe deeg moogt zijn, gelijk gij ongedeesemd zijt; want, ja, ons Paaschlam Christus, is geslacht. Zoo laat ons dan* FEEST-*maal houden, niet met den ouden zuurdeesem, noch met zuurdeesem van boosheid en slechtheid, maar met ongedeesemde* BROODEN *van reinheid en waarheid.* » I Cor. V, 7, 8. Zie daarover Beelen. Dat iedereen dus van ons moge zeggen: *hij en is hier niet* (in het graf der zonde), *hij is verrezen, gelijk hij* vast besloten en *gezeid heeft.*

DOMIN. IN ALBIS. Jo. XX, 19-31.

—

Dubbele verschijning van Jesus aan zijne Apostelen.

Te dien tijde, 19. toen het avond was op dien dag, den eersten dag der week, de deuren gesloten zijnde, waar de leerlingen vergaderd waren uit vreeze van de Joden, kwam Jesus en stond in het midden, en zei tot hen: Vrede zij ulieden! 20. En dat gezeid hebbende, toonde hij hun zijne handen en zijne zijde. De leerlingen dan waren verblijd, als zij den Heere zagen. 21. Hij zei dan wederom tot hen: Vrede zij ulieden! Gelijk de Vader mij gezonden heeft, zoo zende ik u. 22. Als hij dat gezeid had, blies hij op hen, en zei tot hen: Ontvangt den Heiligen Geest; 23. wier zonden gij vergeven zult, dien worden zij vergeven, en wier *zonden* gij zult houden, dien zijn zij gehouden.

24. Thomas nu, één van de twaalf, Didymus geheeten, en was bij hen niet toen Jesus kwam. 25. De andere leerlingen zeiden dan tot hem: Wij hebben den Heere gezien! Doch hij zei tot hen: Indien ik in zijne handen de gaten der nagelen niet en zie, en mijnen vinger niet en steke in de plaatse der nagelen, en mijne hand niet en steke in zijne zijde, 'k en zal 't niet gelooven. 26. En na acht dagen waren zijne leerlingen wederom binnen, en Thomas met hen. Jesus kwam, terwijl de deuren gesloten waren, en stond in het midden, en zei: Vrede zij ulieden! 27. Daarna zei hij tot Thomas: Breng uwen vinger hier, en bezie mijne handen, en breng uwe hand en steek ze in mijne zijde; en wees niet ongeloovig, maar geloovig! 28. Thomas antwoordde, en zei tot hem: Mijn Heer en mijn God! 29. Jesus zei tot hem: Omdat gij mij gezien hebt, Thomas, hebt gij geloofd; zalig *zijn zij* die niet gezien, en toch geloofd hebben.

20. Jesus heeft vóór de oogen zijner leerlingen nog

wel veel andere teekenen gedaan, die in dezen boek niet geschreven zijn; maar deze zijn geschreven, opdat gij zoudt gelooven dat Jesus de Christus, de Zoon Gods is; en opdat gij, geloovende, het leven zoudt hebben in zijnen naam.

* * *

Aanmerkingen

1. Wegens de verscheidene verschijningen van Jesus na zijne verrijzenis, zie a Lapide, Van Steenkiste, S. Thom. S. Th. p. III, q. 55, a. 3.

2. Die verschijningen waren genoegzaam om de *waarachtigheid* en de *heerlijkheid* zijner verrijzenis te bewijzen.

« Argumenta fuerunt sufficientia ad ostendendam *veram* resurrectionem et *gloriosam.*

Quod autem fuerit *vera* resurrectio, ostendit uno modo *ex parte corporis;* circa quod tria ostendit: primo quidem quod esset corpus *verum et solidum,* non corpus phantasticum vel rarum, sicut est aer. Et hoc ostendit per hoc quod corpus suum palpabile præbuit; unde ipse dicit Luc. ult. 39: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Secundo ostendit quod esset corpus *humanum,* ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. Tertio ostendit eis quod esset *idem numero* corpus quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices; unde, ut legitur Luc. ult., 39, dixit eis: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.*

Alio modo ostendit eis *veritatem* suæ resurrectionis *ex parte animæ* iterato corpori unitæ. Et hoc ostendit *per opera triplicis vitæ:* primo quidem per opus vitæ *nutritivæ* in hoc quod cum discipulis suis manducavit et bibit, ut legitur Luc. ult. Secundo per opera vitæ *sensitivæ* in hoc quod discipulis ad interrogata respon-

debat, et præsentes salutabat ; in quo ostendebat se et videre et audire. Tertio per opera vitæ *intellectivæ* in hoc quod eis loquebatur, et de Scripturis disserebat. Et ne quid deesset ad perfectionem manifestationis, ostendit etiam se habere divinam naturam per miraculum, quod fecit in piscibus capiendis, et ulterius per hoc quod eis videntibus ascendit in cœlum : quia, ut dicitur Joan. 3, 13, *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

Gloriam etiam suæ resurrectionis ostendit discipulis per hoc quod ad eos *januis clausis intravit*... Similiter etiam ad proprietatem gloriæ pertinebat, quod *subito ab oculis eorum evanuit,* ut dicitur Luc. ult., quia per hoc ostendebatur quod in potestate ejus erat videri et non videri ; quod pertinet ad conditionem corporis gloriosi, ut supra dictum est, qu. 54, art. 1 ad 2, et art. 3 ad 1. » S. Thom. *Sum. Theol. p. III, q. 55, art. 6.*

3. Christus en moest na zijne verrijzenis niet gestadig met zijne leerlingen verkeeren : « Circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, scilicet ipsa veritas resurrectionis et gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam sufficit quod pluries eis apparuit, et cum eis familiariter est locutus, et comedit et bibit, et se eis palpandum præbuit. Ad gloriam autem resurgentis manifestandam noluit continue conversari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat (mortalem)... Consolationem autem de continua sui præsentia eis in alia vita repromisit. » S. Thom. *S. Th. p. III, q. 55, a. 3.*

4. De traaggeloovigheid van de Apostelen, bijzonderlijk van Thomas, (Marc. XVI, 10, 13, 14 ; Luc. XXIV, 11, 25, 41 ; Jo. XXI, 25) vermeerdert het gezag van hunne getuigenis : « Numquid casu gestum creditis ut electus ille discipulus (Thomas) tunc deesset (cum Jesus primum apparuit Apostolis), post autem veniens

audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet ? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna Clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret incredulitatis. *Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit...* » S. Greg., *Hom. 26 in Ev.*

5. Gelukkig die Jesus gezien en in hem geloofd hebben ! *maar gelukkiger nog die in hem gelooven zonder hem gezien te hebben* (Jo. XX, 29): want hun geloof is verdienstelijker, en heeft meer van den eigenen aard van het geloof, dat *eene overtuiging is van dingen die niet gezien en worden* (Hebr. XI, 1.) « Quid est fides ? credere quod non vides » S. Aug. « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum » S. Greg., *Hom. 26 in Ev.* Wij en moeten dus de Apostelen hun geluk niet benijden van Jesus na zijne verrijzenis gezien te hebben.

Zedelessen

1. Eerste vrucht: versterking en vermeerdering van geloof. Vragen wij dat aan Jesus, zeggende, gelijk de vader van den bezetenen zoon: « *Ik geloof, Heere, kom mijn ongeloof ter hulp* » (Marc. IX, 23); en vastelijk belijdende, gelijk Thomas, dat Jesus waarlijk *onze Heer en onze God is.*

2. De eerste vrouw waaraan Jesus verschenen is, was eene bekeerde zondares, Maria-Magdalena, waaruit Jesus zeven duivels gejaagd had (zie Marc. XVI, 9, alsook het zielroerend verhaal van Jo. XX, 14-18), maar die nu uitmuntte in liefde tot Jesus, Luc. VII, 17; insgelijks was de eerste man waaraan hij verschenen is, een bekeerde zondaar, de H. Petrus, (Luc. XXIV, 34; I Cor. XV, 5), die Jesus zoo schandelijk verloochend

had, maar die hem nu meer dan de andere Apostelen liefhad (Jo. XXI, 15). Welke aanmoediging voor de nieuwbekeerden, om boven al de anderen in liefde tot Jesus uit te munten, en alzoo hun voorgaande zondig leven te herstellen !

3. Jesus is eerst aan de vrouwen verschenen (eerst aan Maria-Magdalena, en dan aan al de vrouwen te zamen (Matth. XXVIII, 9), omdat zij hem eerst gezocht en hem meest genegenheid getoond hadden : « Primæ viderunt et cognoverunt, quæ ardentius dilexerunt, quæ devotius quæsierunt » Ps. Cypr., *Serm. de Resurr.* « Quæ sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obvium habere Dominum resurgentem, et primum audire Avete, ut maledictum Hevæ mulieris in mulieribus subverteretur ». S. Hieron. Welke prikkel voor ons allen om Jesus vooruit en vooral, altijd en overal te zoeken, en hem aldus onze genegenheid met der daad te betoonen !

4. Na de drie eerste verschijningen (aan Magdalena, aan de vrouwen, aan Petrus) is Jesus op den dag zelve zijner verrijzenis nog tweemaal verschenen : aan de twee leerlingen van Emmaüs, en aan al zijne Apostelen, uitgenomen Thomas (Luc. XXIV, 13-35 ; Jo. XX, 19-24). In zijne vierde verschijning erkenden hem zijne leerlingen *in het breken des broods ;* en in de vijfde, gaf hij aan zijne Apostelen de macht om de zonden te vergeven. De biecht en de H. Communie zijn de twee groote middels om het bovennatuurlijk leven der ziel en de liefde Gods te bekomen, te vermeerderen en tot het einde toe te bewaren.

6. Jesus heeft op alle wijzen doen blijken dat hij waarlijk en heerlijk verrezen was. Alzoo ook moeten de nieuwbekeerden, door geheel hunnen handel en wandel, zonder menschelijk opzicht, doen blijken dat zij waarlijk tot het heerlijk leven der heiligmakende gratie, en tot den edelen dienst van God verrezen zijn.

7. Na zijne verrijzenis is Jesus alleenlijk verschenen aan zijne leerlingen en vrienden « *niet aan het gansche volk, maar aan getuigen, door God* daartoe *voorbeschikt.* » Act. X, 41. Dat de nieuwverrezenen hen ook voegen naar de schikking en den wil van God, en wel toezien met wie zij voortaan verkeeren! Dat zij alle slechte gezelschappen, en in 't algemeen alle naaste gelegenheden van zonde schouwen, wel wetende dat deze *die 't gevaar bemint, erin zal vergaan.* (Eccl. III, 27).

8. « *Wij weten dat Christus, nadat hij opgestaan is uit de dooden, niet meer en sterft: de dood en zal over hem niet meer heerschen... Zoo ook gij, bedenkt dat gij dood zijt voor de zonde, maar Gode levend in Christus Jesus onzen Heer.. Dat de zonde dan niet* MEER *en heersche in uw sterfelijk lichaam, zoodat gij aan zijne begeerlijkheden zoudt gehoorzamen...* » Rom. VI, 8-14. Volherdt dus: « *Weest tot de dood toe getrouw, en ik,* zegt Jesus, *zal u de kroon des levens geven... Die overwonnen heeft, en zal van de tweede dood* (de eeuwige verdoemenis) *niet beschadigd worden.* » Apoc. II, 10, 11.

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

—

Contemplatio sacerdotis recens defuncti super lectum funebrem expositi

—

Ecce jacet ibi corpus ejus *exanime:* ubinam anima? ivit in domum æternitatis... Pro ipso *tempus non ertt amplius:* utinam tempore fideliter et diligenter fuerit usus ad sibi præparandam æternitatem beatam!

Corpus *rigidum est, membrorum ac sensuum usu destitutum.* Felix ille sacerdos, si sensus et membra adhibuerit tanquam instrumenta virtutis et bonorum operum, eaque sancta mortificatione præparaverit in resurrectionem gloriosam! Væ autem illi si ea converterit in instrumenta peccati!...

Brevi fit *fœtidum et ad corruptionem festinat,* ideoque cito erit removendum atque sepulturæ tradendum in escam vermium. — Quam igitur insipienter egit ille, si corpori fuerit blanditus deque ejus venustate aut vigore gloriatus! Nunc enim apparet quam vana sint ista et quam cito evanescant; nunc apparet quam vere dixerit Isaïas: *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Profecto qui corpori servit vanitati servit!

Interim jacet ibi *indumentis sacerdotalibus indutum.* Repræsentant illa exterius characterem sacerdotalem animæ presbyteri impressum, quocum hæc jam coram tribunali Dei comparuit, villicationis suæ rationem strictissimam redditura: in æternum characterem illum geret sive in gloriam sive in confusionem sempiternam...

Præ manibus tenet imaginem *Christi crucifixi,* cujus prædicator exstitit: beatus autem si non verbis tantum sed et vitæ exemplis Jesum crucifixum prædicaverit, atque ipsemet *Christo confixus fuerit cruci, nec gloriatus fuerit nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* mundo mortuus et a mundo despectus! Nunc cum Christo, qui cruce sua mundum devicit, in gloria cœlesti triumphum ageret... Væ autem illi si mundi partes secutus ipsemet peccatis suis Christum denuo crucifixerit, nec per pœnitentiam in sanguine Christi crucifixi misericordiam divinam sibi conciliaverit!

Ad caput et ad pedes positæ *candelæ accensæ super candelabra:* talis ipse esse debuit, *lucerna* scil. *super candelabrum posita, lucens omnibus qui in domo sunt;* lucerna doctrina lucens et charitate ardens: felix *si multos erudiverit ad justitiam!* fulgebit sicut stella in perpetuas æternitates; felix si zelo apostolico fervens laboraverit multum in vinea Domini, sese impendens et superimpendens pro gloria Dei et salute animarum! mercedem magnam nimis servis bonis et fidelibus promissam in tuto repositam habens jam intravit vel mox ingredietur *in gaudium Domini sui.* Ast væ illi si *lucerna sub modio abscondita* fuerit, negligens docere animas sibi commissas in *verbo sano;* si *servus piger* fuerit fodiens talentum suum in terra, nec inde fructum referens!...

Veniunt amici et noti; paululum orant et recedentes loquuntur ad invicem de sacerdote defuncto. Ut plurimum laudem ejus proferunt, nam generatim *de mortuis nihil nisi bene.* Sed ipsi ad nihil deserviunt laudes istæ; nisi enim apud justum judicem Deum laudem et gloriam sit consecutus, de ipso repeti potest illud: *Condoleo tibi, ubi non es laudaris, et ubi revera es cruciaris.* — Ceterum brevi silebit laus et sacerdos, ubi sublatus fuerit ab oculis tolletur a mente, oblivioni tradetur: imo nunc jam magis loquuntur de successore

quam de ipso defuncto ! Sit igitur semper eadem conclusio : *Vanitas vanitatis et omnia vanitas præter amare Deum et illi soli servire.*

Si lingua defuncti confratris solvi posset, diceret ad te : « Frater mi, tempestive *dispone domui tuæ, quia morieris et tu... Heri mihi, hodie tibi* » !

—

Examen circa pugnam spiritualem adversus triplicem concupiscentiam

—

Militia vita hominis super terram. — Ab unoquoque *bonum certamen certandum, nec coronabitur nisi qui legitime certaverit.* — Inimicus autem maxime nobis adversans et continuo impugnandus intra nos est, ipsa nimirum natura nostra in malum prona ab adolescentia, triplici concupiscentiæ pravæ obnoxia, quæ vocatur a S. Joanne *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ :* in moralibus autem contraria contrariis curantur ; proinde triplici illi vitio opponenda praxis triplicis virtutis contrariæ, *castitatis* nimirum, *paupertatis* et *humilitatis.* — Circa hæc tria examen instituamus.

I. Castitas. — An castitatem magni facio et diligo uti thesaurum inæstimabilis valoris, quo homo angelis evadit similis, Jesu multum amabilis ; tanquam decus et ornamentum præcipuum status sacerdotalis ? — An mihi persuasum est nihil esse castitate delicatius, ac consequenter hanc pretiosissimam virtutem, quam in vasis fictilibus fero, omni sollicitudine ac vigilantia esse custodiendam ? — An igitur quam diligenter et in quantum a me pendet vito quæcumque castitatem meam in discrimen adducere possent ? — An nunquam instituo visitationem periculosam ? — An sedulo caveo ab omni familiaritate cum personis alterius sexus ?... An sensuum portas vigilanter custodio, absque necessi-

tate nunquam aspiciendo, legendo, auscultando, tangendo quæ nata sunt suscitare rebellionem carnis, affectus libidinosos, aut mentem et imaginationem implere cogitationibus et phantasiis indecentibus? — An vito omnem excessum in cibo et potu? — An fugio otium, ita ut diabolus semper me occupatum reperiat? — An novi exercere macerationem corporalem jejunio, abstinentia, labore, vigiliis? — An his omnibus cautelis jungo orationem, frequenter a Deo postulans donum angelicæ puritatis?

Quomodo me gero respectu *tentationum* contra castitatem: nonne præsumens de virtute mea illis quandoque ultro me expono vel saltem de illis vitandis minus sum sollicitus? = An prævisa tentatione, quam evadere nequeo, cum simplicitate et humilitate me commendo Deo, B. M. Virgini, S. Angelo custodi, cavens ab omni perturbatione mentis et animi dejectione? = Orta tentatione, annon ludo cum igne; an vero statim et tranquilla mente elicio actum amoris divini, Deumque oro ut *in adjutorium meum intendat* atque *ad adjuvandum me festinet;* simul etiam invocans protectionem *Reginæ sine labe originali conceptæ, quæ serpentis caput virgineo pede contrivit?* — An conor suaviter avertere mentem a re quam objicit tentatio? = Post tentationem, annon imprudenter, ex scrupulo, reflectere soleo ad objectum tentationis, anxie inquirens utrum consenserim necne, ita ut me iterum tentationis periculo exponam?

II. Paupertas. — An vere sum pauper spiritu, liber ab omni affectu immoderato erga pecuniam, uti summopere decet sacerdotem qui Deum elegit in hæreditatem; ministrum Christi Regis, qui *dives cum esset, pro nobis egenus est factus,* qui in paupertate natus, in paupertate vixit, in extrema paupertate mori voluit? — An mihi est *quæstus magnus pietas cum sufficientia,* ac proinde an *habens alimenta et quibus tegar, his contentus sum?*

— Quod si forte divitiæ affluant, an his cor non appono? an potius cor ita liberum et expeditum a bonis temporalibus servo ut si Deus vellet me iis efficaciter renuntiare, aut me eis privari permitteret, ultro obedirem ac libenter sustinerem? — Nonne quandoque in mea agendi aut loquendi ratione *avaritiæ indicia* exhibeo, qualia sunt: quasi ex industria et continuo loqui ac disserere de valore beneficii proprii aut alieni; — officia ecclesiastica potius ex redditibus ac proventibus inde obvenientibus quam ex fructibus bonorum operum per ea colligendis æstimare, ita ut videar per sacrum ministerium lucrum pecuniæ magis quam lucrum animarum prosequi; — quasi exsultare de pinguiori stipendio percepto aut percipiendo, de funerum aut nuptiarum frequentia etc.; — pauperes charitatem meam implorantes dure repellere aut nonnisi parca et avara manu ac murmurando eleemosynam eis dare; — cum nimia tenacitate aut animi duritie jura mea expetere; — debita tarde solvere; nonnisi parce et ægre operariis mercedem tribuere; — in trita ac sordida veste incedere; — an ista et alia similia sedulo vito, ut vel *speciem* avaritiæ effugiam, nec ullam præbeam occasionem malevolis vituperandi ministerium nostrum, uti non raro faciunt, obloquentes et dicentes a sacerdotibus « omnia propter pecuniam » peragi? = An novi libenter aliquid de meis elargiri in sustentationem pauperum ac bonorum operum, servans aureum consilium Tobiæ: « *Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude?* — Annon, ad excusandum me ab eleemosyna tribuenda, nimium provideo senectuti, non satis confidens paternæ Dei providentiæ?

III. Humilitas. — An maximi facio humilitatem, tanquam *fundamentum* perfectionis et sanctitatis? — An igitur sedulo caveo ab omni superbia, quæ *odibilis*

est coram Deo et hominibus — atque — *initium omnis peccati?* — Annon vane complaceo mihimetipsi, intus glorians de meis dotibus ac talentis, me super alios extollens? — An potius frequenter recogito meum nihilum, mea peccata, ut inde parvam de meipso concipiam ac foveam æstimationem? An quidquid boni in me adverto humiliter et cum gratiarum actione refero ad Deum tanquam omnis boni ac dati optimi auctorem? — Nonne avide quæro laudes hominum v. g. in concionibus aut aliis sacri ministerii exercitiis publicis? An, dum alii me laudant, non extollor, sed Deo tribuo quod in me præclarum reputatur, dicens mente saltem: *Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam?* — Nonne foveo in corde desideria ambitiosa, aspirans ad altiora officia, ad splendidiora ministeria? — An potius *amo nesciri et pro nihilo reputari,* libenter recumbens cum divino meo Magistro in ultimo loco, ubi humilitas mea magis in tuto est? — Nonne facile coram aliis loquor de meis talentis, meritis, præclare gestis, vane ostentans quæ scio aut facio? — Nonne alios alloquor arroganter, absque reverentia... vel sententias meas profero tanquam infallibiles, non patiens contradictionem, fere nunquam aliorum rationibus cedens? An potius in sermone servo omnem modestiam, raro et nonnisi ob veræ necessitatis aut utilitatis rationem de meipso loquens, aliis semper debitam reverentiam exhibens? — Nonne ob quamcumque injuriam mihi illatam facile irritor, aut ob reprehensionem a superiore acceptam vel aliam quamvis humiliationem animo cado, contristor, excusationes prætendo? — An potius novi patienter humiliationes perferre, orans intrà me: *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas;* — culpam commissam ingenue confitens, vel tacendo silentium regale divini Magistri imitans?

* * *

An ad moriendum sum paratus ? — Si hic et nunc mihi moriendum esset, auderemne cum Paulo dicere : *Bonum certamen certavi,* adversus hostes salutis meæ, speciatim adversus concupiscentias pravas naturæ meæ ; *fidem servavi* Deo et Ecclesiæ in baptismo et in ordinatione sacra datam ; *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex ?* — Quid corrigendum in vita mea, ut in morte hoc fiduciæ verbum usurpare queam ? — Quid mihi faciendum aut ordinandum, ut cum animi tranquillitate et securitate mortem exspectare valeam ?

Fabriques d'église

Visite et entretien des édifices du culte

Un des principaux devoirs de la fabrique, c'est « de veiller à l'entretien des églises, presbytères et cimetières » ; et de faire toutes les diligences nécessaires pour que les édifices du culte soient constamment tenus dans un état convenable d'entretien et de réparation, aux frais de qui de droit. Art. 37, 4° du décret du 30 Décembre 1809.

A cet effet, l'article 41 du susdit décret impose aux marguilliers, et spécialement au trésorier, l'obligation de visiter les bâtiments avec des gens de l'art (architectes, entrepreneurs, maitres maçons ou même simples ouvriers intelligents de la localité), au commencement du printemps et de l'automne ; et de veiller à ce que

toutes les réparations dont ils constateront la nécessité, soient bien et promptement faites.

Cette disposition est assez généralement perdue de vue. Trop souvent les marguilliers considèrent la visite des bâtiments comme une simple formalité administrative sans importance ; et de la négligence qu'ils apportent à constater les dégâts survenus et à faire exécuter, en temps utile, des travaux nécessaires, il résulte des dégradations telles que les ressources de l'église ne peuvent plus suffire à couvrir les frais de restauration.

Afin de prévenir cet état de choses et de ne pas occasionner aux fabriques et aux administrations communales des dépenses relativement élevées, les marguilliers doivent s'acquitter soigneusement de la tâche qui leur est imposée par la loi. Ils ne peuvent pas se contenter d'une visite générale et superficielle des bâtiments ; ils doivent en examiner spécialement les parties les plus sujettes à détérioration, et porter une attention toute particulière sur l'état des crépits et la conduite des eaux pluviales, qui sont l'agent le plus actif de la destruction des édifices.

Il importe donc avant tout de prendre toutes les mesures possibles pour combattre, dès le principe, l'infiltration des eaux pluviales, et empêcher ses effets aussi désastreux que progressifs. On ne peut, dans ce but, négliger les moindres défauts dans les toitures, chéneaux, terrasses, corniches, pierres de recouvrement, réservoirs, conduits de décharge, etc. Il faut également éloigner l'humidité du pied des murs, et éviter toute excavation qui pourrait rendre moins résistants les terrains sur lesquels ils sont établis. On ne mettra pas moins de vigilance à empêcher l'eau de pénétrer par les portes, les fenêtres, les abat-vent, etc. En dessous des appuis des fenêtres ou des cordons saillants, il se produit souvent des filtrations occasionnées par des vices de construction. Quand ces

inconvénients se présentent, il y a urgence d'y parer par la pose de larmiers en zinc ou en plomb.

Les murs extérieurs doivent être rejointoyés dès que cela devient nécessaire, attendu qu'il est presque impossible d'assècher une maçonnerie salpètrée par l'humidité. Les végétations parasites, qui se développent dans les joints des pierres ou des briques, contribuant à la ruine des édifices, il faut les arracher complètement, et fermer soigneusement les fissures parfois profondes qu'elles ont formées.

Il faut avoir soin de repeindre, s'il y a lieu, les boiseries exposées aux intempéries de l'air ; et de renouveler, en temps utile, le mastic et les verges de fer qui maintiennent les vitres et verrières.

Tout ce qui contribue à relier entre elles les diverses parties des églises, des tours et des flèches (la charpente, les tirants, les chaines, les voûtes, etc.), mérite aussi un examen tout spécial. On doit examiner si les bois de charpente qui posent sur les murs ou qui sont engagés dans les maçonneries n'éprouvent pas de détérioration grave, et si les pièces de la charpente se maintiennent dans leurs conditions d'assemblage et de résistance.

Enfin on doit veiller à entretenir ou à établir l'accès des combles des édifices. Il est d'une importance incontestable de tenir les escaliers en bon état, et d'établir des passages qui permettent d'atteindre sans difficulté les tours, les cloches et l'extrados des voûtes. Cf. *Coll. epist. past.*, T. X, p. 248 ss.

Nous ne saurions trop engager les marguilliers, et spécialement le trésorier, à faire soigneusement la visite prescrite par l'article 41 du décret de 1809 ; et nous leur conseillons d'en constater les résultats par un rapport rédigé, ou du moins signé, par les gens de l'art qui les ont assistés dans cette inspection. Les intérêts de la fabrique dont ils gèrent le patrimoine, et les

funestes conséquences que leur incurie peut entraîner, exigent qu'ils se pénètrent bien de la grave responsabilité que leurs fonctions leur imposent. Le ministre de la justice, sur l'invitation de la Commission des monuments dans son rapport du 14 Décembre 1878, a rappelé, par circulaire en date du 20 Février 1879, la disposition de l'article 41, et décidé de refuser à l'avenir tout subside pour les travaux de restauration qui seraient nécessités par l'inexécution de cette prescription. D'autre part, il existe certaines décisions judiciaires qui permettront aux intéressés de mieux calculer encore toute l'étendue de l'obligation qui leur est imposée. Voici les circonstances dans lesquelles ces décisions ont été rendues. Un ouvrier ardoisier, chargé de la réparation des toitures de l'église de Saint-Vincent à Soignies, était monté sur une échelle en bois qui tenait lieu d'escalier pour le service intérieur du clocher, et qui était la propriété de la fabrique ; l'échelle, complètement vermoulue, se rompit, entraînant dans sa chute l'ouvrier ardoisier qui reçut de graves lésions et mourut quelques jours après l'accident. La famille du défunt intenta une action en dommages-intérêts aux marguilliers et au trésorier. Le tribunal de Mons, par jugement du 25 Juillet 1890 (*Pasicr.*, 1891, III, p. 67), a décidé que les marguilliers, et principalement le trésorier, étaient personnellement responsables des conséquences de l'inobservation des dispositions légales (art. 41 du décret de 1809), et du défaut de surveillance et d'entretien de toutes les parties des édifices repris à l'article 37 du même décret ; il a déclaré les prévenus passibles des peines éditées par les art. 418 et 419 du Code pénal, parce qu'ils avaient, par défaut de prévoyance ou de précaution, causé involontairement la mort de l'ouvrier, et les a condamnés en outre à des dommages-intérêts en réparation du préjudice causé à la partie civile ; il a

enfin décidé que les marguilliers, et spécialement le trésorier, sont les *préposés* de la fabrique, et, en conséquence, que, par application de l'article 1384 du Code civil, celle-ci était civilement responsable de leur fait. La Cour de Bruxelles, appelée à statuer en appel, a, par arrêt du 21 Octobre 1890, déclaré que la prévention n'était pas suffisamment établie en ce qui concerne les *marguilliers,* parce qu'il n'était pas prouvé « que les prévenus, en s'en rapportant au trésorier pour les soins à apporter à la surveillance et l'entretien du mobilier de la fabrique, auraient manqué aux devoirs de prudence ordinaire que l'on peut raisonnablement exiger de leur part, en raison de leurs fonctions ; » mais elle a maintenu, sauf une modification de chiffre, la condamnation prononcée contre le trésorier, et confirmé tous les *principes* énoncés par le premier juge. Le pourvoi contre l'arrêt de la Cour de Bruxelles a été rejeté par un arrêt inédit du 15 Décembre 1890. Voir *Pasicr.* 1893, II, p. 166 ; *Het Vlaamsch Bestuur,* III, bl. 68 ; IV, bl. 171.

Il est donc établi 1° que la disposition ne l'article 41 du décret de 1809 ne contient pas une simple formalité administrative, mais édicte une obligation grave ; 2° que les marguilliers, et spécialement le trésorier, sont personnellement responsables des conséquences résultant de l'inobservation de cette disposition ; 3° que la fabrique d'église est civilement responsable du fait des marguilliers et du trésorier, qui sont ses préposés.

Ces conclusions démontrent une fois de plus combien il est important pour les marguilliers, et spécialement pour le trésorier, de ne pas négliger la visite des bâtiments, et des autres objets confiés à leurs soins.

C. V. C.

Ex S. C. de propaganda fide

Domino Cardinali Alexandro Taschcrau
Archiepiscopo Quebecensi.

quoad scholas neutras.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Sacra hæc Congregatio Fidei Propagandæ compertum habet quam graves catholicis in Manitoba leges quædam acciderint circa scholarum regimen ab illius Provinciæ Gubernio recens conscitæ. Quod quidem eo magis dolendum evenit, quod rerum conditioni in ea regione favore Catholicorum ex solemnibus pactionibus jampridem constabilitæ refragetur, florentesque ibidem Catholicæ scholæ in discrimen adducantur. — Merito proinde ad tam grave periculum propulsandum eorum Catholicorum patrocinium penes Fœderale Gubernium universi Canadenses Antistites nobilissimis datis litteris susceperunt. Nec violatis Catholicorum juribus atque Episcoporum conatui Fœderalis Gubernii voluntas defuit vel auctoritas. Verum quominus res e sententia succederet, haud levia interjecta obstacula hactenus prohibuere. — Nunc autem quum ex Regii Consilii privati in Anglia data nuper sententia Fœderale Gubernium ad hoc gravissimum negotium pertractandum certa auctoritate muniatur, spei locus est, ut res eo tandem evadat quo firmissima jura, religionis bonum atque ipsius reipublicæ emolumentum postulant. Capessenda tamen alacriter opportunitas, nec eorum Catholicorum tutela deserenda. — Quapropter sacrum hoc Consilium, in re tanti momenti, cohibere vocem non potest, quin erecta jam in id catholicorum ac præsertim Episcoporum Canadensium studia confirmet magisque accendat; ac dum meritis honestat laudibus sedulam in hujusmodi causam jam collatam operam, simul animum addit ut pro viribus incœptum nobilissimum prosequentes, ad felicem exitum perducere adnitantur.

Falso quippe quorundam mentibus ea opinio incessit,

nihil periculi in scholis quas *neutras* vocant adesse, easque sine discrimine a Catholicis pueris posse frequentari. Etenim, aliis omissis eæ quæ neutræ scholæ dicuntur, eo ipso quod ex ambitu suo exclusam una cum aliis veram etiam religionem faciant, gravem huic injuriam inferunt, quum ab illo principe loco deturbatur, quem quum in omni humanæ vitæ consuetudine, tum maxime in juventutis educatione habere debet. — Nec est asserere privata parentum cura huic defectui posse sufficienter suppleri. Id scilicet remedium mali esse tantum ex parte poterit, sed educationis illius sine Deo in scholis traditæ vitium pessimum non excusat. Cui et illud addatur, religionis dignitatem in puerorum existimatione imminui oportere, si illa veluti publico honore carentem intra domesticos parietes relegatam viderint. Quid vero si parentes desidia aut occupationibus impediti, remissius, ut fieri solet, agant: neque extra disciplinam a liberis in scholis habitam, eorum religiosam institutionem, sive per se, sive per alios satis curent?

Quamobrem nihil ferme ad fidem præservandam in populis consultius fieri potest, hoc præsertim tempore quum cam tot errorum procella impetitiam videamus, quam ope Catholicarum scholarum religionem ac pietatem in teneris puerorum animis inserere, excolere et munire, ita ut una cum litterarum rudimentis ac liberalioribus disciplinis christianæ vitæ instituta alte recipiant, firmaque in reliquum vitæ cursum retineant. In id operis qui studia viresque contulerit, is optime meritus de religione fure habeatur.

Porro firmissima hæc principia, quibus Canadenses episcopi tanta constantia jugiter insistere, Sacrum hoc Consilium nunc permovent, ut noto ipsorum zelo vehementer commendent Catholicorum provinciæ Manitobæ jurium circa religiosam liberorum educationem defensionem, ut hæc, prouti spem facit justitia causæ, vindicentur, ac gravis ab Ecclesia avertatur injuria.

Interim manus tuas humillime deosculor.

Eminentiæ Tuæ humillimus ac fidelissimus servus

Card. M. Ledochowski, Præfectus.
A. Archiep. Larissen, Secretarius.

Ex sacra Rituum Congregatione

Romana

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, attentis expositis a Priore et Consilio secreto Archiconfraternitatis Sanctissimi Cordis Jesu erectæ in ecclesia S. Theodori de Urbe, reque mature perpensa, respondendum censuit :

Ad dubium : Utrum in anniversariis aliisque diebus, præter dies commemorationis omnium fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, si totum officium defunctorum ritu duplici recitetur, omittendus sit post Laudes psalmus *De Profundis ?*

Negative : juxta Rubricas Breviarii, Missalis et Ritualis Romani ac Decreta præsertim in 2ª *Einsidlen.* nº 4044 ad 29, die 23 Julii 1738, ubi legitur : servetur Rubrica Breviarii Romani et Ritualis itidem Romani, et post Vesperas, et Laudes in Officio defunctorum omittantur psalmi : *De Profundis,* et *Lauda anima mea Dominum,* tantum in die omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti ; et in altera *Ordin. Erem. Camald. Montis Coronæ* nº 4085 ad Iᵘᵐ die 9 Maii 1739. Atque ita servari mandavit die 10 Januarii 1896.

* * *

Nota. Breviarum Romanum (in edit. typicis), *Officium defunctorum,* ad vesperas habet : « Sequens Ps. *Lauda anima* in Vesperis et similiter Ps. *De Profundis* in fine Laudum, non dicuntur in die omnium fidelium defunctorum, neque in die obitus seu depositionis defuncti. *Alias semper dicuntur.* » In Rituali autem Romano : *Exequiarum ordo,* legitur : « Ad finem officii post antiphonam cantici *Benedictus* etc. *Ego sum resurrectio* etc. dicitur *Pater noster* secreto etc. *A porta inferi* etc.

Juxta has ergo rubricas et decretum relatum Psalmi isti, exceptis die commemorationis omnium fidelium defunctorum et die depositionis, semper dicuntur, etiam in diebus anniversaria, tertia, septima et trigesima, quamvis his in casibus, juxta rubricam præfixam officio defunctorum in Rituali, debeant duplicari antiphonæ, et hoc quidem sive integrum officium, sive unus tantum nocturnus recitetur, quia rubrica non distinguit.

Jurisprudence

des Cours et Tribunaux

Du recouvrement des honoraires dus, à raison de funérailles ou autres services religieux, au curé, à ses vicaires, au sacristain et autres employés de l'église

Nous trouvons dans la *Pasicrisie belge* deux jugements récents relatifs à cette question. Vu le caractère intéressant et l'importance pratique des décisions qu'ils renferment, nous avons jugé utile de publier le texte de ces jugements, et d'indiquer sommairement les principes qu'ils consacrent et les conclusions qui en découlent.

I. Jugement du tribunal de Liége, 11 Mars 1891 (*Pasicr.* 1891, III, 201).

Le tribunal ; — Attendu que Bovy, ci-devant sacristain de l'église Sainte-Marguerite, poursuit contre la fabrique le

payement de la somme de 1,119 fr. 47 c., représentant la partie restée impayée du casuel promérité par lui de 1877 à 1885 ;

Attendu que la fabrique, sans reconnaître ni contester l'exactitude matérielle du compte produit par son sacristain prétend que les droits réclamés sont irrécouvrables ; que, du reste, elle n'en est comptable à aucun prix ;

Qu'il échet avant tout de vérifier le fondement de ce dernier soutènement ;

Attendu que si, d'une part, l'article 25 du décret organique des fabriques d'église du 30 Décembre 1809 confère au trésorier la mission « de procurer la rentrée de toutes les sommes dues à la fabrique, soit comme faisant partie de son revenu annuel, soit à tout autre titre » ; si l'article 36, énumérant les revenus et les recettes, y fait figurer « les droits que, suivant les règlements épiscopaux, les fabriques perçoivent » ; si les articles 37 et 46, dont l'objet est de déterminer les charges des fabriques et d'indiquer le mode à suivre pour leur classement dans le budget, citent « les gages des officiers et serviteurs de l'église » ; il est à remarquer, d'autre part, que, ni dans ces textes, ni dans aucun autre du décret, il n'est fait même allusion aux émoluments revenant aux officiers et serviteurs de l'église et attachés à certains services ou actes religieux, tels que obsèques, glas etc. ;

Attendu que l'on est en droit d'inférer de là, que la perception du casuel proprement dit, à lexception de celui propre à la fabrique, ne rentre pas dans les attributions de celle-ci ou de son caissier legal, le trésorier ;

Que les attributions des fabriques ont été réglées par la loi ; qu'elles ne peuvent être étendues au-delà des limites légales par qui que ce soit, et sous quelque prétexte que ce soit ;

Attendu que si, dans la pratique, il arrive que le trésorier touche tout le casuel et en fait la répartition aux ayants droits, il agit, non plus à titre de représentant de la fabrique, en vertu du mandat légal lui conféré, mais comme simple particulier ;

Attendu qu'il suit de ce qui précède que Bovy n'est pas fondé à agir contre la fabrique ;

Attendu, en fait, qu'il convient de remarquer que les sommes présentement réclamées ont trait à des services religieux qui ont eu lieu de 1877 à 1885, et que la fabrique affirme, sans être contredite, n'avoir pas été payée pour cause d'insolvablilité ;

Attendu qu'il convient d'observer également que, pendant cette période longue et bien éloignée déjà, Bovy, ainsi qu'il appert du compte dressé par lui, touchait plusieurs fois par an diverses sommes, tenait comptabilité parfaite de ce qui lui revenait et de ce qui lui était payé ;

Qu'il était donc depuis longtemps déjà en situation de formuler la réclamation qu'il n'a cru devoir formuler qu'à la fin de 1885, alors qu'il avait été démis de ses fonctions ;

Par ces motifs, ouï M. Remy, substitut du procureur du Roi, en son avis conforme, rejetant toutes conclusions autres ou contraires, déclare Bovy non fondé dans son action dirigée contre la dite fabrique et le condamne aux dépens.

II. Jugement du tribunal de Brux., 17 Avril 1895 (*Pasicr.* 1895, III, 231).

M. Goblet avait, pour l'enterrement de sa mère, demandé au curé de St-Boniface un service funèbre de deuxième classe. Le curé envoya une note de 246 fr., montant des honoraires du clergé et des serviteurs de l'église, du jubé, etc. M. Goblet refusa de payer, et le curé l'assigna devant le juge de paix d'Ixelles qui condamna le défendeur. Celui-ci alla en appel contre le jugement, prétendant, d'une part, que l'action du curé n'était pas recevable, parce qu'elle aurait dû être intentée, soit au nom de la fabrique d'église, soit subsidiairement au nom de chacun des intéressés ; et d'autre part, que la somme exigée n'était pas conforme au tarif du diocèse de Malines, dit *Tarif de Roquelaure,* approuvé le 1er Nivôse an XII.

Sur l'appel, le tribunal de première instance statua comme suit :

Le tribunal ; — Vu le jugement du tribunal de paix du canton d'Ixelles, en date du 27 Juillet 1894, enregistré ;

Attendu que l'appel est régulier en la forme ;

Sur la fin de non-recevoir :

Attendu que la demande tendait au payement de la somme de 246 francs, pour frais de services funèbres pour la personne de la Dame Goblet, le 19 Juillet 1892, en l'église Saint Boniface ;

Attendu que c'est à bon droit que le premier juge a déclaré l'action recevable, en se basant sur ce que l'article 36 du décret du 30 Décembre 1809, concernant les fabriques des églises, ne comprend pas parmi les revenus de la fabrique des créances de la nature de celles qui font l'objet de la demande ;

Attendu que le dit article porte : « Les revenus de chaque fabrique se forment :.... 10° des droits que, suivant les règlements épiscopaux approuvés par Nous, les fabriques perçoivent, et *de celui qui leur revient sur le produit des frais d'inhumation* » ; qu'il échet de distinguer entre les droits qui reviennent à la fabrique sur le produit des inhumations et le salaire du clergé, des assistants et des employés ; que les fabriques des églises n'ont pas qualité pour réclamer en justice d'autres droits que ceux qui leur sont dus à elles-mêmes ; et que, dès lors, il incombe au curé de la paroisse de poursuivre directement le recouvrement de ses honoraires ;

Attendu que cette distinction a été admise par le ministre de la justice Woeste, en 1884, dans une circulaire en date du 17 Juillet, et par arrêté royal en date du 8 Mai 1886, contresigné par le ministre de la justice De Volder, consacrant le dit avis ; que l'interprétation donnée par l'autorité administrative paraît conforme au texte et à l'esprit de la loi ;

Attendu que l'article 36, 10°, du décret précité porte seulement que les revenus de la fabrique se forment de la part revenant à celle-ci sur le produit des inhumations, et non pas qu'ils se composent de tous les droits et recettes perçus à l'occasion des funérailles ; qu'il ne se comprendrait pas que la loi rangeât parmi les revenus de la fabrique des sommes qui n'entreront point dans leur patrimoine, et

qu'elles ne pourraient dans tous les cas encaisser que pour en faire la répartition et le partage entre les divers intéressés ;

Attendu que si l'article 37 du décret de 1809, invoqué par l'appelant à l'appui de son soutènement, met notamment comme charge de la fabrique le payement des vicaires, des sacristains, chantres, organistes, suisses, bedeaux et autres employés au service de l'église, on ne peut induire de là que les fabriques devant effectuer le payement, ce sont elles aussi qui doivent recevoir ; qu'en effet, le dit article ne vise point les sommes revenant à l'occasion des inhumations ou des autres cérémonies aux personnes y énumérées, mais leur traitement fixe ; qu'il ne mentionne point le curé, qui néanmoins a sa part, comme les autres personnes, sur le produit des funérailles ;

Attendant que vainement l'appelant soutient que « nul ne plaidant par procureur », l'action devait être intentée à l'intervention de chacun des intéressés, et que l'intimé ne pouvait agir que pour la somme lui revenant personnellement ; qu'il est constant que, dans l'espèce, l'appelant a contracté avec l'intimé seul, agissant comme représentant ou mandataire de ses subordonnés, en vertu d'un accord tacite ; qu'en la qualité en laquelle il a agi, il réclame l'exécution d'une obligation, et que, dès lors, et en vertu de la loi du contrat, la maxime susvisée ne lui est pas applicable ;

Attendu, d'ailleurs, qu'il est admis que cette maxime ne s'oppose pas à ce qu'une instance soit poursuivie et soutenue par un prête-nom ou mandataire, agissant personnellement, lorsqu'il n'y a ni fraude, ni préjudice possible ; que, dans l'espèce, aucune fraude n'est alléguée, et qu'il n'a pas été articulé que l'action de l'intimé, agissant personnellement, soit de nature à causer préjudice à l'appelant ;

Au fond :

Adoptant les motifs du premier juge ;

Et attendu que vainement l'appelant prétend que la somme réclamée n'est pas conforme au tarif du diocèse de Malines, approuvé le 1er Nivôse an XII et resté en vigueur ;

Qu'en effet, le dit tarif ne fait pas obstacle à l'existence, dans les paroisses, de tarifs spéciaux, fondés sur l'usage et

librement acceptés par les intéressés, pour des prestations non prévues par ce tarif ;

Attendu qu'il est généralement admis par les auteurs et la jurisprudence que s'il existe dans les anciens tarifs des lacunes, elles doivent être comblées à l'aide de l'usage général ; qu'en la matière, comme en matière d'honoraires dus aux notaires, il y a lieu de distinguer entre les actes obligatoires tarifés et les actes facultatifs non tarifés ; que la circulaire ministérielle du 15 Mai 1885, relative à la comptabilité des fabriques d'église, reconnait expressément la légalité des usages locaux ou des tarifs spéciaux de chaque paroisse ;

Attendu, dès lors, que, dans l'espèce, l'appelant ayant commandé un service de 2e classe, et ayant tacitement accepté les cérémonies qui accompagnent, selon l'usage de la paroisse, le dit service, est tenu au payement des sommes réclamées ;

Par ces motifs, ouï M. Drion, substitut du procureur du Roi, en son avis conforme, rejetant toutes conclusions autres ou contraires, met l'appel à néant ; confirme le jugement dont appel ; condamne l'appelant aux dépens.

Nous donnerons dans une prochaine livraison des *Collationes,* le commentaire de ces jugements.

De Catechizandis pueris

Inter primarias parochorum obligationes indubie numeratur officium docendi populum fidelem doctrinam christianam. Quod autem, ut recte fiat, ab institutione puerorum incipiendum sit tum revelatio, tum omnium experientia, tum christianorum sensus, tum ipsa ratio dictat. Doctrina enim christiana, quantumvis theoretica, talis tamen semper est ut omnia ejus dogmata vel

immediate tendant ad piam christianamque vitam apud omnes instituendam, siquidem hæc est vita æterna ut cognoscant Deum et quem misit Jesum Christum. Atqui, in ipsis pueris institutio hæc incipiatur oportet, quia adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Maximæ autem difficultatis est institutio puerorum, proindeque addiscenda methodus est.

Quapropter gaudenter obvium habuimus libellum quemdam, sub ratione methodi optimum, cui titulus : « De Mechelsche Catechismus, uitgelegd aan kinderen die zich tot hunne eerste communie bereiden, door D. Sieuw, pastor. — Voorbereide lessen, — voordragende-ondervragende leerwijze », quemque omnibus catechistis enixe commendamus. Ut autem non tantum hujus libelli præclara merita præ oculis ponantur, sed præsertim ut indicetur modus hoc libello utendi, ejusque methodum, sive eodem sive diverso modo, non serviliter sed cum intelligentia, rite et optato cum successu applicandi, operæ pretium visum est quædam circa methodologiam relate ad catechizandos pueros exponere.

I

Principia quædam generalia

Primum Principium. *Doctrina hæc tradi debet modo solido, argumentis stipato, et qui in mente puerorum tum notitiam rectam tum persuasionem pariat.*

1. *Sensus* hujus principii est ita tradendam esse doctrinam christianam ut pueri ipsa puncta doctrinæ recte intelligant, eorumque veritatem perspiciant, ut fidei suæ rationem reddere, eamque, tum apud se ipsos conservare, tum contra alios tueri ac defendere postea possint. — Inde patet quantopere oporteat ipsum catechistam recte et accurate intelligere ac rite perspi-

cere docenda. Qua in re singulare adjumentum inveniet, si priusquam lectionem, *quoad methodum,* præparet, attente legat catechismum majorem Ill^mi^ D^ni^ Lambrecht.

2. *Ratio* vero ejus est præcipue nostris temporibus necessariam esse doctrinæ christianæ apud omnes solidam notionem, quia luctuosis hodiernis in circumstantiis undequaque fidem nostram oppugnant non modo ipsæ uniuscujusque passiones et concupiscentiæ sed et incredulitatis, ignorantiæ ac indifferentiæ religiosæ incursus. Maxima ergo et firmissima esse debet tum scientia tum persuasio religionis ut has omnes hostiles impugnationes vincere christiani queant.

3. *Modus* tamen sit in rebus. Non semper enim neque quomodocumque in hac re argumentandum est.

a) *Ad demonstrationes* enim quod attinet, pro pueris junioribus nulla alia utendum est quam illa quæ in *auctoritatem* fundatur. Puncta fidei proponi ipsis debent non tanquam theoremata demonstranda sed tanquam res omnino certæ, quas tenent, affirmant et docent parentes, magistri, parochus, tota ecclesia ; quasque ita esse certi sunt quia ipse Deus, ipse Dominus noster Jesus Christus per vitam suam mortalem, et ipse Spiritus Sanctus in inspiratis libris, nobis dixerunt atque revelaverunt. — Pro pueris vero provectioribus eodem modo procedendum sed identidem addenda sunt argumenta quæ motiva credibilitatis probant, quæ demonstrant scil. : existentiam Dei, divinitatem Ecclesiæ, quæ ostendant dogmata nostræ religionis non tantum non pugnare cum ratione sed huic mirifice conformari et ab hac comprobari. Quæ tamen omnia et pro omnibus proponi debent non ita ac si demonstratio illa (excepta credibilitatis demonstratione aliqua) necessaria esset, sed unice tanquam ulterior et uberior doctrinæ christianæ explicatio.

b) *Objectiones* vero in dupliici differentia sunt. Sunt quædam, quæ hic et nunc a pueris ignorantur, quæque

numquam in eorum notitiam venient. De his ut patet non est loquendum, sed simpliciter punctum doctrinæ ita explicandum ut, si forte postea objectio fiat, pueri capaces sint ipsam aliquatenus saltem solvendi. Aliæ tales sunt ut pueri ipsas noverint vel brevi in notitia habituri sint. Illæ a magistro non sunt dissimulandæ sed exprimendæ sunt cum maxima claritate, et sub forma meræ objectionis, dicendo v. g. : *sunt qui male intelligentes...* aut : *qui putant se aliquid novi invenisse, qui dicunt* aut *dicere audent*. Sunt autem objectiones ita refutandæ ut ne vel minimum dubium in mente auditorum remaneat. Quandoque objectio seu potius difficultas quædam ab aliquo puero ipso proponitur. Hoc in casu semper bene suscipienda est ; immo puer laudandus eo quod rebus explicatis attendat ; et attentio aliorum in difficultatem illam attrahenda ; ut appareat hac difficultate magistrum nullatenus moveri ; denique clare sive a magistro ipso, sive ab alio quodam puero, qui ad hoc idoneus reputatur, difficultas solvenda est, præsertim ostendendo hanc difficultatem factam fuisse quia tale vel tale punctum doctrinæ non bene fuit intellectum. Per totum hoc exercitium ad instar principii momentosi inculcanda est veritas sequens : omnes objectiones, quæ bona fide contra religionem fiunt, pro unica causa habere malam rei religiosæ intellectionem.

Semper hic præ oculis habendum est nullam unquam proponi a catechista objectionem posse nisi certus sit se aptum esse illam clarissime solvendi.

Secundum principium. *Doctrinæ christianæ expositioni jungi debet expositio historiæ biblicæ.*

Ratio hujus principii in promptu est. Nam dogmata plurima doctrinæ christianæ vel nihil aliud sunt quam totidem facta historica, vel ejusmodi facta involvunt. Ita dogma creationis, lapsus protoparentum, promissionis Redemptoris venturi, diluvii, incarnationis,

redemptionis nostræ per merita passionis Christi. Alia vero dogmata fere omnia, si non sint ipsa historica facta, tamen in hæc facta tanquam in fundamentum omnino necessarium nituntur. Quomodo enim explicari potest dogma peccati originalis, ejusque in nobis sequelarum ac remissionis, absque expositione tum status protoparentum ante lapsum, tum lapsûs ipsius, tum punitionis à Deo inflictæ ?

Adde historiam biblicam plurimorum præceptorum moralium rationem reddere ; modumque ea observandi in exemplis patriarcharum, piorumque viorum, optimum præbere ; explicationem dogmatum et præceptorum per exempla pueris maxime placere, ipsorum attentionem attrahere, ipsorumque intellectui optimè adaptari ; tandem methodum illam semper ab Ecclesia usitatam fuisse et a S. Augustino in præclaro opere suo « de catechizandis rudibus » plurimum commendari.

Modus ergo, qui hic observari debet, est ut puncta sive dogmatica sive moralia semper annectantur factis historicis quibus constant, vel in quæ nituntur, vel quibus explicantur, vel quæ ipsorum applicationem practicam exhibent.

Sic. v. gr. ad explicandum dogma trinitatis personarum narretur factum baptismi Christi Domini in quo tres personæ interveniunt. Sic etiam videatur opus prælaudatum Rev. Dⁱ Sieuw in explicatione plurium catechismi lectionum v. gr. sextæ, septimæ, octavæ, nonæ etc. etc.

Tertium principium. *Doctrina præceptorum moralium fundari debet in doctrinam dogmatum.*

Ratio est tum quia homo non observat præcepta morum nisi quia et in quantum adhæret fidei dogmatibus, tum quia præceptum non est nisi sequela dogmatis, ejusque frequenter effectus. Sic. v. gr. præceptum spei totum quantum fundatur in dogma omnipotentiæ Dei auxiliantis, necnon bonitatis et veracitatis seu fidelitatis

divinæ. Simul ergo cum explicatione præcepti indicetur pueris dogma in quod fundatur, sive tanquam in motivum cur præceptum observari debeat, sive tanquam in medium quo præceptum intelligatur.

QUARTUM PRINCIPIUM. *Præceptor debet efficere ut pueri ament et magnifaciant tum ipsam religionem Christianam tum prælectionem catechismi.*

Ratio hujus principii est tum religionis christianæ doctrinam omnes alias doctrinas dignitate tantum antecellere quantum cœlum ipsum terra dignius est; tum necessarium esse ut omnes christiani hanc de religione christiana existimationem habeant; tum tandem hominum actiones semper et existimatione et amore dirigi, ita ut difficillimum sit hominem, qui non amet aut magnifaciat suam religionem, hanc bene observare, vitæque suæ rectricem habere.

Hunc autem effectum in puerorum animis producet præceptor si durante prælectione catechismi toto modo se habendi rem seriam, venerandam, momentosamque agi demonstret; si ipsemet religionem christianam amet ac magnifaciat; si prælectio semper optime sit parata ut optime tradatur et proinde pueris placeat; si pluribus parvulis mediis prælectionem amœnam reddere studeat; si frequenter modo intellectui puerorum aptato pulchritudinem religionis ostendat; si tandem, quoad fieri possit, parentes ipsos moneat ut pueris suis de religione christiana loquantur. Legant catechistæ epistolam circularem RR. Episcoporum Belgii datam die 26 Januari 1843, præsertim § IV, quam epistolam reperient in Collectione Epistolarum Pastoralium.

QUINTUM PRINCIPIUM. *Prælectio religionis christianæ practica esse debet.*

Ratio est quia doctrina christiana traditur non ad meram intellectûs perfectionem aut illius ornatum; sed ad ipsam vitam christianam in pueris fovendam. Ille enim solus regnum ingredietur cœlorum qui voluntatem

Patris fecerit. Efformandi ergo sunt in pueris habitus, affectus, moresque christiani. Medium autem hæc obtinendi est quidem, in fine uniuscujusque prælectionis, brevem vividamque efferre allocutionem materiæ prælectionis adaptatam, uti optime facit prælaudatus auctor R. D. Sieuw ; sed hoc non sufficit. Necessarium enim est in ipsa explicatione excitare in pueris sensa fidei, desiderii, amoris, contritionis, boni propositi, uti dogma expositum expostulabit, hæcque sensa verbis formulare. Necessarium est enim, quando de virtute quadam quæstio fuit, ut catechista pueris indicet tempus, modumque illam in praxim deducendi ; quando vero de vitio aut peccato prælectio processit, ut, cum omni prudentia instituto brevi conscientiæ examine, pueri videant utrum necne hujus peccati rei sint, utque ipsos illius pœniteat, bonumque propositum pueri efficiant. Hujus plurima exempla apud R. D. Sieuw invenient catechistæ.

Ad omnia illa principia observanda necessaria præprimis erunt tum studium theologicum, tum præparatio assidua, tum zelus gloriæ Dei atque salutis animarum.

V. J. C.

Sequetur de ipsa methodo catechizandi.

Consultationes

Quæritur : Hoc anno prima feria VI Aprilis incidit in Parasceven Domini, qua die prohibentur fideles communicare. Quid igitur agendum illis qui in honorem SS. Cordis Jesu volunt per novem menses subsequentes singula prima feria VI^a S. Communionem recipere?

Tum ad lucrandas indulgentias, tum ad obtinendum

donum perseverantiæ a Christo promissum, debentne propter coactam interruptionem, novam incipere novenam, an vero poterunt in serie incœpta pergere mense sequente ?

Respondetur: 1° *Quoad indulgentias.* Huic speciali praxi de qua in quæstione, nulla indulgentia generalis est concessa. Possunt tamen membra *Associationis adorationis perpetuæ et ecclesiarum pauperum* (*Florilegium,* p. 236) sub conditionibus ordinariis lucrari indulgentiam plenariam, quotiescumque prima feria VI alicujus mensis ad S. Synaxim accesserint, etiamsi hanc S. Communionem non repetant per novem menses continuos. Eamdem indulgentiam lucrari possunt sodales *confraternitatis SS. Cordis* (*Floril.,* p. 238) vel prima feria VI vel prima dominica.

2° *Quoad promissionem factam a Christo Domino.* En verba ipsius B. Margaritæ-Mariæ Alacoque :

Un jour de Vendredi, pendant la sainte communion, il (Notre-Seigneur) dit ces paroles à son indigne esclave, si elle ne se trompe : « Je te promets dans l'excessive miséricorde de « mon cœur que son amour tout-puissant accordera à tous « ceux qui communieront neuf premiers Vendredis du mois, « tout de suite, la grâce finale de la pénitence ; ils ne mour- « ront point en sa disgrâce ni sans recevoir leurs sacrements, « mon divin Cœur se rendant leur asile assuré en ce dernier « moment. » *Vie et œuvres de la bienh. Marguerite-Marie Alacoque* — Paray-le-Monial, T. II, 1e édit. p. 159).

Ex quibus verbis sequitur probabiliter interruptionem etiam coactam non esse admittendam, nisi velimus adhuc extendere amplissimum jam privilegium quod nimia charitate Christus dicitur promisisse. Tutius proinde est adhortari fideles ut novam seriem incipiant. Idque eo magis suadendum est quod certe non eo fine inducuntur SS. Cordis cultores ad hanc piam praxim, ut revolutis novem mensibus, jam abstineant a S. Communione, sed potius ut facilius huic sanctæ

consuetudini inhærentes, perveniant ad gratiam perseverantiæ finalis, cooperando gratiis abundantioribus quas SS. Cor Jesu cultoribus suis larga manu elargitur.

Ulterius quæstio majoris momenti agitari posset de genuinitate ac sensu illius ceterarumque promissionum SS. Cordis Jesu. Quam quæstionem forsan data occasione tractabimus, et partim tractatam jam invenire possunt lectores apud *Le Messager du Cœur de Jésus*, 1883 : *La grande promesse*, par H. RAMIERE, p. 182-194.)

C. C.

Quæritur utrum parochi ad celebrandum pro grege teneantur in festo *Patroni ?*

Respondetur. Certum est « parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere, tum omnibus dominicis aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati... sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII constitutio (1) in pleno suo robore vigebat, antequam festi de præcepto dies imminuerentur ». Pii IX Const. *Amantissimi*, 3 Maii 1858.

Jamvero Urbanus VIII, in prælaudata sua Constitutione, festa enumerans sub utroque præcepto servanda, disponit ut festum peragatur « *unius dumtaxat ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia ; et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit.* »

Dicendum ergo est parochos de jure communi Missam pro populo sibi commisso celebrare et appli-

(1) Const. *Universa*, 13 Septembris 1642.

care debere, tum in festo *unius principalioris Patroni regni,* tum in festo *unius principalioris Patroni cujuscumque civitatis, oppidi vel pagi.* Cf. Decr. S. C. R. 25 Martii 1817, n. 4532 ; Feije, *De beneficiis,* n. 191.

Patronum *regni* quod spectat, nulla in praxi difficultas. Nam prætermissa quæstione utrum in festo S. Josephi pro grege celebrandum sit ratione patronatus (cf. De Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis,* T. III, n. 91), certum est parochos ad celebrandum pro populo teneri, quum inter dies de præcepto servandos ab Urbano VIII expresse memoretur festum S. Josephi.

De Patronis vero cujuscumque *civitatis, oppidi vel pagi* fusius est disserendum.

Hic nomine *Patroni* intelligitur is quem civitas vel oppidum sibi delegit velut singularem ad Deum patronum, servatis in hujusmodi electione regulis in Constitutione Urbani VIII diei 23 Martii 1630 statutis, vel qui alias ante prædictam Constitutionem ab immemoriali ut Patronus fuit receptus et celebratus. Patronus ille, qui sensu liturgico *Patronus loci* proprie vocatur, omnino distinguitur a *Titulari ecclesiæ,* qui etiam appellari quandoque solet Patronus ; « Titularis enim sive Patronus ecclesiæ is dicitur sub cujus nomine seu titulo ecclesia fundata (h. e. *consecrata vel saltem benedicta*) est ». S. C. R. 9 Maii 1857, n. 5240. Nihil tamen obstat quominus Titularis ecclesiæ simul sit Patronus loci seu territorii adjacentis.

Quoniam autem, uti dictum est, solius principalioris *Patroni loci* festum erat de jure ex præcepto servandum, in hoc dumtaxat festo urget obligatio sacrum pro populo litandi ; minime vero in festo Titularis ecclesiæ, « nisi hic simul sit Patronus loci sensu liturgico superius exposito, nempe civitatis vel oppidi » (S. C. R. 21 Aug. 1884, ad II, apud *Nouv. rev. théol.,* T. XVIII, p. 592 s.).

Si vero quæratur quomodo constare poterit utrum

sanctus, qui simpliciter Patronus appellatur, revera sit vel fuerit Patronus loci aut merus ecclesiæ Titularis, dicendum quod aliquando difficile erit hoc certo definire ; attamen non desunt normæ quibus in plerisque casibus patronatus sufficienter dignosci poterit. Imprimis, grave argumentum patronatus suppeditat denominatio loci ab aliquo sancto (S. C. R., 13 Maii 1883) ; et ideo, si civitas, oppidum vel pagus a nomine alicujus sancti vocatur, hic ut verus Patronus illius loci facile haberi potest. Rationabiliter etiam conjici debet sanctum aliquem, non merum ecclesiæ Titularem, sed verum simul loci Patronum esse, si festum ipsius, ante Concordatum anni 1801, cum præcepto et feriatione populi fuerit celebratum ; quinimo, ex declaratione S. Cong. Rituum, in omnibus parœciis in quibus ab immemoriali Titularis ecclesiæ ut Patronus loci colitur ejusque dies a fidelibus uti festus habetur sub utroque præcepto, Titularis iste tanquam Patronus loci jam erit habendus (Dec. 11 Augusti 1877, part. I, Dub. V, n. 5708). Cf. *Nouv. rev. Théol.*, T. XVII, p. 516. Pro nostris ideo regionibus patronatus etiam probatur ex eo quod festum alicujus sancti Titularis, inde a Concordato, juxta decretum Card. Caprara 9 Aprilis 1802, cum consueto ritu, licet sine præcepto, in populo fuerit peractum, et ipsius solemnitas in dominicam proxime subsequentem translata. Cfr. *Stat. Brug.* Part. II, Tit. IV, art. 4.

Prædictæ normæ si variis parochiis nostræ diœceceos applicentur, facile constabit in omnibus *fere* civitatibus vel oppidis, ubi unica tantum exstat parochialis ecclesia, Titularem hujusce ecclesiæ simul esse Patronum loci ; in aliis vero ubi plures sunt parochiæ, tamquam Patronum loci haberi Titularem ecclesiæ antiquioris vel principalioris.

Dicimus in *fere* omnibus ; imprimis quia plures sunt civitates quæ ab antiquo notum habent Patronum

Titulari ecclesiæ distinctum ; dein excipiendus est casus quo constaret ecclesiam aliquam, vi Concordati suppressam, denuo fuisse erectam cum Titulari distincto ab illo qui antiquitus ut patronus loci colebatur ; tandem, in parochiis recenter per viam dismenbrationis erectis, Patronus loci est ille qui, ante erectionem novæ parochiæ, ut talis colebatur.

Ex hucusque propositis pro praxi deduci possunt sequentes regulæ :

1° In civitatibus et oppidis ubi plures sunt parochiæ, tenentur parochi pro populo celebrare in festo unius principalioris *Patroni civitatis vel oppidi ;* minime vero in festo Titularis ecclesiæ cui præsunt, nisi simul sit Patronus loci.

2° In civitatibus vel oppidis ab antiquo existentibus, in quibus unica tantum exstat parochia, tenentur parochi Missam pro grege applicare in festo *Titularis ecclesiæ,* nisi constet hunc ut Patronum loci non esse habendum, sive quia ipsa civitas vel oppidum habet proprium patronum a Titulari ecclesiæ distinctum, quo casu in hujus festo pro grege celebrandum est ; sive quia Titularis ecclesiæ numquam fuit cultu Patronis debito veneratus, de quo casu dicetur sub 4°.

3° In parochiis recenter per modum dismenbrationis erectis, parochi pro grege celebrare debent in festo *antiqui loci Patroni* juxta superius dicta ; non vero in festo Titularis novæ suæ ecclesiæ parochialis, nisi nova parochia constet antiquo territorio quod olim proprium Patronum habebat et simul nova ecclesia sub ipsius titulo fuerit erecta.

4° Si constaret parochiam aliquam proprio et peculiari Patrono carere (quod fieri potest, ut clare patet ex citato textu Const. *Universa),* ibidem *de jure communi* festivandus esset *Patronus diœcesecos* (cf. Gardellini ad n. 4605 et decr. S. C. R. 21 Augusti 1884 ad I), et ideo in hujusce festo pro grege celebrandum.

Questio autem moveri posset utrum in diœcesi Brugensi parochiæ sint quæ proprio Patrono careant ; et si sint (quod certo rarissimum erit), utrum ibidem, ante Concordatum, S. Donatianus tamquam Patronus diœceseos fuerit celebratus, et consequenter utrum nunc celebrandus esset. Cf. De Herdt, *op. cit.*, T. II, n. 295 et *Tract. de rubricis Miss. Romani ad usum alumnorum Seminarii Archiepisc. Mechliniensis*, p. 173.

C. V. C.

« Bertha, puella 20 annorum operationem subiit chirurgicam, in qua bina ipsi extracta fuere ovaria. De ipsa quæritur : an matrimonio jungi queat ? »

Resp. — Auctores quidam nuper censuerant in casu adesse impedimentum impotentiæ. Ita reperies, in prioribus editionibus, *Lehmkuhl* (Theol. Mor., II, n. 744) et P. V. (scil. *Villada*, casus conscientiæ, III) satis asseveranter loquentes, hæsitanter vero *Berardi* (Prax. confess., n. 811-813, 1254). Videlicet, si impedimento impotentiæ tenetur vir carens utroque testiculo, an non et mulier carens utroque ovario ?

At S. Officium, interrogatum : Num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat necne ? respondit, 3 Febr. 1887 : « Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum. » Et rursus ad quæsitum : Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum ? respondit, 30 Jul. 1890 : « Matrimonium non esse impediendum. »

Ac revera, ratio dubitandi adducta, aliæque similes, congruenter solvuntur, distinguendo impotentiam *generandi* et impotentiam *coeundi*, seu habendi copulam

perfectam, per se aptam generationi; distinguendo nempe ipsam copulæ *essentiam* et ejusdem *terminum* extrinsecum. Mulier in casu, ut supponitur, actum conjugalem habere poterit perinde ac si nullam operationem subiisset. Physica quidem certitudine (si vere et perfecte excisa sunt ovaria) deficiet generatio: attamen non ex defectu copulæ in se spectatæ, sed ex defectu copulæ extrinseco, quia scilicet in muliere, post semen virile per copulam perfectam susceptum, ovulum fœcundandum præsto non erit. Unde negatur paritas inter excisionem testiculorum et ovariorum. Nam ex priore defectu in viro deficit verum semen, quod est essentiale elementum ipsius copulæ; ex altero defectu in muliere ovulum, quod ad generationem quidem, non tamen ad ipsam copulam, essentialiter requiritur.

Notetur tamen hunc defectum, maximi sane momenti in ordine ad matrimonialem contractum, alteri parti nuptias ambienti esse manifestandum.

Cf. *Theolog. Mechl.*, de Matrim. n. 71 (ed 4ª, 1894) et *Nouv. Rev. Th.* ibid. citat.

O. E. D.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cf. supra p. 109.)

Introductio

Ordo dicendi

1. Deus ab æterno in adoranda Personarum Trinitate sibi ad intra plane manifestus ac gloriosus, et plenissime beatus est: Filius enim Dei splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, *Verbum* est, quod solum eloquitur Deum ineffabilem eumque plene manifestat; Spiritus sanctus Amor est et Donum; *Amor,* quatenus est terminus subsistens et personalis mutui amoris Patris et Filii; *Donum,* etenim Spiritus sanctus procedit ut Amor; primum autem, quod damus amico, est amor, quo volumus ei bonum: unde Spiritus sanctus procedit in ratione primi Doni (1). Porro in perfecta et amorosa societate ac communione infiniti boni summa beatitudo consistit.

2. Itaque Deus, Unus et Trinus, ad intra perfecte gloriosus et beatus, lucem habitat inaccessibilem, neque ad extra manifestus ac gloriosus fieri potest, nisi ad extra liberrime diffundendo bonum, seu, prælucente ratione perfecta, ex mera ac gratuita bonitate ad extra operando. Reapse autem manifestavit se, primo quidem creando, quatenus creaturæ rationales per se ipsas aliaque creata ad Deum cognoscendum ac glorificandum ascenderent: et hæc est manifestatio ordinis naturalis; præterea vero, easdem creaturas ratione præditas, et

(1) Cf. S. Thom., 1, q. 38, art. 2.

eatenus potentiam obedientialem ad supernaturalia ac divina habentes, supra omnem naturam creabilem, ad participationem proprii boni sui divini evexit, et per se Ipse eas sublimius edocuit suam divinitatem, suaque divina opera, ut eas tandem perduceret ad plenam sui manifestationem seu glorificationem externam et ad participationem propriæ suæ beatitudinis in cœlis.

3. Primum igitur erit ordine logico tum ratione per creaturas, tum ratione, divino lumine fidei illustrata, per revelationem Dei positivam ad Deum ascendere. Hæc erit prima pars seu series meditationum nostrarum theologicarum.

Deinde, via inversa procedendo, ordine ontologico prius Deum solum contemplabimur in sua æternitate, abstrahendo ab omni creaturarum existentia, Ipsumque videbimus totum rerum ad extra ordinem, tum naturalem, tum supernaturalem, in sua æterna præscientia et omnipotenti prædefinitione disponentem. Hæc erit secunda series meditationum.

Tandem in tertia serie, universi operis divini prosequemur executionem, quæ fere continetur in serie sacrorum librorum veteris ac novi Testamenti, incipiendo a rerum conditione in Genesi, transeundo per reparationem in Evangelio, et terminando per consummationem in Apocalypsi.

4. Ex quibus perspicere licet nos universam proprii nominis theologiam complecti. Pulchre explicat S. Bonaventura quomodo omnia in theologia reducuntur ad Deum, ita ut hæc scientia vere sit sermo de Deo, etsi plurima extra Deum ipsum conplectatur. « In principio, *ait* (1), intelligendum est quod sacra doctrina, scilicet theologia, quæ principaliter agit de primo principio, scilicet de Deo trino et uno, de septem agit in universo ; scilicet de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de Incarnatione Verbi,

(1) *Breviloquium*, part. I, cap. I.

de gratia Spiritus sancti, de medicina sacramentali, et de statu finalis judicii. Ratio autem ad intelligentiam hujus veritatis hæc est : quia cum sacra scriptura, sive theologia (1), sit scientia, dans sufficientiam notitiam de primo principio, secundum statum viæ, secundum quod necessarium est ad salutem, et Deus non tantum sit rerum primum principium et exemplar effectivum in creatione, sed etiam refectivum in redemptione, et perfectivum in retributione ; ideo non tantum agit de

(1) Non sic id intelligas, ac si S. Doctor confundat sacram scripturam cum theologia, sed quod utriusque eadem sint subjectum et materia, nempe Deus, divinaque opera, quemadmodum paulo supra notavimus scripturam universi operis divini executionem explicare. Luculenter, in fine hujus citati textus, S. Bonaventura indicat distinctionem scripturæ sacræ et theologiæ, cum dicit scripturam continere credibile ut credibile, libros vero expositorum, id est, theologorum exhibere credibile ut intelligibile.

Hac data opportunitate obiter notemus antiquiores theologos non apologetice et polemice theologiam explicare, sed thetice, posita doctrina Ecclesiæ ut fide accepta ; ita ut theologiam, quæ a modernis fundamentalis jam vocari solet, directe et ex professo non exponant ; ipsis fundamentalis et prævia doctrina, tamquam prima eruditio, est ipsa scriptura seu doctrina fidei, credibilis ut credibilis et fide accepta, quam consequitur theologia tanquam secunda eruditio, exhibens credibile ut intelligibile. Quemadmodum nempe sacra scriptura seu doctrina fidei de Deo, creatione, lapsu, præparatione Christi redemptoris, reparatione, et rerum tandem consummatione complectitur, ita theologia per eamdem seriem scientifice seu scholastice, ratione fide illustrata, demonstrandam, decurrit. Ita Hugo a S. Victore, initio præclari operis quod inscribit : *De Sacramentis* (sacris arcanis) *christianæ doctrinæ, ad secundam eruditionem sacri eloquii, quod est fundamentum scientiæ,* ita loquitur : « Cum igitur de prima eruditione sacri eloquii, quæ in historica constat lectione, compendiosum volumen prius dictassem, hoc nunc ad secundam eruditionem, quæ in allegoria est (scil. in explicatione mystica, ope creaturarum, per rationem fide illustratam), introducendis (seu tyronibus) paravi, in quo quasi fundamento quodam cognitionis fidei animum stabiliant, ut cætera, quæ vel legendo vel audiendo superædificari potuerint, inconcussa permaneant. »

Inde etiam optime intelliges, quomodo S. Bonaventura, in proœmio sui Breviloquii, quod theologiæ universæ compendium est, nonnisi de sacra scriptura, ejus materia, sensu, expositione agat. Item, quomodo S. Thomas, aliique deinceps, in summa theologica, in proœmio de sacra doctrina, quæstiones de sacra scriptura pertractent.

Deo creatore, sed etiam de creatore et creatura. Et quia creatura rationalis, quæ est quodammodo finis omnium, non stetit, sed suo casu indiguit reparari ; ideo agit de corruptela peccati, medico, sanitate et medicina, et tandem de curatione perfecta, quæ erit in gloria, impiis projectis in pœnam. Et ideo ipsa sola est scientia perfecta, quoniam incipit a primo, quod est primum principium, et pervenit ad ultimum, quod est præmium æternum ; incipit a summo, quod est Deus altissimus creator omnium, et pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium. Ipsa etiam sola est sapientia perfecta, quæ incipit a causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica ; et transit per eam, ut est remedium peccatorum ; et reducit in eam, ut est præmium meritorum et finis desideriorum. Et in hac cognitione est sapor perfectus, vita et salus animarum ; et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum. Ex his patet, quod licet theologia sit de tot et tam variis, est tamen scientia una, cujus subjectum, ut a quo omnia, est Deus ; ut per quod omnia, Christus; ut ad quod omnia, opus reparationis ; ut circa quod omnia, unicum caritatis vinculum, quo cœlestia et terrestria connectuntur ; ut de quo omnia in libris canonicis comprehensa, credibile, ut credibile ; ut de quo omnia in libris expositorum, credibile, ut intelligibile. Secundum Augustinum : quod credimus, debemus auctoritati ; quod intelligimus, rationi (*Lib. de util. cred., c. 11).* »

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii

I

Expone *Rom. XII, 19, 20:* « Non vosmetipsos defen-
« dentes, charissimi, sed date locum iræ ; scriptum est
« enim : Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus.
« Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit,
« potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis
« congeres super caput ejus. »

II

Ex ipsa agendi ratione Judæorum demonstra eos de veracitate Apostolorum resurrectionem Christi attestantium haud serio dubitasse.

III

Ex Matth. XXVIII, 19: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Βαπτίζοντες αὐτούς εἰς τὸ ὄνομα του πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος), demonstra revelatum esse mysterium SS. Trinitatis, scilicet : esse tres personas divinas in una natura divina.

IV

Theodorus, sacerdos sæcularis et parochus civitatis Brugensis, pro tempore commoratur Parisiis : dic generatim quibusnam legibus ecclesiasticis ibidem teneatur ; addendo rationem.

V

Charitas, qua diligimus principaliter Deum, secundario proximum et nosmetipsos, nulla ex parte videtur dici posse *amor amicitiæ* seu amor benevolentiæ mutuæ in communione bonorum fundatus. Etenim a) Deus propria sua bona creaturæ non communicat ; b) proximus sæpe nos nullatenus redamat ; c) ut in Breviario (Commune Evangelistarum) legimus ex S. Gregorio : « Nemo proprie ad semetipsum habere charitatem dici-
« tur : sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse
« possit. » — Has difficultates solve.

VI

Proba succursalistas hodiernos esse veros parochos, sed amovibiles.

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Februarii propositas

—

I

Q. Ex Genesi II, 17; III, 3, 19, demonstra Protoparentes nostros dono immortalitatis auctos seu necessitate moriendi immunes creatos fuisse.

R. Protoparentes nostri dono immortalitatis aucti, seu necessitate moriendi immunes creati sunt, si non mortis quædam anticipatio, sed ipsum moriendi debitum, pœna fuit inobedientiæ ipsorum. Atqui, non mortis... ipsorum. Ergo Protoparentes... creati sunt. Probo Minorem :

1. Ex verbis quibus Deus Adamo (et Hevæ, ut patet ex III, 3) mortem comminatus est : « *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* » Gen. II, 17.

His enim verbis comminatus est Deus Protoparentes, quocumque die de ligno vetito comesturi essent, vel actu morituros, adeoque morte violenta et anticipata mulctandos esse, vel debitum moriendi contracturos, adeoque mortalitate plectendos esse.

Atqui his verbis non comminatus est Deus Protoparentes, quocumque die de ligno vetito comedissent, actu morituros, adeoque morte violentà et anticipata mulctandos esse. Nam « multorum annorum numero liquet vixisse illos post inobedientiam » Chrys. *in Genes. Hom. XVII, n. 19.* Confer Genes. V, 3-5.

Ergo his verbis comminatus est Deus Protoparentes, quocumque die de ligno vetito comesturi essent, debitum moriendi contracturos, adeoque mortalitate plectendos esse.

II. Ex verbis quibus Deus sententiam mortis in Protoparentes tulit : « *In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram de quâ sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris* » Gen. III, 19.

Iis verbis non mors violenta, seu mortis quædam anticipatio, sed ipsa mortalitas, seu moriendi debitum significatur. Dicit enim Deus Adamum moriturum atque in terram reversurum *quia pulvis est* : « quæ est ratia petita ex naturali conditione hominis ; sensusque est : in pœnam peccati adimitur tibi donum gratuitum, sibique natura permittitur, ex quo fit ut cum pulvis sit in pulverem revertatur. Hæc ratio autem valet quidem pro pœna quæ sit debitum moriendi seu mortalitas, non vero pro aliquâ pœnâ mortis, quæ infligenda sit homini alioqui jam mortali ». Palmieri, *De Deo creante et elevante, Thes. LII.* Ergo iis verbis ipsa mortalitas, seu moriendi debitum significatur.

Notationes.

1. Nemo inficias ibit a) interpretationem nostram inniti sensu obvio ac naturali verborum, collato tamen, quoad verba comminationis, ipso eventu; b) eidem nihil serii obstare ; c) ei tum contextam orationem (Genes. II, 9 ; III, 22-24, ubi de ligno vitæ, seu pharmaco immortalitatis), tum varia S. Scripturæ loca (Sap. I, 13; II, 23, 24 ; Rom. V, 12 ; XV, 21, 22), tum etiam traditionem exegeticam apertè suffragari. — Cavillis igitur accensenda est objectio desumpta ex Genes. III, 14 (de pœna serpenti inflicta), ubi multi interpretes, nihil reclamante Scriptura aut Traditione, à sensu verborum obvio ac naturali propter serias rationes recedunt.

2. Locis, quibus innitimur, non agi de morte spirituali animæ, sed de morte corporis, omnino suadet sensus obvius ac naturalis verborum comminationis : *morte morieris,* persuadetque sensus necessarius verbo-

rum sententiæ latæ : *donec revertaris in terram, de quâ sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

3. Manifestum est comminationem : « qui tale vel tale quid fecerit, *morte morietur* », in subsequentibus Scripturis sexcenties occurrentem, non merum aliquando moriendi debitum, sed mortem anticipatam significare, utpotè hominibus jam indubitatè mortalibus denuntiatam. Eamdem vero comminationem, in Genesi factam, non significare mortis anticipationem, constat tum ab eventu, tum ex tenore sententiæ latæ, tum ex omnibus sanæ interpretationis adminiculis.

4. Tandem, protoparentes nostros necessitate moriendi immunes *creatos* fuisse, liquet ex eo quod Deus eos *quales condiderat alloquens* (neque enim ullum occurrit in præcedentibus vestigium mutationis statûs eorum primitivi), morte morituros esse comminatus est, si de ligno vetito comedissent. — Adde *lignum vitæ,* seu pharmacum immortalitatis, jam à primordio præstò ipsis fuisse, uti ex contextu patet, ad quem in interpretatione S. Scripturæ recurrere jubet Hermeneutica Sacra. — Præterea, in toto contextu nostro donum immortalitatis ita sistitur cum gratia sanctificante consertum, ut istud ab ea dependisse et cum ea cohæsisse manifestum sit. Atqui, communis jam et certa sententia est, protoparentes nostros in statu gratiæ sanctificantis creatos fuisse. — Imo, licet nonnulli olim dubitaverint utrum in ipsa creatione sua dono *supernaturali* gratiæ sanctificantis aucti fuerint, communis tamen fuit Veterum sententia, Genes. II, III innixa, ipsos à primordio donis saltem *præternaturalibus* (immunitatis à concupiscentia, ærumnis ac morte) ornatos fuisse. — Quis demùm dixerit ad Genesim II, III, non allusisse, novâque revelatione indiguisse Sapientem, ubi Sap. II, 23, 24 « *Deus,* inquit, *creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* » ?

II

Q. Ostende dogma perpetuæ Virginitatis B. M. V. nihil periclitari apud Matth. I, 25 : « *Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum* ».

R. « *Et non cognoscebat.* Ne intelligeres ex eo quod dixerat, *Et accepit conjugem suam,* rem Josephum cum eà conjugalem habuisse, addidit, *Et non cognoscebat eam,* honestè, juxta Hebræorum loquendi modum, carnis commistionem, cognitionem appellans. *Non cognoscebat* autem, non tantum ob castitatis studium, quemadmodùm priùs, verùm multo jam magis ob uxoris quam intellexerat dignitatem, et sacri fœtus honorem.... *Donec peperit.* Non significat post partum eam à Josepho cognitam, sed, ut frequenter, cùm in vulgari sermone, tùm maximè in Hebraico idiomate, *donec* absque exceptione excludit : rem nunquam factam, certo tempore exprimit non factam, quo videri facta poterat, scireque necesse erat non factam ; intelligendum relinquens post multo minus factam. Videri potuisset, recentibus nuptiis, cùm amor est conjugum inter se ardentissimus, Josephus uxorem Mariam cognovisse (neque enim prohibet maritalem congressum uxoris gravidus uterus) ac necesse erat scire id non factum, ut constaret virginem et concepisse et peperisse. Id itaque Evangelista explicuit, intelligendum relinquens, post, cùm diuturniore consuetudine amor deferbuisse solet, cumque Josepho uxoris integritas, puritas, et sanctitas, et natæ prolis dignitas, perspectior fuit, multo id minus factum. Et qui vir justus fuisset, qui Dei templum, sancti Spiritus sedem, Domini sui matrem ausus fuisset attingere ? » Ita præclarè Luc. Brug.

Particula *donec,* sæpe ita refertur ad tempus præcedens, ut de consequenti minime affirmetur contrarium. Id constat plurimis S. Scripturæ exemplis, v. g.

Gen. VIII, 7 ; Deut. XXXIV, 6 ; II Reg. VI, 23 ; Ps. CIX, 1 ; Is. XXII, 14 ; XLVI, 4 etc.

Filium suum primogenitum. « Primogenitum vocavit, non quòd post eum alii ex Maria nati sint, sed quòd ante eum nullus. Lex enim lata Exodi 13. v. 12. quæ primogenita Deo esse sancta, hoc est, Dei esse, jubebat, non tantùm primogenita vocabat ea, post quæ alia ex eisdem gignebantur, verum etiam quæ sola, post quæ nulla gignebantur » Luc. Brug. Et re quidem vera, ex Num. XVIII, 15, 16, constat omne masculinum e vulvâ primum erumpens, primogenitum vocari et tanquam tale tractari consuevisse, nullâ habitâ ratione prolis fortasse secuturæ : « *Quidquid primum erumpit è vulva* cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit : ita dumtaxat, ut pro hominis *primogenito* pretium accipias, et omne animal quod immundum est, redimi facias ; *cujus* (primogeniti hominis) *redemptio erit post unum mensem,* siclis argenti quinque, pondere sanctuarii. » Sic etiam Deus populum Israël *primogenitum* suum vocat (Exod. IV, 22), licet alium non haberet.

G. V. D. P.

III.

Q. Demonstra existentiam Dei, evolvendo, modo qui populo fideli proponi posset, argumentum deductum ex ordine et pulchritudine universi, et expone quid S. Scriptura de illa argumentatione pronuntiet.

R. I. Ad primam partem quæstionis.

Et quidem *imprimis* exponitur ipsum argumentum, ut deinde facile indicetur modus hoc populo fideli proponendi.

A. Ordo qui in aliqua re percipitur potest esse talis ut necessario et evidenter fuerit productus ab Ente non tantummodo intelligente et potente, sed cujus intelligentia et potentia tantæ sunt ut nostram omnem facultatem

excogitandi et concipiendi quam longissime superent.

Atqui talis est ordo qui in universo aspectabili percipitur.

Ergo ordo mundanus fuit productus ab ente etc.

Demonstrantur præmissæ :

1° Si ordo aliquis constituatur *pluribus* et *diversis* elementis, *jam moraliter impossibile* est ut fuerit productus a causa non intelligente ; immo hæc impossibilitas crescit cum numero et diversitate horum elementorum, ita ut si elementa hæc quam numerosissima et quam diversissima essent, jam *certum* foret ipsum a causa intelligente fuisse productum.

Nam si haberetur alicubi petra, quæ perfectissimam præ se ferret formam cubicam, seu aliam quamvis geometricam, haberetur ibi ordo, sed, uti apparet, nulla esset certitudo hunc non fuisse *casu* productum. Eodem modo si quis quatuor vel quinque litteras seu characteres typographicos fortuito ad terram projiceret, rursus posset fieri, ut *casu* hi characteres ordinatim in terra jacerent, vocemque quamdam v. gr. *Deus* aut *liber* efformarent. Ast si quis plura et diversa elementa manu teneret eaque ad terram fortuito projiceret v. gr. quinquaginta litteras, *jam moraliter impossibile* esset ut ordinatim in terra jacerent. Si adhuc majori numero et diversitate, ut si quis omnia parvula elementa cujusdam horologii ita projiceret, *jam certum* esset nunquam hac fortuita projectione horologium constitutum iri. Tandem si numerus elementorum maximus et diversissimus esset, ut si quis milliones illas litteras, quibus constituitur *Summa theologica S^i Thomæ* ita projiceret, jam, quamvis hic non habeatur impossibilitas metaphysica, tamen *quam certissime* hæc projectio, etiamsi vel millies millies reinciperetur, *nunquam* efformaret Summam theologicam S^i Thomæ, sed *quam certissime* ad hanc efformationem necessarium esset Ens intelligens.

Jamvero ordo mundanus constituitur elementis quæ millies millies numerosiora et diversiora sunt quam litteræ constituentes Summam theologicam. Si consideratur enim haberi animalia microscopica talia ut videri nequant nisi ope fortissimorum microscoporum, hæcque animalia organis instructa esse, quantæ parvitatis minusculæ esse debent elementa quibus hæc animalia constituuntur, proindeque quot numerus elementorum in corpore humano, quot numerus elementorum in globo terrestri inque iis quæ continet, quot numerus elementorum in toto universo aspectabili cujus terra non efformat nisi unum ex millionibus istis astris, sideribus, corporibusque cœlestibus! Nonne dici potest numerum hunc revera fere infinitum esse, diversitatemque fere infinitam habere ? Et proinde nonne sequetur *cum omnimoda evidentia et certitudine* ordinem istum a causa intelligente productum fuisse ?

2º Immo si ordo aliquis non tantum talis sit, sed insuper si elementa illa non sint in quiete, sed in continuo motu, sive vitali sive non vitali, ordoque ille isto *continuo motu* semper et constanter constituatur, evidentia, jam completa tamen, existentiæ causæ intelligentis adhuc crescit.

Nam si motus horum elementorum constanter producit ordinem, jam sequitur hæc elementa finem quemdam prosequi. Finem autem prosequi non potest nisi ens intelligens aut ab intelligente præparatum. In ordine mundano autem non tantum elementa in continuo sunt motu, ut cuique apparet, sed præcise iste motus ordinem producit. Ergo finem prosequuntur, proindeque, quum hæc elementa ipsa ratione careant, ab ente intelligente præparata sunt. « Videmus enim « scribit S. Thom. S. th., p. 1, q, 2, art. 3, in o, quod « aliqua quæ cognitione carent, scilicet corpora natu- « ralia, operantur propter finem, quod apparet ex hoc « quod semper aut frequentius eodem modo operantur

« ut consequantur quod est optimum. Unde patet quod « non a casu sed ex intentione pervenium ad finem. Ea « autem quæ non habent cognitionem non tendunt in « finem nisi directa ab aliquo cognoscente, sicut sagitta « a sagittante ; ergo est aliquod intelligens, a quo « omnes res naturales ordinantur ad finem, et hoc « dicimus Deum. »

3° Si ordo non modo sit talis ac sub 1° et 2° dictum est, sed insuper si sit *constans*, hoc sensu quod *quotiescumque* causa agit, *toties* etiam *semper idem* ordo producatur, evidentia existentiæ causæ intelligentis clarior clariorque evadit.

Nam si non modo *semel* projectione fortuita characterum typographicorum produceretur *Summa Theologica* sed si produceretur *toties quoties* quis has litteras projiceret, quis est qui non videret evidentissime intervenisse causam intelligentem ?

Jamverò talis est ordo mundanus. Semper *idem* v. gr. in procreatione diversarum specierum plantarum, animalium ; semper idem tum in ipsa linea quam percurrunt corpora cœlestia, tum in modo et tempore quo illam percurrunt ; semper idem tandem in tota permanentia legum physicarum quibus totus ille dirigitur ordo.

Proindeque rursus *quam certissime* sequitur causam intelligentem hunc ordinem produxisse.

4° Si ordo non modo sit talis ac sub 1°, 2° et 3° dictum est, sed insuper si, *non obstante tum possibilitate hæc diversissima elementa diversissimo modo ordinandi, tum mutatione omnium circumstantiarum*, tamen ordo ille *semper* et *constanter idem* remanet, rursus evidentia existentiæ causæ intelligentis *jam luce meridiana clarior* fit.

Tunc enim productio istius ordinis non potest tribui circumstantiis : supponuntur enim omnes mutari ; neque causæ non-intelligenti : siquidem causa non-

intelligens est causa non libera, agensque absque discretione, cui proinde indifferens est ut producat ordinem vel confusionem, hunc ordinem vel istum ; et cui ergo tribui nequit quod *constanter* et *semper idem* ordo producatur.

Jamvero rursus talis est ordo in universo aspectibili existens, jam ab initio creationis usque nunc, quamvis alium ordinem possibilem esse unusquisque intelligat, et quamvis omnes circumstantiæ mutentur. Ergo *luce meridiana clarius* est existere ens intelligens hujus ordinis causam.

5° Additur : si ordo non modo omnes habeat qualitates, sub præcedentibus numeris enumeratas, sed insuper *pulcher* sit, sequitur causam hujus ordinis productricem non modo *intelligentem* sed *magnam pulchramque intelligentiam* habere, ita quidem ut quo pulchrior ordo existat eo major etiam et pulchrior intelligentia causæ esse debeat.

Quum enim pulchram videmus picturam, aut aliud quid pulchre arte factum, statim concludimus ad pulchritudinem intellectùs illius, qui hoc fecit. Quando pulchritudinem miramur operis illius, cui nomen *Summa Theologica,* vim et magnitudinem intellectùs S^i^ Thomæ obstupescimus. Quod autem faciendo logice agimus, siquidem nihil in effectu quod non fuerit, et quidem eminenter, in causa. « *A magnitudine enim speciei cognoscibiliter* (ἀναλόγως, id est, analogice, proportionaliter) *poterit creator eorum videri* » et sciri « *quantum his dominator eorum speciosior* » (Sap. XIII, 5, 3).

Jamvero ordo mundanus non modo pulcher, sed tantæ pulchritudinis ut omnem nostram concipiendi virtutem quam longissime superet. Sive enim unumquodque et singulum ens in semetipso inspiciamus, aut quam microscopicissimum animalculum vel plantam aut quam immensissimum ex corporibus cœlestibus, sive harmoniam omnium illorum entium inter se

examinemus, non possumus quin quam maxima admiratione ipsorum pulchritudinem extollamus, nostramque omnimodam impotentiam eam quam minime concipiendi aut intelligendi confiteamur.

Proindeque causa hujus productiva non modo est intelligens sed *tantæ intelligentiæ ut revera suprema dicenda sit.*

6° Tandem si ordo non modo sit talis, sed insuper *maximæ difficultatis* tum in sui productione tum in sui conservatione, sequitur causam hujus productricem non modo esse *supremæ intelligentiæ* sed et *maximæ potentiæ,* tantæque majoris quo major est difficultas hujus ordinis.

Maximæ autem et stupendissimæ difficultatis est ordo mundanus, siquidem ut ita dicam infinitis elementis constiuitur, quæ omnia sunt in motu, quorum millena millenorum, corpora dico cœlestia, in gyro citissimo ubique circumvolant, et omnia locum suum et spatium servare debent ita ut si vel minime diviarent, aut vel semel unum aliud obvium haberet, omnia susdeque verterentur ; siquidem in toto illo universo ex una parte habentur : *des forces inconscientes, toujours en lutte entr'elles, travaillant à réaliser les fins les plus diverses, des êtres contingents toujours en voie de formation et de dissolution ;* et ex altera parte : *ces êtres obéissant à des lois constantes, constituant un monde où se manifestent une appropriation, un concert, une permanence de lois, une perfection dans le détail et une harmonie dans le plus vaste ensemble qui dépassent à jamais toutes les conquêtes de la science et tous les rêves de l'imagination* (Dupont, *Theodicée,* thèse XXI, Louvain, 1874).

Ergo causa hujus productiva non modo est intelligens sed *tantæ intelligentiæ, tantæque potentiæ ut nostram omnem facultatem excogitandi et concipiendi quam longissime superet.*

« Ipse ergo ille ordo nos in primum et summum,

« potentissimum, et sapientissimum, et optimum evi-
« dentissime manu ducit. Qui igitur tantis rerum
« creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est ;
« qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est ; qui
« ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus
« est ; qui ex tantis indiciis primum principium non
« advertit, stultus est. » S. Bonaventura, *Itinerarium mentis ad Deum,* Cap. I nº 19.

Si post hæc omnia quis dicat inde quidem demonstrari existentiam Entis cujusdam superioris, non tamen pertingere ad Ens *Infinitum,* quum ordo mundanus, quisquis sit, finitus tamen est, ipsi respondetur : pro omnibus hominibus sinceræ et sanæ mentis sufficere demonstrasse existentiam tanti Entis ut inde concludant hoc Ens esse Deum ; respondetur ulterius hoc argumento demonstratum esse existere « Ens superius
« a quo homo et mundus dependent, indeque, quamvis
« non directe demonstretur infinitas, tamen posse
« logice concludi ad existentiam non tantum Entis
« superioris sed supremi et infiniti. » (Dupont, ibid. these XXIII.) Ordo enim elementorum illorum dependet ab eodem a quo dependent ipsa elementa, tum in motibus suis tum in esse suo. In esse autem suo dependent a factore suo. Produci vero nequiverunt nisi per creationem. Et ad creandum requiritur potentia infinita. — Cf. S. Bonav., in I *Sent.,* dist. 44, art. 1, q. 3, *concl.*

C. Hoc modo argumento intellecto, jam facile, ex multiplicibus qui possibiles sunt, indicari potest modus aliquis istud populo sat clare proponendi. Supponatur v. gr. aliquem in insula deserta depositum ibi invenire horologium, et statim concludet ibi adfuisse hominem. Supponatur hunc hominem insulam peragrare, et invenire domum quamdam in qua plurimæ res mobiles aptissime et ordinatissime dispositæ sunt ; describatur ordo illius domus, et rursus statim tum

homo ille tum auditores cum omnimoda certitudine et absque ullo dubio concludent ibi adfuisse hominem. Petatur tunc quare hoc concludant, et omnes respondent intimo in corde ; quia ibi invenitur ordo, quia proinde ubi ordo ibi intelligentia, saltem si ordo ille aliqualem difficultatem et pulchritudinem præ se ferat ; et quia tandem eo fortior et pulchrior requiritur intelligentia quo pulchrior et difficilior sit ordo. Hac conclusione facta jam statim vertatur sermo ad inspectionem ordinis illius *stupendi* et *mirandi, pulcherrimi, difficillimi* et *constantissimi* universi aspectabilis tum in singulo ente mundano tum in harmonia omnium inter se, et hac descriptione cum aliquali eloquentia facta, jam omnes ad unum concludent existere Ens Intelligens Superius, cujus tanta sit intelligentia tantaque potentia ut ipsas nec excogitare valeamus, a quo omnes nos dependemus, quodque jure meritissimo *Deum* vocamus.

Hanc demonstrationem philosophice propositam apud omnes auctores theodiceæ videre est ; eloquenter vero et modo populo proportionato, quamvis non completo, apud Ill. D^um^ Lambrecht : *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* Gent 1883 in append. ad vol. 3um, I, § 1°, q. 4^a^ et 5^a^ , pag. 1371 ad 1374 ; ap. Frayssinous : *Défense du christianisme,* vol. I, conferentia 5^a^ ; et eloquentissime ap. De Margerie : *Theodicée,* vol. I, p. 187.

II. Ad alteram partem quæstionis.

Argumentum hoc physicum sufficere ut perveniatur ad cognitionem, imperfectam saltem et initialem sed *certam* existentiæ Dei pronuntiat S. Scriptura, si non in l. Sap. XII, 1-9 et Rom. I, 18-28 ubi Scriptura agit simul de argumento metaphysico et physico, saltem in Act. Apost. XIV, 15-17 et XVII, 26-27 ubi Apostolus dicit tum ordinem mundi tum ordinem ipsarum actionum hominum a Deo dirigi et dependere, hominesque ex hoc Deum cognoscere posse.

V. J. C.

IV

Q. Quomodo adæquate respondendum est quæstioni : *cur credis* v. g. Incarnationem ?

R. Quum fides spectari possit vel *formaliter* tantum, vel *complete* seu cum variis actibus ad actum fidei formalem præviis ; quum præterea duæ facultates, *intellectus* et *voluntas,* illustrante et inspirante gratia, in actum fidei concurrant : sub hac simplici interrogatione *cur credis* ponitur quæstio satis complexa. Sensus enim verborum, ut plerique responderunt, potissimum triplex esse potest : 1° Cur *judicas esse credibilem* Incarnationem, seu ex quibusnam motivis adductus es ad hoc mysterium credendum ? — 2° Cur *vis credere,* seu ex quonam motivo imperasti intellectui tuo assensum fidei in Incarnationem ? — 3° Cur *formaliter credis,* seu ex quonam motivo intellectus tuus in actu fidei assentitur mysterio Incarnationis ?

His tribus quæstionibus fit satis, ostendendo quomodo fides nostra resolvatur, tum *dispositive,* ut aiunt, tum *affective,* tum *formaliter.*

Unde ad 1m : Credo quia certo scio Deum summe veracem Incarnationem revelasse. Facile autem ad hanc certitudinem quisque devenit per Ecclesiam. Nam « Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit suæque institutionis manifestis signis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. » Conc. Vatic., const. *Dei Filius,* cap. 3.

Ad 2m : Credo quia bonum est, summe honestum et utile, me Deo loquenti fidem præstare. Honestum quidem, nam « quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. » Utile vero, nam « quoniam.. sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire ; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur. » Conc. Vatic. ibid.

Ad 3m : Credo propter auctoritatem Dei Revelantis. Nam fidem « Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. » Conc. Vatic. ibid. — Quodsi instet interrogans : quomodo assentiris in actu fidei auctoritati Dei revelantis ? Jam petit analysim et ultimam resolutionem formalis fidei, circa quam theologi dissentiunt.

Quæ responsio brevi formula concludi poterit : Credo dispositive propter motiva credibilitatis, affective propter honestatem actus, formaliter propter auctoritatem Dei revelantis.

O. E. D.

V.

Q. Præmissis notionibus finis *operis* et finis *operantis*, necnon finis *intermedii* et finis sive relative sive absolute *ultimi*, accurate determina in quo consistat finis absolute ultimus hominis.

R. I. *Notiones præviæ.*

Finis dicitur id propter quod aliquid fit ; et ita vocatur quia finit seu terminat actionem quæ ipsius causa et intuitu ponitur.

Finis *operis,* qui et intrinsecus vocatur, est id ad quod opus per se et natura sua tendit ; v. g. in eleemosyna finis operis est sublevatio miseriæ, in studio scientia, in medicina sanitas.

Finis *operantis* seu extrinsecus est id quod agens sibi voluntarie constituit et quo ad agendum movetur ; sic in danda eleemosyna finis operantis potest esse vana gloria, satisfactio pro peccatis, etc.

Recidunt in idem duo prædicti fines, quotiescumque fini operis nullus alius superadditur voluntate operantis; ut si quis det eleemosynam unice ad subveniendum miseriæ pauperis.

Uterque finis est vel *intermedius* seu non ultimus, vel *ultimus.*

Finis *operis intermedius* seu non ultimus est id ad quod opus ita refertur ut illud ipsum alteri inserviat ; v. g. jejunium per se ordinatur ad macerationem carnis, quæ ipsa nata est passiones sedare, et sic juvare ad castitatem servandam : maceratio carnis, sedatio passionum sunt fines operis intermedii.

Finis *operis ultimus* illud est in quod opus ita tendit ut ad aliud non ordinetur, sive absolute, quo casu dicitur finis *absolute* vel simpliciter ultimus ; sive saltem in aliqua serie rerum, et tunc dicitur finis ultimus *relative* seu secundum quid. Sic, in negotio medicinæ, varia remedia quæ adhibentur, licet proxime ordinentur ad diversa, omnia ultimatim tendunt ad sanitatem corporis, quamvis ipsa sanitas ulterius ad gloriam Dei referatur : sanitas corporis est finis ultimus in toto negotio medicinæ, sed non est ultimus nisi relative seu secundum quid, quum ulterius ordinetur ad gloriam Dei quæ est finis absolute seu simpliciter ultimus omnium, in quocumque ordine seu serie rerum.

Finis *operantis intermedius* est id quod ita intenditur ab agente ut per ipsum aliud quæratur, adeò ut ratione sui quidem appetatur, sed cum relatione et dependentia ab

ulteriori fine. Sit exemplum illius qui studiis theologicis incumbens finem sibi proponit scientiam sacram acquirendam, ideo autem scientiam vult acquirere ut idoneus sit ad statum sacerdotalem amplectendum, insuper sacerdotium appetit ut valeat laborare in salutem animarum, atque ita beatitudinem æternam consequi : scientia, status sacerdotalis, salus animarum sunt fines operantis intermedii.

Finis *operantis ultimus* dicitur ille qui nullius alterius gratia appetitur sed cujus gratia cætera appetuntur, vel qui sic appetitur ratione sui ut in nullum alium ulteriorem referatur, sive absolute, et tunc dicitur finis operantis *absolute* seu simpliciter ultimus ; sive in aliqua saltem serie operationum, et tunc dicitur finis operantis ultimus *relative* seu secundum quid. Ita v. g. vicarius, muneri parochiali inhians, omni modo benevolentiam parochi sui conatur sibi conciliare, strenue studio theologiæ incumbit, aliaque officia sua fideliter adimplet, etc., ut optimum locum in concursu obtineat atque tandem curam parochiæ obtineat : munus parochiale est finis operantis ultimus, non tamen absolute, sed relative seu secundum quid, quatenus ultimo intendatur in hac serie operationem, licet ad finem ulteriorem referri possit.

II. Hisce præmissis, jam accurate determinandum est in quo consistat *finis absolute ultimus hominis.*

Respondetur distinguendo.

1° Finis *operis* absolute ultimus hominis consistit in glorificatione Dei tum *objectiva,* tum *formali :* ad hoc scilicet a Deo factus est homo ut in suo esse, sua natura, suis potentiis et facultatibus, suis operationibus, divinas perfectiones manifestet ; utque Deum infinite perfectum agnoscat, amet, laudet et colat.

Deus enim universa propter semetipsum operatus est, et quidem propter gloriam suam extrinsecam ; quæ debet a diversis creaturis procurari modo ipsis consen-

taneo, et ideo ab homine actibus humanis, id est ab intellectu et voluntate procedentibus, agnoscendo nempe Deum eumque amando.

2° Finis hominis *operantis* absolute ultimus a) sî *universim* et *abstracte* consideretur, continetur *objective* bono seu perfectione in genere ; *formaliter* felicitate seu beatitudine ut sic, quæ consistit in assecutione boni perfecti. Etenim homo, qua talis, id est humano modo, nihil agit nisi propter finem a quo movetur et in quo sistit ; atqui nihil ad operandum movere potest nisi quod apprehenditur ut aptum naturæ vel facultati perficiendæ ; quod autem aptum est naturæ vel facultati perficiendæ vocatur ejus *bonum*. Ergo homo, in omni operatione sua intendit bonum ; et ultimatim quidem bonum supremum quod naturam plene perficit, in cujus possessione reperitur *beatitudo in communi,* quæ est terminus omnis actus humani et simul primum movens. b) Si *particulariter* vero et *determinate* consideretur, nequit finis ille in ullo bono creato atque finito consistere ; sed consistit *objective* in solo Summo bono qui Deus est ; *formaliter* vero in conjunctione cum Summo bono ejusque possessione per intellectum et voluntatem, seu cognoscendo illud, illoque per amorem et gaudium fruendo. Licet homo in omnibus actibus suis naturaliter quærat beatitudinem eaque universaliter ad agendum pondere naturæ moveatur, « nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest, et sæpe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet » (Leonis XIII, Encycl. *Libertas*); aliis verbis, potest homo in *particulari,* utens sua libertate, beatitudinem reponere in objecto in quo non est, adeoque et in consecutione objecti quæ non sit vera beatitudo. Hæc autem essentialiter consistit in cognitione et amore Dei, vere et summe boni.

Ex dictis liquet utrumque finem absolute ultimum

hominis simul obtineri : iisdem actibus nobilissimarum facultatum, intellectus nempe et voluntatis, circa objectum summe bonum et infinite perfectum procuratur simul hominis vera beatitudo et Dei glorificatio formalis.

Si vero uterque finis ad invicem comparetur, facile apparebit gloriam Dei esse finem *primarium,* beatitudinem hominis finem *secundarium :* hæc enim natura sua ad Dei gloriam refertur.

Notandum tandem, in præsenti statu supernaturali, finem hominis absolute ultimum esse supernaturalem, et consistere in visione Dei per essentiam, in amore Dei perfecto et gaudio plane immenso.

Cfr Bouquillon, *Theol. moral. fundamental.* (edit 2ª), p. 144 ss. coll. p. 627 et 686 ss. ; Ill^mi^ ac R^mi^ D^ni^ Waffelaert, *De dubio solvendo,* p. 13 et 25 ; *De virtutibus cardinalibus,* Tract. I, in procemio, p. VII s.

C. V. C.

VI

Q. Caius parochus, tempore feriarum, summum sacrum professori in parochia degenti celebrandum committit ; missam pro populo, tempore exercitiorum spiritualium, quibus interest, occurrentem, peractis exercitiis, per eumdem professorem exonerandam curat; et tandem, ob funus occurrens, missam pro populo differt in subsequens aliquod festum, in quo missam ex binatione celebrandam pro grege applicat.

An et *quare* recte agit Caius ?

R. Proposita quæstio complectitur tres partes, de quibus singillatim est dicendum.

Pars 1ª. Caius parochus, tempore feriarum, summum sacrum professori in parochia degenti celebrandum committit.

An et *quare* recte agit ?

Respondetur distinguendo. 1º Si Caius ipse missam, licet privatam, pro populo applicat, et non nisi onus solemne sacrum cantandi rationabili ex causa, profes-

sori committit, recte agit. Etenim, ab una parte satisfacit legi Ecclesiæ generali, quæ jubet quidem ut parochi statutis diebus pro grege celebrent, sed nihil determinat de hora qua missa pro populo celebrari debeat, nihil etiam de ejus solemnitate, nihil de ea legenda vel cantanda ; ab alia vero parte, rationabilis aliqua causa sufficiens videtur ut parochus a personaliter celebrando summo sacro excusetur. Rationabiliter enim præsumitur Episcopum in hoc casu non velle urgere obligationem disciplina locali seu præcepto particulari introductam. Cfr. *Statuta diœc. Brug.*, P. I, Tit. II, art. 5, § 2, n. 2.

2° Si Caius, alias non legitime impeditus, summum sacrum pro grege applicandum professori committit, recte non agit, quia violat legem universalem Ecclesiæ, qua tenetur ad personaliter missam pro populo applicandam ; nec potest, non obstante consuctudine contraria, etiam immemoriali, huic officio per alium satisfacere « excepto casu veræ necessitatis et concurrente causa canonica » (S. C. C. in *Mechlinien.* 25 Septembris 1847). Ratio autem sufficiens non est quod professor summum sacrum cantet et populus putet hoc sibi applicari (S. C. R. 20 Decembris 1864 et S. C. C. 9 Aprilis 1881).

3° Si Caius ob infirmitatem aliamve causam juri conformem est impeditus, recte omnino agit committendo professori munus summum sacrum pro grege celebrandi ; parochus enim utcumque impeditus ne missam celebret, tenetur eam ipso die festo per alium celebrare et applicare facere pro populo in ecclesia parochiali (S. C. C. 14 Decembris 1872 coll. decr. 14 Decembris 1859 et Ben. XIV, Const. *Cum semper oblatas,* § 17).

Pars 2ª. Caius parochus missam pro populo, tempore exercitiorum spiritualium occurrentem, peractis exercitiis, per eumdem professorem exonerandam curat.

An et *quare* recte agit ?

Respondetur. Quum obligatio pro populo celebrandi personalis sit simul et realis atque determinatis diebus affixa, juxta Sedis Apostolicæ declarationes, parochus peragens exercitia secessus ecclesiastici, non potest missam pro grege eo tempore occurrentem in alium diem differre, sed tenetur eam, statuta die, applicare; potest autem hoc facere vel per alium in ecclesia parochiali, vel, si ipse celebret, per seipsum in loco ubi degit. Quod si neutrum fecerit, tenetur postea ipse quamprimum supplere (S. C. C. 14 Decembris 1859, ad III, et 14 Decembris 1872). Male igitur agit Caius tum differendo missam pro grege, tum eam, peractis exercitiis, alii celebrandam committendo; nisi tempore exercitiorum alium sacerdotem non habuerit, et ipse a celebrando impeditus fuerit et hucusque manserit.

Pars 3ª. Caius parochus, ob funus occurrens, missam pro populo differt in subsequens aliquod festum, in quo missam ex binatione celebrandam pro grege applicat.

An et *quare* recte agit?

Respondetur. Caius ita agendo, triplici ex capite, damnandus est.

1º Recte non agit missam pro grege in alium diem differendo; excepto *forsan* casu quo solus sit in parochia et funus occurrat in festo abrogato, præsertim tali in quo nulla amplius solemnitas servatur. Dicimus: excepto *forsan* casu etc... ; quia nonnulli auctores opinantur, in festis suppressis, differri posse applicationem pro populo quotiescumque occurrat missa exequialis (vel etiam pro sponsis) celebranda, nec adsit alius sacerdos cui commode applicatio pro grege committi queat. Illorum tamen opinionem non admittimus; et tenemus parochum, secluso speciali indulto, neque in festis suppressis posse, propter funus vel missam pro sponsis aliamve hujusmodi causam, in alium diem transferre vel etiam alteri committere applicationem missæ pro populo. Non enim videmus quomodo benigniora illa opinamenta conciliari possint

cum variis S. Sedis resolutionibus, quibus absolute, et nulla facta distinctione inter festa, decernitur missam pro grege ipso die per ipsum parochum esse applicandam, nisi adsit impedimentum legitimum vel causa canonica. Talis autem non est missa pro funere (vel pro sponsis) celebranda, ut expresse declaravit S. C. C. in *Fesulana,* 26 Januarii 1771 (cf. De Brabandere, *Comp. jur. can.,* n. 448). Fertur quidem S. C. C., 13 Januarii 1858, episcopo Nanceiensi respondisse : « Differri posse applicationem missæ pro populo ad diem sequentem, toties quoties die festo occurrat applicatio vel pro funere alicujus defuncti vel pro sponsis, nec alius adsit sacerdos cui commode committi possit applicatio missæ pro populo » (cf. *Collect. epist. pastoral.,* T. X, p. 50). Sed hoc responso non movemur : quum enim nullibi, neque in collectionibus authenticis, neque in archivo diœceseos Nanceiensis, textus inveniatur ; atque verba hæc tam generalia (*die festo,* sine ulla distinctione) conciliari nequeant cum cit. *Fesulana,* potius exspectabimus plenum tenorem petitionis episcopi Nanceiensis et responsionis S. C. C., quam concludamus hanc prorsus mutasse sententiam. Miraremur etiam si S. C. C. declarasset *missam pro populo* potius quam missam pro funere vel pro sponsis celebrandam esse ab alio sacerdote qui adsit. Interim itaque sequimur doctrinam conformem declarationi in *Fesulana ;* et eo vel magis hoc facimus quod Pius IX, die 17 Januarii 1859 (post prædictum responsum ad episcopum Nanceiensem), archiepiscopo Friburgensi *specialem facultatem* concesserit permittendi parochis aliisque pro populo applicare debentibus, ut diebus festis abrogatis, occurrente missa pro sponsis, supplicationum, exequiarum aut anniversarii fundati, applicationem pro populo differre possent ad alium diem infra eamdem tamen hebdomadam. Ex quo sponte nascitur suspicio supradictam responsionem S. C. C. ad episcopum Nanceiensem non continere declaratio-

nem juris ubique applicabilem, sed pariter *specialem facultatem* episcopo concessam ; et quidem pro solis festis *abrogatis,* mimime vero pro omnibus festis in quibus parochi pro grege celebrare tenentur. Hanc autem suspicionem veritati conformem esse constat ex *Nota* quæ in litteris ab episcopo Nanceiensi occasione quadragesimæ anno 1858 datis inserta invenitur : « MM. les curés, qui seront forcément empêchés, par une messe d'enterrement ou de mariage, d'appliquer à leurs paroissiens la messe de l'un des 4 jours réservés parmi les fêtes *autrefois obligatoires,* devront accomplir ce dernier *(devoir)* le lendemain ou le jour suivant le plus prochain (Décis. de la S. Congr. du Concile, 13 Janvier 1858) » (1). Ex quo liquet citatum responsum S. C. C. non respicere nisi quædam festa *abrogata.* Quibus omnibus consideratis, opinamur recte nos posse concludere missam pro sponsis vel funus occurrens, in festo licet suppresso, jure non sufficere ut applicatio pro grege in alium diem differatur. In confirmationem hujusce sententiæ merito etiam invocari potest decretum S. C. R. in *Quebecen.,* diei 3 Julii 1869, quod inquirit : *An in parochia in qua præter parochum nullus est alius sacerdos, si in diebus S. Marci et Rogationum, et in Vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quæ anticipari aut differri non possit, facienda sit sepultura sine missa defunctorum, vel potius omittenda functio diei, aut saltem missa hujus functionis, ut missa pro sepultura celebrari possit ?* Sacra vero eadem Congregatio rescribere rata est : *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam et tertiam.

« Ergo non potest omitti in præfatis diebus missa diei pro missa exequiali. Putasne missam pro populo minoris esse gravitatis, quam missam S. Marci, aut Rogationum, aut Vigiliæ Pentecostes ? Contrarium videtur certum ; ergo, a fortiori, missa in casu non potest

(1) Cf. *Revue des sciences ecclésiastiques,* an. 1885, sixième série, T. 1, p. 519.

pro defuncto, etsi præsente cadavere, celebrari. Ita salvo meliori judico. » *Ephemerides liturgicæ,* Vol. VII, p. 356. Cfr. *Statuta, l. c.,* n. 4.

Spectata tamen praxi generatim vigente, et attenta auctoritate extrinseca qua opposita sententia fulcitur, non auderemus damnare parochum qui solus in parochia, in festo suppresso cujus nulla jam solemnitas servatur, occurrente funere quod anticipari aut differri non potest, et deficiente sacerdote cui funus celebrandum committat, missam pro populo in alium diem differret.

2° Recte non agit Caius missam pro grege differendo in subsequens aliquod festum, nisi hoc festum occurrat die subsequenti vel alio infra eamdem tamen hebdomadam ; tenetur enim Caius *quamprimum* obligationi suæ satisfacere, quia dies determinati sunt ad obligationem urgendam. Cfr Dec. S. C. C. 14 Decembris 1872 ; Ben. XIV, Const. *Cum semper oblatas* (Bullar., T. II, p. 319); et supra citata facultas a Pio IX archiepiscopo Friburgensi concessa.

3° Tandem male agit Caius missam ex binatione celebrandam pro grege applicando. Hoc expressis terminis declaravit S. C. C. *in Vivarien.,* 5 Martii 1887. Cfr De Brabandere, *op. cit.* (5ª edit.), n. 455 in fine ; et *Nouv. rev. théol.,* T. XIX, p. 254. Ratio est quia sic agendo Caius illudit *indirecte* prohibitionem percipiendi stipendium pro applicatione secundæ missæ ; parochus enim *ex justitia* tenetur pro populo missam applicare, nullumque pro ea stipendium accipere potest nisi vi specialis facultatis a R. P. concessæ, qualis in diœcesi Brugensi habetur pro missa in festis *abrogatis* celebranda « ea lege stricta ut impendatur stipendium, sive pars stipendii celebranti obveniens, Operi Scholari. » Cfr. *Collect. epist. pastoral.,* T. XIV, p. 68.

C. V. C.

Evangelia dominicarum

homilitice explicata

DOM. IV POST PASCHA.

Komst en werking van den H. Geest. Jo. XVI, 5-14.

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen : 5. Ik ga heen tot dezen die mij gezonden heeft, en niemand van ulieden en vraagt mij : Waar gaat gij heen ? 6. Maar omdat ik deze dingen tot u gesproken heb, zoo heeft de droefheid uw herte vervuld. 7. Doch ik zeg u de waarheid : het is u nuttig dat ik wegga ; want indien ik niet wegga, zoo zal de Trooster tot u niet komen ; maar indien ik wegga, zoo zal ik hem tot u zenden. 8. En als die gekomen is, zal hij de wereld overtuigen van zonde, en van gerechtigheid, en van oordeel : 9. en wel van zonde, omdat zij in mij niet geloofd en hebben; 10. en van gerechtigheid, omdat ik tot den Vader heenga, en gij mij niet meer en zult zien ; 11. en van oordeel, omdat de vorst dezer wereld alreeds geoordeeld is.

12. Nog veel heb ik u te zeggen, maar gij kunt het nu niet dragen. 13. Doch wanneer die Geest der waarheid zal gekomen zijn, zal hij u de gansche waarheid leeren ; want hij en zal uit zijn zelven niet spreken, maar hij zal spreken alwat hij zal hooren ; ook hetgene toekomende is, zal hij u verkondigen. 14. Die zal mij verheerlijken; want hij zal van het mijne ontvangen, en het u verkondigen.

Uitleg en Aanmerkingen.

A. *Waarom moest Jesus' hemelvaart de zending van den H. Geest voorgaan?*

« Duas potissimum ob causas : quarum una fuit, ut mysterium sacrosanctæ Trinitatis innotesceret mundo. Ita enim divinitus decretum erat, ut postquam Pater, per creationem gubernationemque cæli ac terræ, et Filii denique missionem, Filius autem per assumtam carnem innotuissent : etiam Spiritus sanctus innotesceret visibili ac sensibili sacrorum munerum largitione. Quòd si Spiritus sanctus, Christo adhuc carne præsente, sua munera distribuisset : nihil Spiritui sancto, sed totum Christo adscriptum fuisset. Itaque tres personæ, singulæ opportuno tempore, declararunt se concurrere ad salvandos homines, Pater signando miraculis Filium a se missum supra VI, 27, Filius homines docendo ac redimendo, Spiritus sanctus perficiendo ac variis donis locupletando... Altera causa fuit, quia oportebat ut et mors et glorificatio Christi (quæ ambo continentur his verbis *si non abiero*) præcederent adventum Spiritus sancti : mors, quâ Christus suis re ipsâ promereretur hujusmodi Spiritus sancti donationem ; glorificatio, ut per hujusmodi liberalem ac magnificam Spiritus sancti missionem, Christus in cælis se esse ac regnare, toti mundo manifestum faceret. Hanc causam nos docuit ipse Evangelista sup. VII, 39, ubi ait : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* » Luc. Brug. Voeg daarbij : «Forte ex parte apostolorum ratio erat affectus vix non mere sensibilis erga Christi humanitatem ipsis corporaliter præsentem : absente Magistro affectus ille, licet sanctus, perfectior et spiritualis magis evasurus erat. » Corluy.

B. *Drie zedelessen uit Jesus' woorden 5-7 :* Primum, anxietatem et tristitiam cordis impedire frequenter, ne quæramus ea discere quæ scire saluti nostræ expe-

diant, atque ob id pulso procul hujusmodi mœrore, gnaviter inquirendum in Scripturis quò Dominus abierit, et qua ratione illum eò sequi possimus. *Tristitiam,* inquit Sapiens XXX, 24, 25, *longe expelle à te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa.* Secundo discendum, nos nobisipsis et proximis quos diligimus non ea debere præstare quæ sunt suavia, et humanæ grata voluntati, sed ea potius quæ sunt saluti magis conducibilia, quemadmodum Christus non tacuit suis de suo abitu, quamvis hinc sciret illos contristandos, nec suam illis præsentiam corporalem etsi summe ab eis cupitam concessit, quod illis non expediret. Postremo discendum, Spiritus non esse capaces qui adhuc carnalibus et terrenis rebus mente inhærent. Si enim Apostolis obstitit carnalis Christi præsentia, quo minus Spiritum possent accipere, cum illum tamen spirituali prosequerentur amore, quanto magis non possunt accipere Spiritum qui adhuc carnalia sapiunt, et toti illis inhærent, aut qui carnali adhuc cogitationum affectu detinentur. Undè Paulus, II Cor. V, 16, *Nos,* inquit, *ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* » Jans. Gand.

C. *Bijzonder nut van de komst van den H. Geest. Ik zal hem tot u zenden* « ut omni animi tristitiâ ablatâ vos consoletur, ut adversus mala omnia occurrentia vos muniat, ut vos repleat omnibus virtutibus, et qui jam toti pendetis à præsentiâ carnis meæ, à carne abstractos et spirituales redditos erigat ad fidendum divinæ virtuti meæ. Quare ubi misero eum vobis, multo magis prodero vobis absens quam præsens. » Luc. Brug.

D. *Drievoudig algemeen nut van die zending :* bestraffing van de wereld, volleering van de Apostelen, en verheerlijking van Jesus :

1. *Bestraffing van de wereld.* De H. Geest *zal de wereld overtuigen :*

a) *Van zonde, omdat zij in mij niet geloofd en hebben.* « Quod nonnulli sic intelligunt : Mundum gravissimi infidelitatis peccati convincet, quia non vult credere in me, manifestissimis documentis Dei Filium ac redemptorem mundi demonstratum (alzoo Corluy). Plurimi vero sensum hunc faciunt : Arguet et convincet mundum peccati servum esse : quippè qui, nolens in me credere, unicam ad consequendam peccatorum remissionem viam relinquat (cnf. Joan. III, 18, 36 ; VIII, 24). Apostolos utrumque hoc præstitisse, nemo nescit.» Liagre.

b) *Van gerechtigheid, omdat ik tot den Vader heenga, en gij mij niet meer en zult zien.* « *De justitia et innocentia Christi,* quem mundus persecutus est et ut sceleratum neci tradidit. » Corluy. « Vult dicere, quod Spiritus sanctus manifestis Scripturis, prodigiis et signis declarabit mundo, quod Jesus quem in crucem egerant Judæi, redivivus redierit in cælum ad Deum Patrem à quo missus fuerat, et subductus mortalium adspectibus sedeat à dextris ejus, gloriose cum eò æternum regnans. Unde consequenter monstrabit, quod Jesus injustè à Judæis occisus fuerit, ipse justus, inculpatæ et vitæ et doctrinæ, nec tantum in se justus, sed et justitiæ ac vitæ auctor, à quo solo ut Christo, Dei et hominum mediatore, justitia hominibus exspectanda sit; quam proinde assequi non possint, qui in eum non credant : juxta id quod ipse docuit, se unum esse viam, veritatem, et vitam, lucem mundi, salvatorem mundo à Deo missum...Nisi Jesus justus fuisset, non vita tantum, sed et doctrina ; nec doctrina tantùm, sed et reipsa valens homines justificare ac Deo gratos reddere ; non post peractam hanc vitam et sparsam doctrinam, Pater cælestis ad se redeuntem suscepisset, ac coronasset. » Luc. Brug.

c) *Van oordeel, omdat de vorst dezer wereld alreeds geoordeeld is.* « Alii (referunt) ad mundum, sed passivè,

fore ut cognoscat mundus judicium suum, id est condemnationem suam, cum videat se jam in suo principe condemnatum... Principem hujus mundi Diabolum appelari dubium non est, et omnes monent ; illud vero dixissent vellem, cur potiùs dixerit Christus principem hujus mundi, quam mundum ipsum damnatum esse... Primùm quia princeps jam verè damnatus, jam victus erat, mundus non damnatus, sed damnandus erat ; adhuc enim vivebat, adhuc spes illi erat veniæ. Deinde quia se damnatum nisi in suo principe cognoscere non poterat. Denique, quia majoris victoriæ erat principem mundi, quam mundum ipsum devictum esse, atque debellatum. Itaque fecit Christus, quod solent in bello facere victores, si hostium imperator inscio, ut sæpe fit, exercitu ceciderit, sublatum in hastam ejus caput hostibus ostentant, ut se mortuo imperatore suo victos esse confiteantur. At quà ratione hoc ipsum victum esse diabolum mundus cogniturus erat ? Videns nimirum nullam contra Christum, ejusque discipulos habere potestatem, ejus nomine de obsessis hominibus pelli, ejus prohibitum potestate, ac solo signo crucis ejus territum in idolis responsa non dare... » Maldon.

2. *Volleering van de apostelen. Hij zal u de gansche waarheid leeren.* « *Docebit* apertè, absque involucris *omnem veritatem,* tam eam quam ego jam differo aperire, quia modo portare non potestis, quia minùs capaces jam estis, quàm eam quam hactenus aperui ; illam ut sciatis, hanc ut reminiscamini et clariùs intelligatis, *omnem,* quam expedit vos nosse ad fungendum officium Apostolorum et totius mundi doctorum, quod vobis injungam ; *omnia* denique, quæ ad fidem moresque et ad Scripturas intelligendas regendamque Ecclesiam facient... Summa, promittitur hic Apostolis perfecta scientia et absoluta doctrina totius veritatis ad fidem christianam et salutem animarum pertinentis » Luc. Brug. « Ex his verbis merito probatur revelationem

christianam fuisse in apostolis completam. Hæc enim verba directe apostolos respiciunt : indirecte universam ecclesiam docentem, quam apostoli ibi repræsentant. Ita ut apostolis primùm, et postea eorum successoribus Spiritus sanctus semper sit viam ostensurus *in omnem veritatem* ac proinde nullo tempore veritatem incompletam eis exhibiturus » Corluy. — *Ook hetgene toekomende is, zal hij u verkondigen.* « His verbis promittitur Apostolis *prophetiæ* donum, quo scilicet, per internam Spiritus sancti revelationem, de rebus futuris multa prænoscerent et prædicerent : quod magno solatio, magnæ quoque utilitati eis futurum erat. Hoc dono Joanni Evangelistæ præ ceteris frui datum est ; librum quippe *Apocalypseos,* Spiritu sancto revelante, scripsit : unde et *Propheta* appellari meruit » Liagre.

5. *Verheerlijking van Jesus. Die mij zal verheerlijken...* « De hier (vs. 13) beschrevene werkdadigheid van den Geest der waarheid in de Apostelen zou strekken tot 's Heeren Jesus' verheerlijking ; want van hem zou de Heilige Geest *ontvangen* al wat hun door dien Geest zou verkondigd worden. » Beelen. Dicitur « *de meo,* non *meum,* habito respectu ad effectum annuntiandi : quia non omnia quæ sunt scientiæ aut naturæ Filii Dei, Spiritus Sanctus annuntiat sive Apostolis sive aliis hominibus (nec enim posset homo capere :) sed quædam dumtaxat, multa tamen in se et sublimia. q. d. De plenitudine divinitatis meæ, de infinito thesauro sapientiæ meæ, accipiet id omne quod vobis revelabit. Quandoquidem igitur meum erit, et à me acceptum, id omne quod Spiritus sanctus vobis et per vos aliis annuntiabit, et tamquam meum et à me acceptum in meo nomine annuntiabit ; nec enim Spiritus est fallax aut ingratus : fiet ut per hæc me clarificet, et gloriam meam per universum mundum propaget ; quamvis suam interim non occultabit, cujus et scientia et natura (etsi à me accepta) eadem cum mea est » Luc. Brug.

* * *

Slotrede.

1. In alle omstandigheden ons meeste geestelijk nut vóór oogen hebben : *expedit vobis...*

2. Ons van nu af bereiden tot de komste van den H. Geest (Sinxen), met ons teenemaal te onthechten aan al wat aardsch en vleeschelijk is, en de heerlijke gaven van den H. Geest aandachtig te overdenken en vurig te begeeren.

3. Om den Geest van waarheid (Jo. XV, 13) en van sterkte (Luc. XXIV, 49) overvloediglijk te ontvangen, bleven de Apostelen *altijd in den tempel, God lovende en dankende* (Luc. XXIV, 53), en *eendrachtiglijk volherdende in het gebed, met eenige vrouwen, en Maria, de moeder van Jesus, en met zijne broeders,* bloedverwanten (Act. I, 14). Vervoegen wij ons met Jesus' apostelen en vrienden, en bijzonderlijk met zijne minnelijke Moeder, en doen wij Hem een heilig en zoet geweld aan, opdat Hij zijnen Geest ook over ons zou uitstorten, *ons de gansche waarheid leeren, ons de kracht uit de hoogte aandoen, en het aanschijn van* ons herte *vernieuwen.*

DOM. V POST PASCHA.

Den Vader bidden in den naam van Jesus. Jo. XVI, 23-30.

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen : 23. Voorwaar, voorwaar ik zeg u : al wat gij den Vader zult vragen in mijnen naam, *dat* zal hij u geven. 24. Tot nu toe en hebt gij nog om niets gebeden in mijnen naam. Bidt, en gij zult verkrijgen, opdat uwe blijdschap volkomen zij. 25. Deze dingen heb ik tot u gesproken met gelijkenissen. De ure komt, dat ik niet meer met gelijkenissen tot u zal spreken, maar u opentlijk van den Vader verkondigen zal. 26. Te dien dage zult gij

in mijnen naam bidden; en 'k en zeg u niet, dat ik den Vader voor u vragen zal; 27. want de Vader zelf heeft u lief, omdat gij mij liefgehad hebt, en geloofd dat ik van God ben uitgegaan. 28. Ik ben van den Vader uitgegaan, en in de wereld gekomen; wederom verlaat ik de wereld, en ga heen tot den Vader. 29. Zijne leerlingen zeiden tot hem: Zie, nu spreekt gij opentlijk, en zegt geen gelijkenisse. 30. Nu weten wij dat gij alles weet, en niet noodig hebt dat iemand u vrage: daarom gelooven wij dat gij van God zijt uitgegaan.

* * *

Aanmerkingen.

A. Bidden in den naam van Jesus, is aan God iets vragen (gelijk de H. Kerke doet) *door Jesus-Christus onzen Heer,* namelijk door zijne verdiensten.

B. Vóór de zending van den H. Geest en plachten de geloovigen den Vader niet te bidden in Jesus' naam, omdat zij het mysterie der H. Drievuldigheid en der menschwording van den Zoon Gods niet genoegzaam en kenden.

« *Usque modo,* hactenus, usque adhuc *non petistis quidquam* etc., non orastis quidquam Deum. Non simpliciter hoc dicit, sed addit *in nomine meo:* nam à puero assueverant Apostoli modo orandi consentaneo Legi Mosis, nec dubium quin familiaris jam illis fuerit oratio quam à Christo Domino didicerant Luc. XI, v. 12: sed nihil hactenus, inquit, orastis *in nomine meo,* s. tamquam redemtoris vestri et mediatoris inter Deum et homines, id est, *propositis Deo meritis mortis meæ pro causa impetrandi.* Hactenus sic non oraverant, quia non intellexerant mysterium redemtionis humanæ per Christum... Similis ratio fuit eorum, qui ante Apostolos fuerant, fidelium Israëlitarum, quos latuerat tum Tri-

nitatis mysterium, tum Verbi incarnatio, si paucos sanctissimos excipias... Hactenus ergo non sic oraverant Apostoli, *si quidem nec Christus hoc ipsis ante hanc horam suæ passionis mandasse invenitur,* inquit Rupertus, *quamquam multa in plerisque locis de orationis instantia sit locutus.* Nondum docti erant hunc orandi modum : nam nec eum trádere Dominus, aut usitari ab aliis voluit, priusquam ipse, redemtione humani generis per mortem consummata, glorificatus esset. Cæterum non dicit : Usquè modo *non accepistis* quidquam in nomine meo; sed *petistis :* quidquid enim hactenus, sive Apostoli sive alii ante eos Dei cultores, ad salutem æternam pertinens, à Deo oratione impetraverant, acceperant in nomine Christi, ob merita Christi, (nihil enim, etiam ante Christum, à Deo exorato datum fuit, nisi respectu Christi venturi ;) quamquam inter orandum nomen Christi non interposuissent, quippe quod non satis adhuc cognitum haberent » Luc. Brug.

C. De christenen moeten bidden in Jesus' naam, en zullen alles bekomen wat zij den Vader om Jesus' wille vragen.

Voorwaar, voorwaar, dat is, ik verzeker het u, zegt Jesus, *al wat gij den Vader zult vragen in mijnen naam,* dat *zal hij u geven,* wel te weten, indien gij bidt gelijk het behoort, en geene dingen vraagt die schadelijk of min profijtig zijn. *Bidt, en gij zult verkrijgen, opdat uwe blijdschap volkomen zij :* « *ut gaudium vestrum,* quo in me et de me gaudere cœpistis, *sit plenum* et perfectum, dum per me omnium vestrorum votorum efficiemini compotes, dumque intelligetis omnipotentiam nominis mei, et proinde non vanam esse fidem et spem quam in me collocastis » Jans. Gand.

« Dices : Experimur multos multa petere à Deo, nec impetrare : quomodo ergo hic dicitur : « *Dabit vobis* » ? Respondeo, causa cur non impetrent est, quod non petant ea quæ petere oportet, vel ea ratione et modo

quo oportet, uti docet S. Jacobus, in *Epist.* cap. IV, v. 3. Affirmativæ enim promissiones in Scriptura requirunt certas conditiones quas ipsa alibi explicat. Sic oratio et impetratio requirit :

Primo, humilitatem et reverentiam ; quare qui illa caret, sed superbe et præsumptuose orat, uti fecit Pharisæus ille, *Luc.* cap. XVIII, nihil hic impetrat.

Secundo, requirit *contritionem* de peccatis, ut orans sit amicus, vel serio cupiat fieri amicus Dei ; hostes enim et inimicos suos non exaudit Deus. Quare peccatores, qui in peccatis suis persistere volunt, non exaudiuntur à Deo. Vis ergo ut te audiat Deus, tu prior audi et imple legem ipsius, fac prior voluntatem Dei ; sic Deus faciet voluntatem tuam, et tua vota implebit : hoc est quod ait, Isaiæ I : « *Non exaudiam, quia manus vestræ plenæ sunt sanguine.* »

Tertio, requirit *magnam fidem et spem,* sive fiduciam impetrandi per merita Christi id quod petimus. Hac fiducia multi carent, ideoque non impetrant ; « *Postulet,* ait S. Jacobus, cap. I, v. 6, *in fide nihil hæsitans* ».

Quarto, requirit *perseverantiam,* ut patet Lucæ cap. XI, vers. 7 et 8.

Denique recte notat S. Augustinus hic, *tract.* 73, Deum subinde negare id quod petimus, quia hoc magis expedit saluti nostræ et gloriæ Dei. Deus ergo non exaudit nos *ad voluntatem,* sed *ad salutem.* Sic Paulum orantem liberari a stimulo carnis non exaudivit, quia hic illi utilior erat ad humilitatem, et ad continuam cum eo luctam et victoriam. Unde audivit : « *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* » II. *Cor.* XII, 9.

Dabit *vobis.* Hinc S. Augustinus, *tract.* 102, censet hic dumtaxat promitti orationis effectum, si pro nobis ipsis oremus, non autem si oremus pro aliis. « Exaudiuntur sancti, ait, pro seipsis, non pro omnibus ; non enim dictum est : *dabit,* sed : *dabit vobis.* » Verum melius

et liberalius S. Basilius, Toletus et alii, censent id promitti, sive pro nobis, sive pro aliis oremus. Nobis enim dat Deus, quod aliis dat pro quibus oramus ; dat enim nobis orantibus orationis fructum. Et hoc magis congruit liberalissimæ Dei beneficentiæ. Adde, orare pro aliis opus esse majoris charitatis, præsertim si pro inimicis oremus ; unde talis oratio exaudiri solet, uti exauditus est Christus orans pro suis crucifixoribus, et S. Stephanus orans pro Saulo... Porró, quod subinde pro aliis orantes non exaudiamur, vel est culpa nostra, vel illorum pro quibus oramus, qui sua ignavia vel malitia indignos se reddunt Dei gratia, imo subinde Deo obstrepunt eumque vocantem spernunt. » Hæc a Lapide.

D. De liefde tot Jesus is reeds eene genoegzame beweegreden om van den Vader alles te bekomen wat wij hem in Jesus' naam vragen. « *Et non dico vobis, quod ego* tunc *rogabo,* orabo *Patrem, de,* id est pro *vobis,* quod ego jungam preces meas vestris, ad hoc ut vobis faveat Pater, et petitis concedat, quasi parum ex se ad vos exaudiendos propensus sit. *Ipse enim Pater* ultro, absque eo quod ego vobiscum orem pro vobis, et vestris precibus conjungam meas, *amat vos,* et perget amare, inclinatione voluntatis est per se in vos propensissimus, ita estis ei grati, ut paratus sit exaudire preces vestras, et nova vobis beneficia conferre, majoribusque semper vos donis cumulare. *Quia* etc. Ratio cur amet vos Pater, est, quia *vos me amastis,* amatis, et amare perseverabitis : (comprehendit enim omne tempus.) *Et credidistis,* credetisque et amabitis etiam perfectiùs in illo die. Quia estis genuini discipuli mei, quia per fidem et amorem mandatorumque observationem constanter mihi adhæretis. Amoris meminit, quia non sufficit fides : fidem addit, ut non naturalem dumtaxat, aut humanum amorem eorum erga se esse declararet, qualis sit erga amicum aut magistrum

quemlibet, sed divinum, quo talem amarent, qualem esse credebant, Filium Dei. » Luc. Brug.

« Dices : Si Deus amat nos, cur ultro non dat ea quibus scit nos indigere, sed vult rogari et obsecrari ? Respondeo :

Primo, quia hoc postulat *Dei majestas et reverentia,* ut scilicet orando eam revereamur testemurque nos ejus beneficentia indigere, nec ullum nostræ necessitati posse succurrere, nisi ipsum. Hoc ergo orationis tributum illi debemus, ut nostram indigentiam et ejus liberàlitatem supplices profiteamur.

Secundo, id postulat *hominis conditio,* ut se à Deo pendere, ali, foveri, protegi et in omnibus ipsius ope et largitione indigere agnoscat, imo se esse Dei mendicum, ait S. Augustinus, palam fateatur. Humiliet ergo se coram Deo, et ab eo demissa cervice petat et mendicet ea quibus eget.

Tertio, idipsum postulat *rei quæ petitur dignitas :* petimus enim à Deo gratiam et gloriam, quibus nil est præstantius. Vult ergo illa Deus oratione, quasi pretio emi, ut homo pluris ea æstimet, nec amittat, sed studiose conservet.

Quarto, idipsum postulat *orationis utilitas et præstantia,* quæ ingentia oranti commoda confert. In ea enim *exercemus : primo, fidem,* quia credimus Deum esse omnipotentem, sapientissimum et optimum, ut possit, sciat et velit donare ea quæ petimus ; *secundo, spem :* speramus enim eum daturum necessaria, imo utilia vitæ præsenti et æternæ, quæ flagitamus ; *tertio, charitatem,* qua quasi filii a Patre amantissimo eadem petimus. Hanc causam dat S. Chrysostomus, in *Psal.* IV : « Quoniam, inquit, oratio non est parvulum vinculum dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui nos assuefacit et ad sapientiæ studium nos deducit. Si enim, qui cum magno aliquo et admirabili viro multum versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum acci-

pit, quanto magis qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem! » Est enim oratio, ut idem alibi ait, colloquium cum Deo, quæ hominem facit quasi angelum Deo familiarem. Vide eumdem lib. *De orando Deum;* et Climacum, *gradu* 28, initio, ubi plurima et præstantissima orationi dat elogia additque: « Oratio est pia quædam tyrannis Dei » vim enim facit Deo eumque quasi cogit ad præstandum ea quæ petuntur » a Lapide.

Slotrede.

1. Wij allen behoeven en begeeren menige tijdelijke en geestelijke goederen, zoo voor ons zelven als voor anderen...

2. Wij hebben eenen Vader in den hemel, die ons al die goederen kan en wil en zal geven, op de enkele voorwaarde dat wij ze Hem in den name van zijnen Zoon op eene behoorlijke wijze vragen. — Veronderstellen wij eens dat een rijk man aan al de armen zijner streke alles geeft wat zij noodig hebben en vragen gelijk het behoort: wie zou de armen beklagen die daar gebrek lijden om reden dat zij niets en vragen, of niet behoorlijk en vragen? Welke arme zou de dwaasheid begaan van niet behoorlijk te vragen alwat hij noodig heeft?

3. Zoeken en verzoeken wij in onze gebeden vooruit en vooral het Rijk Gods en Gods gerechtigheid, en al de tijdelijke dingen die wij van noode hebben zullen ons toegegeven worden. Matth. VI, 33.

4. Zullen gemakkelijkst en meest bekomen, hetzij voor henzelven, hetzij voor anderen, die Jesus meest beminnen, en vervolgens Gods beste vrienden zijn. Zie Jo. XVI, 27, alsook Jac. V, 16-18: « *Veel vermag het dringend gebed eens rechtveerdigen. Elias...* » — « *De Heer is nabij* (met zijne hulp) *allen, die Hem aanroepen; allen die Hem aanroepen in waarheid; den wil van die*

Hem vreezen doet Hij ; Hij aanhoort hun smeeken en verlost hen. De Heer behoedt allen die Hem liefhebben » Ps. 144, 18-20. — « *Zeer geliefden, indien ons hert ons niet en berispt, dan hebben wij vertrouwen jegens God ; en al wat wij vragen, zullen wij van Hem ontvangen, dewijl wij zijne geboden onderhouden en doen wat Hem behaaglijk is* » I Jo. III, 21, 22.

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De bonis mortis

—

Nihil magis naturale homini est quam ut mortem timeat ac refugiat : primus enim naturæ affectus est, ut quæque res a destructione sui abhorreat. Quapropter nil mirum quod homo naturalis, terrenus ac sensualis, vel ipsa mortis cogitatione, terreatur ; at sacerdotis, viri spiritualis ac supernaturalis, *ex fide viventis,* est illum naturalem timorem moderari : quem in finem juvat in lumine fidei identidem considerare *bona* quæ affert mors. Jamvero :

I. Mors finem imponit miseriis *quibus vita præsens repletur.* — Terra hæc merito lacrymarum vallis vocatur ; vita terrestris quasi continua ærumna : corpus omnigenis infirmitatibus ac necessitatibus obnoxium ; anima passionibus plurimis exagitatur, pugnam arduam adversus carnem habet sustinendam ; totus homo innumeris periculis circumdatus. Unde « vere miseria est vivere super terram, et quanto homo voluerit esse

spiritualior, tanto præsens vita fit ei amarior, quia sentit melius et videt clarius humanæ corruptionis defectus. — Quomodo amari potest vita habens tantas amaritudines, tot subjecta calamitatibus et miseriis? Quomodo enim dicitur vita tot generans mortes et pestes? Et tamen amatur et delectari in ea a multis quæritur : in tantum quidam hanc amplectuntur (licet etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant) ut si possent hic semper vivere, de regno Dei nihil curarent. » — Unde istud? « Quia tam profunde in terris jacent ut nonnisi carnalia sapiant. » (*Imit. Christi,* lib. I, c. 22; lib. III, c. 20) — Secus vero homo spiritualis et perfecte mortificatus, qualis esse deberet sacerdos : ipsi mors est finis miseriarum, requies post laborem : « *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* » — Sane sacerdos ille non timet mortem ex amore hujus vitæ, sed ipsi « *melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans.* » (Eccli. XXX, 17.)

II. Mors liberat a servitute peccati, a periculo peccandi eximit. — Quamdiu in mundo sumus, legi peccati, concupiscentiis pravis subjicimur ; nos undique cingunt hostes multitudine, odio, viribus ac fraude terribiles ; salebrosa nimis via per quam incedimus et continuo periculo labendi sumus expositi. Justus autem peccato nihil infelicius, nihil magis metuendum reputat, atque merito eliget mori quam vel uno peccato veniali Deum summe dilectum offendere. Atqui mors peccandi possibilitatem aufert et justum pro tota æternitate in Dei gratia stabilit et solidat. — Nihil mirum igitur quod sancti, qui omnem *iniquitatem odio habebant et abominabantur,* mortem desideraverint, quatenus ab ipsis omnem occasionem peccandi præcludentem ; atque exclamaverint cum Paulo : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?*

III. Mors est finis exilii et janua patriæ

CŒLESTIS. — Durante hac mortali vita, *peregrini sumus et hospites super terram ; non enim habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus.* Quapropter *qui sumus in mundo, ingemiscimus gravati, scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* — In cœlo patria nostra et civitas permanens : ibi Pater noster, cœlorum Dominus ; ibi mater nostra, cœli regina ; ibi socii nostri, sancti angeli ; ibi fratres nostri et cohæredes, electi Dei omnes ; ibi gloria ineffabilis, ibi sempiterna beatitudo nos manet... Jamvero mors est unica porta per quam ex hac in alteram vitam intratur ; pons unus quo ab hac terra exillii ad cœlestem patriam transire licet. — Est igitur cur justus ad cœlestia anhelans ingemiscat cum Propheta : *Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est !* —

IV. MORS UNIT JUSTUM CUM CHRISTO, dilecto suo, unione perfecta. — Nihil dulcius animæ amanti, quam cum dilecto sociari ejusque præsentia frui ; quare verus et fervens amator *sitit ad Deum fontem vivum,* et gestit *apparere ante faciem Domini ;* ipsi sicuti Paulo, *vivere Christus est et mori lucrum* — ideoque *cupit dissolvi et esse cum Christo ;* atque ex corde suspirat ad Dominum : *O mi Jesu, quem* (nonnisi) *velatum nunc aspicio, oro fiat illud quod tam sitio, ut te revelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ.* — Mors autem sola vividum istud ac sanctissimum justi desiderium explere potest.

Quare igitur mortem inordinate reformidamus ? vel quia mortem non aspicimus in fidei lumine sed illam æstimamus secundum naturæ sensum ; vel quia bonis terrenis et nugis sæculi nimis adhæremus ; vel forsan quia peccati luto sordescimus ; vel saltem quia Deum et Christum minus ferventer diligimus.

Jam causam qualemcumque inordinati illius timoris removere satagam ; conscientiæ tranquillitati prospiciam ; et si dein lubeat diutius vivere, hoc desiderium purificabo intentione virtutis exercitio magis me sancti-

ficandi et protracto labore in vinea Domini abundantiores fructus colligendi, quibus Deum magis indies glorificem ac quæ in cœlo *reposita mihi est coronam justitiæ* exornem. — Ceterum *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus;* quapropter divino beneplacito plenissime me subjiciam ex corde dicens: *Domine, tuus sum ego, fac de me quidquid vis...* Unum rogo, *ne permittas me in æternum separari a te!*

—

Examen circa exercitium charitatis

—

Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. (Coloss. III, 14.)

I CHARITAS ERGA DEUM. — A) An Deum meum diligo amore BENEVOLENTIÆ? An intimo corde gaudeo Deum meum esse infinite perfectum, infinite bonum, potentem, sanctum, misericordem, justum...? — An desiderio desidero gloriam Dei externam promoveri; ut scil. omnes homines ipsum agnoscant ac revereantur, eum laudent eique fideliter serviant; ut santificetur nomen ejus, adveniat regnum ipsius, ejusque voluntas fiat sicut in cœlo et in terra? — An vere doleo de impedimentis divinæ gloriæ, de peccatis nimirum alienis et præsertim meis propriis?

B) An Deum meum diligo amore GRATITUDINIS — *quoniam Deus prior dilexit me?* — An sæpe recogito multiplicia ac præstantissima beneficia quibus Deus me cumulavit, tum in ordine naturæ, tum præsertim in ordine gratiæ? — An pro illis frequenter et ex corde ei gratias ago? — An illorum recordatione crebro me excito ad redamandum illum qui tantopere me amavit?

C) An Deum meum diligo amore CONFORMITATIS, cor paratum gerens ad perficienda ac perferenda quæcumque Deo sunt placita? proinde præprimis ad observanda omnia Dei mandata, ita ut, ex amore Dei *iniquitatem*

odio habeam et abominer, nec pro ulla re mundi vellem peccatum etiam veniale deliberate committere ? — An imo volenter præsto quidquid novi Deum a me postulare seu desiderare, etsi non rigorose exigat aut præcipiat ? — An quæcumque adversa quæ Deus immittit aut sinit mihi accidere æquanimiter perfero, persuasum habens Deum, Patrem amantissimum, nihil erga me disponere aut permittere nisi ad majus meum bonum ? — An ideo, premente adversitate, novi benedicere Domino, ac cum Christo orare : *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te ? Non mea voluntas sed tua fiat !*

D) An præfero genuina amoris erga Deum indicia ? nimirum : an frequenter et amorose *de Deo cogito,* ambulans in ejus præsentia ? — An libenter *cum Deo colloquor* in oratione tum mentali, tum vocali ? — An libenter *de Deo loquor* in cathedra veritatis, in catechesi puerorum, in confessionali, imo in colloquiis privatis, nihil magis cordi habens quam in animo fidelium mihi commissorum ignem amoris divini accendere ac fovere? — An *pro Deo laboro,* omnes meas actiones ad majorem Dei gloriam ordinans ? An *zelus domus Dei comedit me,* ideoque indefessim laboro ad destruendum inter homines regnum peccati et erroris atque stabiliendum ac dilatandum regnum virtutis ac veritatis ? — An in operibus ministerii sacri *non quæro quæ mea sunt, sed quæ Jesu-Christi ?* — An libenter *pro Deo patior,* signanter incommoda et molestias in exercendis officiis ac muneribus meis occurrentes, sciens quia *qui non est paratus omnia pati, et ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator appellari ?* (Kemp. III, 5.)

II Charitas erga proximum : — An mihi persuasum est charitatem esse primariam sacerdotis virtutem, illamque esse tesseram cordati ministri Christi, juxta verbum Domini ad Apostolos : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ?* —

An sedulo vito quoscumque defectus charitati fraternæ contrarios? — An nunquam foveo affectum *aversionis* contra proximum? — Annon voluntarie adhæreo *malis suspicionibus* aut *judiciis temerariis,* sed potius inclinor ad proximi intentiones et actiones in bonam partem interpretandum? — Annon indulgeo quandoque sensui *invidiæ,* nec laboro vitio *zelotypiæ,* dolens videndo confratrem majorem successum obtinere, ipsius conciones libentius audiri, frequentiores pœnitentes ad ipsum confluere, spectabiliores parochiæ familias ejus consiliis uti... ? — An novi in patientia proximi, notatim confratris sacerdotis, *defectus tolerare,* recogitans quia et alii meos proprios defectus sufferre coguntur, et Deus præsertim multa indulgentia erga me uti debet? — An scio ex corde *condonare injurias* forte mihi illatas, ita ut sincere et fiducialiter Deum deprecari possim: *Dimitte nobis debita nostra,* SICUT ET NOS *dimittimus debitoribus nostris?* — An, uti perfectus discipulus ac minister Christi, novi *orare pro persequentibus et calumniantibus me,* imo *benefacere his qui oderunt me,* bonum pro malo reddere?

An nunquam lædo charitatem proximo debitam in *verbis,* per detractiones, calumnias, susurrationes, irrisiones, crises mordaces vel quævis alia quæ possent famæ proximi nocere aut ejus animum contristare?

An nihil *facio* alii quod mihi fieri displiceret, perpetuo servans auream regulam charitatis: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu alteri aliquando facias?*

An mea charitas non tantum est innocua sed et *benefica?* An libenter proximo obsequia exhibeo etiam cum aliquo incommodo meo proprio? An sedulo exerceo opera misericordiæ corporalis? An eleemosynam tribuo HUMILITER, non ex vana jactantia; HILARITER et ex prompto cordis affectu, *non ex tristitia aut necessitate;* LIBERALITER, pro viribus, non parca aut avara manu; PRUDENTER ac discrete, vere indigentibus

et pro mensura indigentiæ, ad usum non ad abusum ; simul, ubi expedire videtur, addens bonum verbum exhortationis ad virtutem ? — An generose charitatem exhibeo erga pauperes, infirmos, aliasque miserables personas, recordatus verbi Domini : *Quamdiu fecistis his fratribus meis minimis, mihi fecistis ?*

An diligenter exerceo opera misericordiæ spiritualis, sciens quia *ad hoc missus sum ?* — An *misereor super turbam* ac corde doleo recogitans tot homines in peccato vivere et ad æternam damnationem properare ? — An inde zelum meum inflammare conor ad gnaviter fungendum officio meo ; ad me impendendum ac superimpendendum pro salute animarum, speciatim illarum quæ curæ meæ sunt concreditæ ? — An, uti *bonus pastor* paratus sum etiam animam dare pro ovibus meis ?

*
* *

Quomodo me habeo respectu mortis ? — Nonne mortem vehementius timeo ? et quænam est causa illius anxii timoris ? Nonne quia sentio me minus esse paratum ? Sed si hodie non sum paratus, an crastina ero ?... Quapropter statim manum operi admovebo ut reparanda reparem, corrigenda corrigam, disponenda disponam ; ac deinceps sancte vivere studebo, ut jam mortem reformidare non debeam, firmiter sperans eam nonnisi bona ac læta mihi allaturam.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Avril

Aux termes de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809 : « Le conseil s'assemblera le premier dimanche du mois d'Avril. »

Si le conseil de fabrique n'a pas achevé à la séance du mois de Mars ou dans une réunion subséquente (1) l'examen et la vérification du compte annuel, il le fera à la séance d'Avril ; et il veillera à ce que le compte soit transmis au conseil communal avant le 10 de ce mois. Art. 6 de la loi du 4 Mars 1870.

A s'en tenir à la rigueur des termes du décret de 1809, c'est dans la séance du mois d'Avril que le *budget* devrait être soumis au conseil de fabrique (art. 47). Mais l'article 1 de la loi de 1870 laisse plus de latitude : il requiert seulement que le budget de la fabrique soit transmis au conseil communal avant le 15 Août. Aussi les auteurs sont-ils d'avis que le vote du budget peut être différé à la séance ordinaire du mois de Juillet (2) ; et leur opinion se trouve confirmée par la pratique généralement suivie.

Le principal objet à l'ordre du jour pour la séance

(1) Nous croyons que le conseil de fabrique peut, sans autorisation, proroger au dimanche suivant, si besoin est, les séances ordinaires fixées par la loi ; et l'Évêque de Bruges a pratiquement interprété le décret dans ce sens. Voir *Decr. Congr. prosyn.*, 18 Maii 1893, n. 3.

(2) Moulart, *Des fabriques d'églises* (8me édit.), p. 270 et 617, pense « que l'art. 1er de la loi du 4 Mars 1870 autorise au dimanche qui précède le 15 Août, une autre séance *ordinaire* pour achever la préparation et faire l'expédition du budget. » Nous ne saurions partager cet avis. Nous ne contestons pas qu'il eût été utile de permettre une sixième séance légale pour l'examen du budget, mais nous ne croyons pas que le législateur, qui a ajouté *expressément* une séance obligatoire pour la reddition du compte, ait voulu *implicitement* en autoriser une autre pour le vote du budget. Voir Brixhe, *Dict. des fab. d'églises*, 2e édit., vo *Budget et comptes*, n. 5.

du premier dimanche d'Avril, c'est la nomination du président et du secrétaire du conseil, et l'élection d'un membre du bureau des marguilliers.

Les dignitaires du conseil, quelque soit d'ailleurs l'époque de leur première nomination, doivent être renouvelés le premier dimanche d'Avril de *chaque* année (1) ; mais ils peuvent être réélus (art. 9 du décret). A la même date doit être renouvelé le mandat du marguillier le plus ancien en exercice (art. 17 du décret).

Si, au premier dimanche d'Avril, le conseil ou le bureau se trouvait incomplet par suite de décès, de démission, de changement de domicile ou autre cause, il faudrait préalablement procéder à l'élection des membres à remplacer. Arr. roy. du 2 Août 1819 et du 12 Mars 1849, art. 6.

Ces diverses élections doivent se faire en présence de plus de la moitié des membres dont le conseil *complet* doit être composé (cf. *Collationes,* I, p. 40), au scrutin secret, et à la majorité absolue des suffrages ; procès-verbal doit en être dressé au registre des délibérations, et signé par tous les membres présents (2).

Tous les ans, dans la quinzaine qui suit le premier dimanche du mois d'Avril, le résultat des élections faites ainsi que l'état complet du conseil et du bureau,

(1) Bien que le décret de 1809 ne contienne aucune disposition formelle fixant l'époque de la nomination et du renouvellement des dignitaires du *bureau,* les auteurs sont assez généralement d'avis qu'il faut leur appliquer par analogie ce que la loi a statué pour les dignitaires du conseil : leur nomination n'est valable que pour un an. Cf. *Epist. circul. Episc. Brugem.,* 1 Febr. 1893.

(2) Les élections se font dans l'ordre suivant : 1° remplacement des membres décédés ou démissionnaires ; 2° nomination des dignitaires ; 3° élection d'un marguillier.

Il est à remarquer que personne ne peut être nommé président ou secrétaire du conseil, ni élu membre du bureau des marguilliers, à moins qu'il ne soit actuellement membre du conseil (art. 7 et 13, 2° du décret de 1809). Cf. *Collectio epist. pastoral.,* T. XV, p. 309.

avec indication de la date de la nomination de chaque membre, doivent être transmis à l'otorité diocésaine. Voir *Epist. circul.* 12 Februarii 1892, 1 Februarii 1893 et 26 Januarii 1894 (*Collectio epist. pastoral.*, T. XV, p. 272, 309 et 361).

Aux termes de diverses décisions émanant du département de la justice, les administrations fabriciennes sont tenues de communiquer aussi au Gouvernement provincial le procès-verbal des élections auxquelles elles procèdent *tous les trois ans* le premier dimanche d'Avril. Une circulaire ministérielle, en date du 26 Juillet 1883, a décidé, qu'outre les procès-verbaux des dits renouvellements triennaux, les administrations fabriciennes devront à l'avenir transmettre également au Gouvernement provincial le procès-verbal de *toute* séance au cours de laquelle le conseil de fabrique ou le bureau des marguilliers aurait procédé à une *élection*. Nous doutons que cette dernière prescription soit régulièrement suivie, et nous croyons que les administrations provinciales ne prétendent pas en urger la stricte observation. Celle de la Flandre Occidentale se contente d'exiger à l'occasion des élections *triennales*, que, dans le courant du mois d'Avril, les administrations fabriciennes lui adressent, par l'intermédiaire de l'autorité locale, « un extrait sous forme de tableau des procès-verbaux de leurs délibérations concernant les élections » c'est-à-dire, un état complet indiquant la composition du conseil de fabrique et du bureau des marguilliers ; et qu'elles accompagnent ce tableau « d'une expédition littérale des délibérations prises (à la séance d'Avril) en exécution des articles 7, 11, 15 et 19 du décret ». Voir Circul. du Gouverneur en date du 28 Février 1891 et du 1 Mars 1894.

QUESTION SOCIALE

Réunion générale des délégués diocésains

A L'ARCHEVÊCHÉ DE MALINES

5 MARS 1896

PROGRAMME

D'ŒUVRES SOCIALES A RÉALISER PRÉSENTEMENT

I. Etablissement et développement de cercles ouvriers et d'œuvres économiques qui s'y rattachent.

II. Etablissement et développement de toutes les associations propres à compléter l'éducation et l'instruction professionnelle de la classe ouvrière, et spécialement des patronages et des écoles ménagères.

III. L'établissement d'unions professionnelles, qui, sans exclure d'autres éléments, recruteront leur premier noyau dans ces cercles et ces associations.

Ces unions seront mixtes ou composées d'ouvriers seulement, selon les circonstances. Quoique essentiellement économiques, elles doivent, autant que possible, avoir un caractère religieux, que l'on s'efforcera de développer.

Il faut, en outre, qu'elles soient organisées de telle manière que, sans être d'une part hostiles aux patrons ou menaçantes pour leur autorité ou leurs droits, elles fournissent d'autre part aux ouvriers un remède efficace contre les maux dont ils peuvent avoir à souffrir dans l'isolement de l'individualisme.

IV. La création des diverses œuvres d'épargne, de prévoyance, de secours en cas de maladie, d'accidents, de chômage et de vieillesse, et en particulier de sociétés de secours mutuels.

V. La création des œuvres destinées, par l'initiative privée seule ou avec le concours de la loi, à améliorer le logement des familles ouvrières, notamment celle qui a pour but d'aider l'ouvrier à se procurer une maison dont il soit le propriétaire.

VI. La création, dans une mesure opportune, de conseils d'usine ou de conciliation.

VII. L'établissement de sociétés de tempérance et la propagande antialcoolique.

VIII. Les patrons et ceux qui partagent leur influence ou leur responsabilité, tels que les directeurs d'établissements industriels ou autres ; les membres des conseils d'administration, et aussi les actionnaires, s'appliqueront à procurer à leurs ouvriers l'amélioration de leur condition morale et de leur condition matérielle par les moyens indiqués dans la lettre collective des Evêques au § V (1).

IX. L'œuvre de la presse populaire et la création des cercles d'études sociales.

X. Outre les œuvres indiquées ci-dessus, on encouragera, en faveur des habitants des campagnes, l'extension et le perfectionnement des syndicats agricoles, créés sous des noms divers. Parmi les œuvres de ces syndicats, les caisses Raiffeisen méritent une mention et une recommandation spéciales dans l'intérêt de la petite culture. Il en est de même des sociétés de secours mutuels qui sont particulièrement utiles aux ouvriers des champs.

(1) Ils s'appliqueront à «... procurer à leurs ouvriers *l'amélioration de « leur condition morale*, en leur ménageant une plus grande facilité « d'accomplir les devoirs religieux ; en écartant les occasions qui « mettraient leur foi ou leurs mœurs en danger ; en observant une grande « circonspection dans le choix des chefs intermédiaires et des sur- « veillants ; en encourageant et protégeant les œuvres instituées pour la « moralisation des ouvriers et de leurs familles, pour la préservation de « la jeunesse, pour l'éducation chrétiennes des enfants, etc. ; — « *l'amélioration de leur condition matérielle*, en recherchant, s'il y a lieu, les « moyens de rendre le travail plus rémunérateur, moins pénible, moins « dangereux pour la santé et pour la vie ; en combattant la dissipation « du salaire et en facilitant le placement des épargnes, en créant des « œuvres propres à assurer aux ouvriers un logement convenable, une « nourriture saine, une assistance raisonnable en cas de maladie, « d'accidents ou de chômage ; en un mot, un degré de sécurité et même « d'aisance pour le présent, et, pour l'avenir, un secours qui contribuera « à les abritrer contre la misère. »

Ex S. Pœnitentiaria apostolica

DUBIA quoad absolutionem complicis in peccato turpi

Eme Domine

Jam quæsitum fuit a S. Pœnitentiaria « An incurrat censuras, in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit ».

Et S. Pœnitentiaria die 16 maii 1877 respondendum censuit : *Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem Confessarius complex fuit.*

Hanc vero responsionem quidam ita interpretantur, ut excommunicatio in absolventes complicem lata fere semper eludi possit. Siquidem ad hoc sufficeret pœnitentem complicem a confessario præmoneri de peccato hujusmodi non declarando. Sic enim, juxta eosdem, absolvens complicem, semper immunis a censura evaderet.

Ad præcavendos in re tanti momenti abusus, postulans duas sequentes quæstiones sacræ Pœnitentiariæ proponit.

I. An effugiat censuras, in absolventes complicem in re turpi latas, Confessarius, qui complicem, sed de peccato complicitatis in confessione tacentem, absolvit ; quamvis certus sit, complicem non adiisse alium sacerdotem, nec ideo fuisse absolutum a peccato complicitatis. Ratio dubitandi videtur esse, quia in tali casu, quamvis peccatum complicitatis non subjiciatur clavibus a pœnitente, confessarius tamen non potest absolvere complicem ab iliis peccatis, quin, eo ipso, indirecte saltem, eum absolvat a peccato complicitatis, quod scit non adhuc fuisse clavibus rite subjectum, neque ideo remissum.

II. An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, confessarius qui, ad vitandas præfatas censuras, induxit, *directe* vel *indirecte* pœnitentem complicem

ad non declarandum peccatum turpe, cum ipso commissum, et deinde complicem absolvit, sed peccatum complicitatis non declarantem.

Ratio dubitandi est quia *nemini fraus sua patrocinari debet ;* insuperque si, talia agendo, confessarius censuras præcaveret, jam prohibitio absolvendi complicem, sub pœna excommunicationis, illusoria plerumque videretur.

Directe autem confessarius inducit pœnitentem quando positive et explicite eum præmonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. g. illud jam novit et declaratio illius esset inutilis. Indirecte vero inducit quando confessarius suadere conatur pœnitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat ; unde pœnitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet.

Sacra Pœnitentiaria, mature consideratis expositis, et approbante SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII, declarat : *excommunicationem reservatam in Bulla,* **Sacramentum pœnitentiæ** *non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id Confessarius pœnitentem induxit, sive directe, sive indirecte.*

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 19 Februarii 1896.

R. Card. Monaco P. M.
A. Can. Martini S. P. Secretarius.

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

Ordinis Minorum S. Francisci

Quando renovantur Stationes Viæ Crucis, sufficit nova benedictio

Fr. Raphael ab Aureliaco, Procurator Generalis Ordinis Minorum, H. S. Congregationi sequentia humiliter exposuit : Pro legitima Stationum Viæ Crucis erectione, Sancta Sedes plura sapienter constituit observanda sub pœna nullitatis. Nam statuit « quod in erigendis hujusmodi Stationibus, tam Sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consen

sus, quam respectivi Ordinarii, vel Antistitis, et parochi, necnon Superiorum Ecclessiæ, Monasterii, Hospitalis et Loci Pii, ubi ejusmodi erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia, in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub pœna nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendæ. (1) »

Modo Orator petit a S. Congne solutionem dubii sequentis:

Utrum in casu quo, ob Crucium vetustatem vel ob aliam justam causam, renovari debeant Stationes (2) Viæ Crusis in eadem Ecclesia, sive Oratorio, in quo rite cum omnibus documentis ut supra a S. Sede præscriptis erectæ reperiebantur, præfata omnia et singula documenta denuo sive oretenus sive in scriptis postulanda sint ; vel sufficiat tantummodo novarum Stationum benedictio a Sacerdote legitimo ad id deputato (3) ?

Romæ ad S. Antonium 6 Jan. 1896 :

S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita relato dubio respondit die 11 Jan. 1896 :

Dummodo præsumi possit perseverare consensum eorum ad quos pertinet, *negative* quoad 1am partem : quoad 2am sufficere tantummodo novarum stationum benedictionem.

Datum Romæ, e Secretaria ejusdem S. Congnis die et anno ut supra.

ANDREAS Card. STEINHUBER *præf.*

A. Archiep. Nicop. *Secretarius.*

(1) Ex. Decr. S. C. Indulg. 3 Aug. 1748 (*Decreta authentica* n. 175). Nota S. C. Indulg. die 7 Apr. 1894 benigne sanasse omnes erectiones antea ob quoslibet defectus invalide factas.

(2) Intellige de renovatione *ipsarum crucium* et quidem *quoad majorem saltem partem :* a) « etenim indulgentiæ crucibus tantum sunt adnexæ, quæ quidem solæ sunt benedicendæ, minime vero imaginibus » Decr. S. C. Ind. 30 Jan. 1839 (*Decr. auth.* n. 270 — Cfr. n. 258, 264) ; b) « si cruces pereant vel tollantur ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla nova erectione et benedictione » Decr. 20 Sept. 1839 (Decr. auth. n. 275 — Cf. n. 270, 258, 311, 328).

(3) Religiosi subditi Ministro Generali FF. Minorum tam de observantia quam reformatorum (e. g. in diæcesi FF. Min. Recollecti), dummodo sint concionatores aut saltem confessarii approbati, indigent tantum commissione superioris localis. Ceteri autem sacerdotes sive regulares sive sæculares specialem obtinere debent deputationem vel a S. Sede vel a Ministro Generali ordinis Minorum.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii

I

Distincte propone rationes propter quas S. Paulus I Cor. charitatem omnibus charismatibus virtutibusque excellentiorem existimat.

II

Indica septem discrimina inter Apostolos eorumque successores Episcopos ; necnon tria discrimina inter jurisdictionem universalem Petri et jurisdictionem universalem aliorum Apostolorum.

III

Expone et demonstra Deum Filium procedere a Deo Patre per generationem.

IV

Quænam est moralitas actus *ex objecto boni* ad *finem malum relati ?*

V

An et cur charitatem lædit qui proximum odit odio abominationis ; item qui proximo vult malum quatenus ipsi malum est ?

VI

Sacerdos, ratione stipendii accepti, obligatur ad celebrandam missam votivam in honorem S. Joseph, in aliqua feria IV, qua officium recitatur feriale, vel, ad libitum singulorum, votivum de illo Sancto. — Quænam missa celebranda ; quænam in illa orationes et præfatio dicendæ ; an recitanda *Gloria, Credo* et ultimum Evangelium S. Joannis *In principio,* sive missa sit privata, sive cantata aut solémnis ?

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Martii propositas

I.

Q. Variis argumentis, ex Genesi XI-X, coll. II^a Petri III, 5, depromptis, ostende Diluvium tum quoad homines, tum etiam quoad animantia ipsamque tellurem universale fuisse.

R. Diluvium prorsus universale fuisse demonstratur:

1. *Ex motivo diluvii.* Motivum quo Deus provocatus est ut Diluvium immitteret, prorsus generale fuit, universamque tellurem respiciens: « *Corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram), dixit ad Noë:.. repleta est terra iniquitate à facie eorum, et ego disperdam eos cum terra* » Gen VI, 11-13. Corruptioni universali terræ meritò respondet universalis ejusdem destructio.

2. *Ex verbis comminationis,* quibus Deus prænuntiavit se non solum omnes homines, sed cuncta simul animantia, una cum terra deleturum esse: « *Delebo, inquit* Deus, *hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos* » Gen. VI, 7. Et rursum: « *Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, et ego disperdam eos cum terra... Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum: universa, quæ in terra sunt, consumentur* » Gen. VI, 13, 17. Similiter VII, 4: « *Delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ* ».

3. *Ex causis diluvii,* Gen. VII, 11: « *Rupti sunt*

omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt ». « Moysis sententia est, terram, in Diluvio, iisdem planè obrutam fuisse aquis, quæ illam, in initio (Gen. I, 2), contexerant ; atque utrimque rerum omnium eumdem fere obtinuisse statum » Smits. Ex collatione igitur Genes. VII, 11 cum I, 2, manifestum est Deo non defuisse sufficientem copiam aquarum quibus universam terram obrueret.

4. *Ex verbis descriptionis diluvii,* quæ constanter cataclysmum universalem sonant : « *Vehementer enim inundaverunt aquæ, et omnia repleverunt in superficie terræ : porró arca ferebatur super aquas. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram : opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram : universi homines, et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli : et deleta sunt de terra : remansit autem solus Noë, et qui cum eo erant in arca* » Gen. VII, 18-23. « Hæc verba nonne evidenter complectuntur Diluvii generalis ideam? Num in sensum alienum detorqueri possunt, nisi ab iis, qui se propriis abripi sinunt præjudiciis, aut omnibus adversandi cupidine aguntur ? Si *solus Noë, et quæ cum eo erant in arca servabantur,* quis nisi protervus et stolidus negare poterit, animalia cætera esse extincta? Quomodo aves omnes regionis cujuspiam interiisse intelligi possint, si tota vicinia, ad quam avolarent, Diluvii expers fuit? An ne una quidem fera cursu ad loco sicca evadere poterat? » Smits.

5. *Ex fine constructionis arcæ,* ut scilicet animalia *cum Noë viverent* (Gen. VI, 19), ut *vivere possent* (Gen. VI, 20), *ut salvaretur semen super faciem universæ terræ*

(Gen. VII, 3), nimirum, ad vitam et specierum conservationem. Et verò, in particularis Diluvii hypothesi, « quæ necessitas suberat, ut Noë immane istud extrueret navigium ; illuc universæ regionis animantia cogeret; illuc his ac sibi suisque tot alimenta comportaret etc.? Nulla prorsus ejusdem speciei quadrupedia, nulla reptilia, denique volatilia nulla, in regionibus affinibus et circumjacentibus? Plurima sanè, ut res ipsa loquitur. Inanis ergo prorsus cura et labor, ut pro eorumdem specie servanda præceptum hujusmodi Deus dederit, ac Noë tot animalia, in arcam adducta, integro anno aluerit. » Smits.

6. *Ex promissione divina* non ultrà delendi aquis diluvii omnes homines omniaque animantia : « *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis...: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci* » Gen. VIII, 21. Et Gen. IX, 9-17 « *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos : et ad omnem carnem viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis, et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram,* etc. » Supponit hæc promissio diluvium Noachicum omninò universale fuisse. Particularia enim diluvia post tempora Noë non ita rara fuisse historice constat.

7. *Ex collatione* destructionis terræ per hoc Diluvium aquarum cum futura mundi destructione per ignem, quæ absque dubio universalis erit : « *Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, et terra, de aqua, et per aquam consistens Dei verbo : per quæ, ille tunc mundus inundatus periit. Cœli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni recervati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum* » II Petr. III, 5-7.

8. (Quoad homines). *Ex origine totius generis humani postdiluviani : « Tres isti filii sunt Noë : et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram »* Gen. IX, 19. Cnf. X, 32. Addatur familiæ Noë, haud secus ac protoparentibus (Gen. I, 28, 29), denuò concessam divinitus fœcunditatem, dominium in animantia, necnon cibum Gen. IX, 1-3 : ex quo liquet Noë quasi novum Adamum totiusque generis humani instauratorem à Deo habitum fuisse.

9. *Ex communi sententia* Patrum veterumque hujusce loci Interpretum. Animadvertatur tamen sententiam eorum qui Diluvium ad terram ab hominibus inhabitatam restringunt, nulla unquam censura ab Ecclesia notatam fuisse ; imo neotericos quosdam, Diluvium ad notabilem aliquam *partem terræ habitatæ* restrictum, audacius licet quam solidius, impune tamen propugnasse.

10. *Ab incommodis* sententiæ oppositæ. Extraordinaria seu miraculosa vitare volunt patroni Diluvii particularis. Atqui « 1. Contra naturam est, aquas ad quindecim cubitos supra cacumina montium efferri, una in regione, quin in continguas defluant terras, quæ magis in imo subsidunt. 2. Naturæ pariter legi repugnat navim diutius aquarum monti insistere, quin in montis hujus declive, suo pondere abrepta, illabatur. 3. Legibus quoque naturæ obstat, ut Adversarii contendunt, saltem arbores locorum illorum, in quæ particulare Diluvium grassatum est, non fuisse deletas. Nihilominus ex Scriptura liquet, homines et animantia, ex arca egressa, ibi locorum immorata fuisse, quæ Diluvii aquis obruta fuerant... Cum igitur Diluvium particulare hisce difficultatibus obnoxium maneat, non est, ut propter alias istud universim sæviisse, negemus, nisi de utroque simul, quod absit, dubitare velimus. Tollamus absolutè Diluvium oportet, aut Moysen in Diluvii universalis explicemus sensum ; quandoquidem ipsius

verba naturaliter in hanc sententiam deducunt. Dixi *naturaliter :* nam quamquam particulæ universales alibi nonnunquam suas restrictiones habeant, id ipsis minime naturale est, sed ex materia subjecta, ex absurdis seu miraculis et extraordinariis, quæ inde consequerentur, atque aliter vitari non possent, etc. colligendum relinqui, constat. Cum igitur in Adversariorum systemate, æquè ac in nostra sententia, miracula et extraordinaria vitari non possint, non est, ut ob hæc à vocum proprietate, et sensu, quem particulæ universales legenti primò ingerunt, recedamus : ne secus universam Scripturam cujusvis ingenio et exponendi libidini concessam fateamur ». Ita doctissimus Smitsius.

G. V. D. P.

II

Q. Generali quodam modo demonstra miracula et oracula quæ apud gentes idololatras aut sectas acatholicas edita feruntur, earumdem religionis divinitati ac veritati haudquaquam patrocinari.

R. A. *Quoad miracula.*

Ut miraculum sit certum criterium divinitatis adeoque veritatis alicujus religionis, debet esse 1 historice certum, 2 verum miraculum, 3 in gratiam istius religionis editum.

Atqui, quæcumque feruntur apud gentes idololatras aut sectas acatholicas edita miracula, vel non sunt historice certa, vel non sunt vera miracula, vel non sunt in istarum religionis gratiam patrata. Ergò.

Major hujus syllogismi à nemine in dubium vocatur. *Minorem* vero demonstrare, idem sit ac jam *speciatim* ostendere ex *omnibus* istis miraculis *nullum* esse quod *simul* sit historice certum etc. In quâ demonstratione observare est vix ullum ex istis miraculis occurrere quod non fuerit confictum, aut quod virtutem artemve humanam aut diabolicam certò superet : nullum autem

certum ac verum miraculum in gratiam idololatriæ aut alicujus sectæ acatholicæ patratum fuisse unquam.

R. B. *Quoad oracula.*

Ut oraculum vim habeat demonstrandi divinitatem adeoque veritatem alicujus religionis, debet esse certa, determinata, eventu completa, atque in gratiam istius religionis facta prædictio eventûs futuri qui in causis naturalibus prævideri non poterat.

Atqui, quæcumque jactantur apud gentes idololatras aut sectas acatholicas edita oracula, vel non sunt prædictiones certæ (verùm meræ conjecturæ), vel non sunt prædictiones claræ et determinatæ (verum obscuræ, ambiguæ, ænigmaticæ), vel non sunt edita ante eventum, vel non sunt eventu completa, vel non respiciunt eventum qui in causis naturalibus prævideri non poterat, vel denique non sunt edita in gratiam istarum religionum. Ergo.

G. V. D. P.

III

Q. Titius sacerdos in statu peccati mortalis recitat horas canonicas ; — aliàs Breviarium legit sine ulla intentione orandi ; — aliàs devote quidem officium divinum persolvit sed cum positiva intentione non implendi hac recitatione præceptum ecclesiasticum : — *an* et *quare* Titius obligationi suæ satisfacit ?

* * *

R. Ad casus illos solvendos præ oculis habendum est principium generale et evidens : ad legis affirmativæ impletionem requiri ac sufficere ut fiat illud omne quod lex præscribit. — Itaque :

1) Titius in primo casu satisfacit ; quia, ut supponitur, recitat horas canonicas per modum orationis vocalis juxta forman ab Ecclesia determinatam ; ergo

ponit actum præceptum. Nec impedit quod misere in statu peccati mortalis versatur Titius : nam ad legi satisfaciendum non requiritur in agente status gratiæ, nisi substantia actus lege præscripti hunc statum importet, sicuti obtinet pro lege præscribente *communionem paschalem :* secùs vero pro lege divini officii, cum et ipse peccator orare possit, quod vel exemplo demonstratur Publicani illius, de quo Evangelium testatur ipsum oratione humili justificationis gratiam obtinuisse. — Confirmatur proposione 16 Baii a Pio V damnata : « Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. »

2) In altero casu Titius non satisfacit : etenim, quamvis ad legis executionem non requiratur intentio satisfaciendi seu ponendi actum *formaliter quatenus præceptum,* requiritur tamen intentio saltem implicita et virtualis ponendi actum *qui est præceptus,* quia sine hac intentione vel non poneretur præcise actus præceptus, vel non poneretur modo humano. In casu, præcipitur *oratio ;* atqui nuda pronuntiatio verborum quibus constat sacrum officium non est oratio : ut talis dici queat oportet illa recitatio informetur intentione colendi, laudandi aut precandi Deum. Sic qui horas canonicas recitat alta voce, exercitii gratia, ad artem legendi addiscendam, non orat et proinde legi divini officii non satisfacit : secus vero sacerdos qui accipit Breviarium, ut solet, et horas incipit, quin *expresse* velit orare ; ita enim saltem implicite intendit ponere opus præceptum, quæ intentio virtualiter manet quousque non revocetur, et juxta omnes sufficit.

3) In tertio casu *per se* et *probabilius* dicendus est satisfacere Titius. Ratio est quia devote recitans officium præstat illud quod lege præscribitur ; lex enim unice imponit orationem seu devotam recitationem, minime vero recitationem factam cum animo præceptum implendi. Intentio autem non satisfaciendi in casu inefficax est « quia cum obligatio legis pendeat ex

voluntate legislatoris et non subditi, non potest subditus prorogare hanc obligationem aut impedire quominus lex impleatur eo opere quo legislator vult impleri. Atqui legislator præcipit duntaxat opus præceptum quoad substantiam...; ergo eo præstito , quidquid dicas aut velis, satisfit legi et extinguitur ejus obligatio. » Billuart *De legibus,* diss. IV, art. 2.

Dicitur *per se,* quia per accidens fieri potest ut non satisfaciat propter alteram obligationem quam præsenti recitatione intendit implere. Casus esset si Titius teneretur horas canonicas persolvere etiam vi voti aut pœnitentiæ a confessario injunctæ : cum non possit unica recitatione duplici obligationi satisfacere, satisfaciet illi cui satisfacere intendit, manente altera ; proindeque si nolit hac recitatione præceptum ecclesiasticum implere sed voto aut pœnitentiæ satisfacere, iterum recitare tenetur : lex enim divini officii requirit recitationem non aliunde stricte debitam.

Dicitur *probabilius :* nam non desunt qui sentiunt non satisfieri legi ab eo qui ponit actum præscriptum cum intentione non implendi præceptum ; nituntur præsertim principio juris : *Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem.* — Cui objectioni respondetur illam regulam limitandam esse ad illa quæ pendent ab intentione agentium ; putà in materia voti : nam voti obligatio sicut voluntate voventis inducitur ita eadem voluntate *sustinetur ;* — at contrà legis obligatio sicuti a privata subditi voluntate non inducitur, nec ab eadem sustinetur seu prorogatur.

Nota : solutio nostra respicit præcise impletionem præcepti ecclesiastici quo præscribitur divini officii recitatio. Alia enim quæstio est utrum Titius in casu peccet necne : cui respondendum est cum distinctione: vel enim intendit Titius nova recitatione obligationi suæ satisfacere, uti non raro contingit scrupulosis, qui dum in recitandis horis distractiones patiuntur, sibi

proponunt eas repetere et interim horam inceptam ex mera devotione absolvere ; et in hoc, ut patet, nullum peccatum ; — vel intendit nec per hanc nec per aliam recitationem satisfacere, et tunc peccat contra legem naturalem, cui profecto contraria est voluntas non obediendi justis legibus : quare etsi Titius non debeat horas repetere, siquidem de facto præceptum adimplevit, tenetur tamen illum pravum affectum deponere.

H. V. D. B.

IV

Q. Da definitionem conscientiæ et indica qualitates rectæ conscientiæ. — Explica responsum.

R. I. Conscientia proprie dicta, quatenus nempe est regula subjectiva et proxima actuum humanorum, recte definiri potest : *Judicium de liceitate operationis proxime practicum prælucens voluntati agenti.*

Dicitur : 1° *Judicium,* actus scillicet intellectus quo aliquid affirmatur vel negatur. Unde a) conscientia proprie dicta non est habitus, quamvis conscientia soleat etiam ut habitus considerari : sane quando auctores loquuntur de conscientia tenera, scrupulosa, laxa, potius præ oculis habent statum aliquem animi quo subjectum habitualiter dispositum est ad hoc vel illo modo de liceitate actionum judicandum ; b) conscientia pertinet ad intellectum, non vero ad voluntatem, nisi forte nomine conscientiæ improprie vocetur prompta voluntas obligationem adimplendi ; c) conscientia non est mera intellectus apprehesio, imo nec suspensio mentis inter affirmationem et negationem fluctuantis ; et ideo conscientia stricte dubia de qua solent theologi sermonem habere non est proprie dicta conscientia, quæ judicium importat ; non est tamen cur modum loquendi communem rejiciamus. Cf. Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale,* T. I, p. 151 sq.

Dicitur 2º *de liceitate operationis,* ut indicetur objectum materiale judicii conscientiæ. Judicium de actione ponenda potest esse varium : potest enim versari circa ejus utilitatem, delectabilitatem, facilitatem, etc., vel circa ipsius convenientiam cum regula morum. Judicium autem conscientiæ illud solum est quod versatur circa operationis liceitatem seu convenientiam cum regula honestatis.

Dicitur 3º *proxime practicum.* Hic venit facienda distinctio maximi momenti, quæ non tantum judicio convenit, sed et dubio, opinioni, probabilitati applicatur. Quum autem varii auctores vario modo, et plures quidem sat confuso, eam explicant, non inutile duximus distincte proponere eas notiones quæ veritati magis congruere nobis videntur.

Judicium (idem valet pro dubio, opinione, probabilitate, etc.) distinguitur in *speculativum* et *practicum.* Speculativum illud est quod directe nihil pronuntiat de praxi seu de liceitate alicujus actionis humanæ in particulari spectatæ, sed proxime versatur circa fundamenta quibus innititur vel principia a quibus dependet illa liceitas.

Judicium speculativum dividitur in speculativum *juris* et speculativum *facti :* prius proxime versatur circa jus, id est circa obligationem vel legem in genere et in abstracto spectatam, nempe circa legis existentiam, extensionem, abrogationem, cessationem, applicationem, etc. vel etiam circa moralitatem seu liceitatem actionis generaliter et abstracte consideratæ, enuntiando scilicet principia generalia aut conclusiones generales de bonitate vel malitia actionum humanarum ; posterius vero versatur circa factum quod aliquo modo fundat jus, videlicet circa facti existentiam, circa rei qualitatem, circa valorem actus, vel circa efficaciam alicujus operationis, etc.

Judicium autem practicum illud est quod directe pronuntiat de praxi et proxime versatur circa liceitatem alicujus actionis in particulari et in concreto spectatæ.

Judicium practicum dividitur in *remote* practicum et in *proxime* practicum. Judicium remote practicum (quod a nonnullis speculativo-practicum vocatur) dicitur, quod versatur quidem circa liceitatem actionis in particulari, ut est hæc determinata actio, sed non in ordine ad agendum hic et nunc : respicit actionem præcise, et pronuntiat de ipsius moralitate objectiva, considerata secundum se et sine ordine ad subjectum hic et nunc acturum ; judicium vero proxime practicum (quod et practico-practicum appellatur) illud est quod versatur circa liceitatem alicujus actionis in particulari, et quidem in ordine ad agendum hic et nunc, ita ut illud judicium sit norma directiva actionis ponendæ : respicit actionem in ordine ad subjectum hic et nunc eam positurum, et pronuntiat de ejus liceitate formali, prout scilicet instante exercitio actionis ponendæ a subjecto apprehenditur. Cf. Ill^mi^ ac Rev^mi^ D^ni^ Waffelaert, *De dubio solvendo,* p. 92 ; Ballerini-Palmieri, *op. cit.* T. I, p. 147 et ss.

Solum autem judicium proxime practicum est proprie judicium conscientiæ.

Non raro tamen theologi nomine conscientiæ intelligunt etiam judicium remote practicum, quod circa honestatem objectivam operationis versatur ; et hoc sensu improprio usurpatur vox conscientia, dum dicunt v. gr. licitum esse agere cum conscientia *speculative* dubia vel probabili, modo practice certa sit.

Dicitur tandem 4° *prælucens voluntati agenti ;* quia, licet conscientia sit etiam de præteritis testificando, approbando, improbando, remordendo ; conscientia prout est regula agendorum, a qua desumitur bonitas vel malitia formalis actus, illud judicium est quod in

mente operantis prælucet voluntati agenti et operationi ponendæ. (1)

II. Qualitates rectæ (2) conscientiæ sunt 1° ut sit aliquo sensu certa et 2° ut sit vera vel saltem actu invincibiliter erronea.

1° Requiritur ut conscientia sit *certa ;* eo sensu quod agens in operando certus sit, saltem moraliter et exercite, de liceitate formali actionis suæ.

a) Requiritur ut agens absque formidine errandi judicet se ita agendo non peccare seu licite agere. Profecto qui agit, anceps utrum hic et nunc actio sua sibi a Deo prohibeatur vel prudenter reformidans ne prohibeatur, eam vult etiam si realiter sit prohibita, et consequenter Dei auctoritatem saltem implicite et interpretative aspernatur. « Licet enim qui cum dubio practico operatur non peccet contra legem dubiam, peccat contra certum dictamen naturæ : qui enim vult quod putat esse malum, vult malum, imo qui non judicat seu opinatur sed tantum timet ne sit malum, nisi hanc mali apprehensionem excludat, illud participabit voluntas. » Ill^mus^ ac R^mus^ Waffelaert, *op. cit.*, p. 77.

b) Non tamen requiritur ut agens absolute et reflexe certus sit (cui certitudini proprie dictæ error subesse nequit), sed sufficit quod certus sit *moraliter* et *exercite*. Dicimus imprimis sufficere quod certus sit *moraliter,*

(1) In præmissa definitione adhibuimus vocem *conscientia* eo sensu quo ab auctoribus, præsertim modernis, adhiberi solet. Sed conscientia *strictissimo* sensu vocari tantum deberet dictamen *absolute* ultimum, *reflexum,* quo ratio judicat se hic et nunc esse obligatam vel non ; illudque semper, etiam in casu erroris invincibilis, proprie et infallibiliter certum est. Cf. Ill^mi^ ac Rev^mi^ D^ni^ Waffelaert, *op. cit*, n. 78 ss., præsertim n. 101 et 102. In sequentibus igitur, qualitates conscientiæ intelligendæ sunt de conscientiæ judicio practico quidem de liceitate formali actionis ponendæ, sed abstrahendo a reflexione psychologica super statum mentis, qua mediante ad stricte dictam certitudinem semper devenitur.

(2) Nomine sonscientiæ *recta* intelligimus eam quæ sit legitima regula operationum, ita ut actus juxta eam positi sint recti seu honesti. Plures autem auctores rectam vocant conscientiam *veram.*

hoc est quod sine formidine saltem prudenti judicet se licite agere. Ratio est, quia in agibilibus perfectior certitudo plerumque haberi nequit : unde qui cum illa imperfecta operatur, prudenter operatur. Cfr. S. Thomas, 1-2, q. 91, a. 3 ad 3 et q. 96, a. 1, ad 3 ; 2-2, q. 70, a. 2. Dicimus etiam sufficere quod certus sit *exercite ;* scilicet necesse non est illum judicare reflexe quod certus sit ; satis est ut operatio fiat tanquam indubitanter bona et licita, sive ut nullum appareat periculum formalis peccati. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, edit. 1ª, p. 225.

c) Tandem prædicta certitudo non debet necessario versari circa operationis honestatem materialem, sed satis est si versetur circa liceitatem formalem et subjectivam ; seu ut auctores sæpe loquuntur, non requiritur ut conscientia sit speculative certa, modo certa sit *practice*. Cfr. S. Alp. *Theol. mor.*, L. I, n. 22 et n. 25.

2º Requiritur ut conscientia sit *vera* vel saltem *actu invincibiliter erronea*.

Conscientia *vera* est, quæ ex principiis veris dictat aliquid in particulari esse licitum, vel illicitum, quod est revera tale. Conscientia *erronea* est, quæ ex principiis falsis, reputatis tamen veris, dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod non est revera tale. Conscientia erronea est duplex : *vincibiliter* erronea, quæ nempe morali diligentia vinci potest et tamen ex negligentia non vincitur ; vel *invincibiliter* erronea, quæ morali diligentia vinci nequit, ita ut error moraliter vitari non possit. Hoc autem contingere potest ex duplici capite : vel quia de veritate inquirenda nec in confuso quis cogitavit, vel quia, si cogitavit quidem debitamque diligentiam adhibuit, ad veritatem tamen non pervenit.

Hisce præmissis, dicimus solam conscientiam veram esse regulam operationum undequaque legitimam : hæc enim sola est præco fidelis, Dei voluntatem, prout in se est, exhibens, adeoque recta est tum formaliter tum

materialiter. Hinc, ut dicit S. Thomas (1), conscientia vera ligat simpliciter et per se.

Legitima quoque operandi regula est conscientia actu invincibiliter erronea, non tamen simpliciter et per se, sed secundum quid et per accidens. Conscientia actu invincibiliter erronea est recta norma agendi quia voluntas huic concordans est bona. Etenim « res quæcumque censetur bona aut mala homini prout bona aut mala remonstratur et proponitur per lumen rationis post debitum et diligens examen. Quando igitur invincibiliter quis ignorat rei malitiam, eamque tanquam bonam proponit intellectus, voluntas sequens ductum hujus pædagogi sui bona erit, et consentanea legi æternæ, quæ habet voluntati quoad bonitatem vel malitiam, et quoad electionem vel fugam, ita esse proponendum objectum, sicut post diligens et debitum examen ratio illud apprehendit se habere, ipsamque voluntatem, utpote ex se cæcam, debere rationis directionem tanquam suam regulam sequi. » Wiggers, in 1^{am} 2^{æ}, q. 19, a. 6, dub. IV.

Non est tamen legitima nisi *secundum quid,* sub conditione si duret, quia talis conscientia potest absque peccato deponi ; et *per accidens,* quatenus dictat et proponit aliquid ut Dei voluntati conforme, licet revera tale non sit.

Prædicta applicantur omni conscientiæ *hic et nunc* invincibiliter erroneæ, etiamsi error, actualiter invincibilis, antecedenter vincibilis fuerit. Talis error esse potest v. g. in confessario qui olim in seminario non satis theologiam excoluit, vel hujus studium nimis diu intermisit ; nunc autem, dum assidet tribunali pœnitentiæ, errorem seu ignorantiam ex illo neglectu sequentem aut saltem necessitatem istam depellendi ne in confuso quidem advertit. Quo casu, licet semper

(1) *De veritate,* q. XVII, a. 4.

adsit vetus illud peccatum, culpabilis nempe ignorantia (nisi jam ignorantiæ culpa per congruam pœnitentiam et additam diligentiam fuerit retractata), nullus reatus incurritur dum quis acturus nunc est: culpa enim omissæ olim diligentiæ a præsenti actione prorsus est independens et ideo actus qui juxta conscientiam hic et nunc invincibiliter erroneam ponitur formaliter bonus est; imo peccaret qui contra talem conscientiam, præcipientem vel prohibentem, ageret.

Sed legitima operationum regula non est conscientia *hic et nunc vincibiliter erronea.* Sane ista conscientia non est cum regula objectiva conformis; defectus autem conformitatis, cum voluntarius sit, minime excusatur. Quisquis enim novit vel saltem suspicatur se in ignorantia legis versari, tenetur, antequam agat, de lege inquirere et reus est, si, cum possit, negligat ignorantiam expellere: quippe qui tenetur ad leges servandas, tenetur ad easdem cognoscendas atque ideo inquirendas. Ergo qui agit cum conscientia vincibiliter erronea nullo modo excusatur; quia sic agens, agit dum scit vel suspicatur se legem ignorare et tamen negligit de ea inquirere: reus est cujusvis legis violationis quam prævidere potest et debet ex ignorantia vincibili sequi posse, et quam, cum possit, negligit avertere. Cfr Ballerini-Palmieri, *op. cit.,* t. I, p. 154 sq.

C. V. C.

V

Q. Infra assensum fidei divinæ, habetur assensus *fidei ecclesiasticæ,* atque etiam assensus qui dicitur *religiosus:* utriusque notionem expone.

R. 1° Assensus *fidei ecclesiasticæ* est assensus præstitus, non propter auctoritatem Dei revelantis, sed propter auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter definientis. Ecclesia nempe infallibilis est in definiendo non tantum

veritates revelatas sed etiam veritates cum revelatis connexas, puta conclusiones theologicas et facta dogmatica. Unde si infallibili magisterio Ecclesiæ aliqua veritas tanquam a Deo revelata definitur : credimus ipsam fide divina, scilicet ut *verbum Dei* nobis ab Ecclesia propositum. Sed si eodem magisterio, ut depositum fidei servetur incorruptum, aliquod assertum aut factum definitur, sive directe, sive per damnationem propositionis contradictoriæ : id tantum credimus seu tenemus fide ecclesiastica. Non enim proponitur id nobis ut a Deo olim revelatum, sed proponitur ut verum ; nec etiam per hanc Ecclesiæ definitionem loquitur nunc Deus, sed loquitur Ecclesia, assistente Spiritu veritatis.

Hic assensus recte dicitur *fides ecclesiastica :* quum sit assensus, firmus et infallibilis, datus propter auctoritatem Ecclesiæ. Dicitur etiam *fides mediate divina :* quia ipsa auctoritas infallibilis Ecclesiæ fide divina tenetur. Sed omnino differt a *fide divina,* quæ pro motivo habet auctoritatem ipsam Dei revelantis ; item plane differt a *fide catholica,* seu divino-catholica : hæc enim rursus pro motivo habet auctoritatem Dei revelantis et solum distinguitur a fide divina simpliciter dicta per quasdam conditiones suæ materiæ, quum pro materia habeat ea quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.

2° Assensus qui dicitur *religiosus* tantum, est assensus præstitus Ecclesiæ, — non *definienti* et propter auctoritatem *infallibilitatis,* — sed *prospicienti securitati* doctrinæ et propter auctoritatem *universalis providentiæ.* Etenim Ecclesia « potest sententias theologicas, vel quatenus cum theologicis nectuntur, præscribere ut sequendas vel proscribere ut non sequendas, non unice ex intentione definitiva sententia infallibiliter decidendi veritatem, sed etiam absque illa, ex necessitate et

intentione (vel simpliciter vel pro determinatis adjunctis) prospiciendi *securitati* doctrinæ catholicæ. In hujusmodi declarationibus, licet non sit doctrinæ *veritas infallibilis,* quia hanc decidendi ex hypothesi non est intentio ; est tamen *infallibilis securitas.* Securitatem dico tum objectivam doctrinæ declaratæ (vel simpliciter vel pro talibus adjunctis), tum subjectivam quatenus omnibus tutum est eam amplecti, et tutum non est nec absque violatione debitæ submissionis erga magisterium divinitus constitutum fieri potest, ut eam amplecti recusent. » Franzelin, *de Script. et Trad.* thes. XII. — Igitur tales decisiones, quamvis non infallibiles nec proinde omnem erroris formidinem per se excludentes, aliquem internum assensum, internam voluntatis atque intellectus obedientiam postulant.

Auctoritas universalis providentiæ ecclesiasticæ per se in nulla alia persona particulari quam in Summo Pontifice residet. At non est incommunicabilis sicut auctoritas infallibilitatis ; et de facto communicatur a Pontifice aliquibus Cardinalium Congregationibus, ex quibus tales decisiones non irreformabiles emanare solent. Hujusmodi decreta habes supra in hoc Periodico, p. 88. — Denique auctoritas particularis providentiæ ecclesiasticæ, Summo Pontifici subordinata, singulis Episcopis in sua diœcesi competit : cui particulari providentiæ inferior assensus religiosus respondere debet.

O. E. D.

VI

Q. *An* et *quanta* habetur obligatio servandi rubricas Missalis Romani ?

R. I. An habetur obligatio ? Communis jam admittitur sententia *rubricas missalis non omnes esse pure directivas, sed certe multas esse præceptivas seu obligare sub peccato.*

Quæ sententia probatur ex bulla Pii V præposita Missali Romano : « *Mandantes* ac districte omnibus

et singulis... in virtute sanctæ obedientiæ *præcipientes* ut... missam juxta ritum, modum ac normam, quæ per missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in missæ celebratione, alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc missali continentur, addere vel recitare præsumant. » Probatur etiam ex declaratione S. R. C. ab Urbano VIII approbata ejusque jussu initio missalis præfixa : « Renovando decreta, alias facta, mandat Sacra Congregatio in omnibus et per omnia servari rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque prætextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. » Unde Benedictus XIV (*de sacrif. missæ,* S. II, § 102) dicit : « Communis omnium sententia docet rubricas esse leges præceptivas, quæ obligant sub mortali ex genere suo » Cfr. etiam conc. Trid. Sess. 7, de sac . in genere, can. 13.

Quousque autem sese extendat hæc obligatio non omnes conveniunt. Plures enim auctores cum S. Alph. *Theol. mor. Lib. 6, n. 399* distinguunt rubricas, in eas quæ servantur *intra* missam, sive in actu celebrationis, et in eas quæ servantur *extra* missam. Limitant autem obligationem seu præceptum ad eas rubricas, quæ in ipsa celebratione missæ à principio ad finem usque absolvuntur, et dicunt eas omnes esse sub peccato servandas, *nisi ratio consilii exprimatur :* Illas autem, quæ proponuntur extra missam servandæ, esse directivas tantum seu non obligantes *per se.*

Dicunt esse præceptivas rubricas *intra missam* servandas, *nisi ratio consilii exprimatur ;* quædam enim rubricæ sunt facultativæ, constant forma meri consilii, proponentes aliquid dicendum vel faciendum pro opportunitate vel ad libitum, uti v. gr. in missa quotidiana defunctorum, per verba post tractum posita: « Sequentia *Dies iræ* ad arbitrium sacerdotis », relinquitur libertas recitandi vel omittendi sequentiam. Docent rubricas *extra missam* seu actum celebrationis

non esse obligantes *per se ;* admittunt enim quasdam obligare, si non per se, saltem aliunde, quia constat de præcepto ex jure vel consuetudine, v. gr. nemo dubitat jejunium naturale, de quo Tit. IX, rub. 1 *de defect.*, sub præcepto gravi obligare ; insuper notant earum rubricarum transgessionem ratione motivi inhonesti, e. g. socordiæ, levitatis, venialiter culpabilem evadere et ratione contemptus vel gravis scandali transire posse in peccatum mortale *(Cfr. Ill. Vanderstappen. Tract. de rubricis missalis).*

Auctores huic sententiæ faventes probant obligationem verbis Bullæ Pii V, canone concilii Tridentini, doctrina Benedicti XIV superius citatis ; restrictionem autem seu limitationem obligationis ad rubricas intra missam servandas colligi contendunt ex eadem bulla Pii V : « Præceptum Pontificis, aiunt, versatur solum circa *ritum, modum et normam decantandi ac legendi missam*, et circa *cæremonias et preces in ipsa missæ celebratione.* Cætera cum non memoraverit Pontifex, nostrum certe haud est, ad illa extendere præceptum quæ Pontifex præterivit et quæ potuisset certe, si voluisset, nominare. » *(Opus Theologicum morale, Ballerini-Palmieri.)*

Alii autem auctores cum clar. Bouvry *(Expositio rubricarum* Part. I, Sect. I, art. 3., Prop. 2) et *Ephemer. liturg.* (vol. I, p. 343) non admittunt hanc limitationem obligationis ad solos ritus in ipso actu celebrationis servandos, sed docent simpliciter rubricas missalis esse præceptivas, exceptis iis quæ forma consilii exprimuntur.

Probant a) ex verbis Bullæ Pii V qua omnibus, sive in missa cantanda sive legenda « servari præcipiuntur non solum ritus in ipso celebrationis actu servandi, sed *tradita* in missali, *rationes, formula, modus* atque *norma*. Vult denique (Pontifex) ut missa celebretur *juxta missale.* Missale nonne comprehendit *omnes rubricas ?* Palam etiam est has voces, *tradita* in missali,

modus, norma generaliores esse vocabulo *ritus,* omnesque rubricas comprehendere. » (Bouvry in *Ephem. liturg.* tom. I, p. 343). — b) Illum esse sensum bullæ, confirmari dicunt decreto S. R. C., ab Urbano VIII approbato (ad quod non satis attendisse videntur doctores prioris sententiæ.). S. Congregatio renovando decreta *alias facta,* mandat servari rubricas missalis *in omnibus* et *per omnia*, ergo omnes rubricas. — c) notant Benedictum XIV (*loco citato*) docere obligationem rubricarum sine limitatione. — Quoad auctoritatem theologorum oppositam sententiam propugnantium, juxta ipsos non magni facienda esse videtur, quia in applicatione suæ sententiæ ad varias rubricas sibi ipsis et principio a se posito contradicunt, ita v. gr. tenent sub veniali obligare lotionem manuum ante missam, (S. Alph. *de Euchar.* nº 409), docent omittere orationes, inducendo vestes sacras, esse culpabile (ibidem nº 410), cum in his tamen agatur de servandis extra actum celebrationis.

Notari tamen potest in rubricis missalis quædam minoris momenti proponi, quæ jam non amplius obligare censentur propter usum generalem contrarium, sciente et consentiente auctoritate competente, admissum, vel quia ipsa S. R. C. omissionem, additionem vel modificationem probavit ; ita v. gr. quod dicitur (tit. X, 9, *Ritus celeb.*) de purificatione porrigenda à ministro iis qui sacram communionem intra missam receperunt, teste Martinucci, jam generatim loquendo obsolevit, et S. C. R. respondit 12 Aug. 1854 agi posse juxta consuetudinem; — quod habetur (tit. XX *Rub. gen.* et tit. VIII, 6 *Rit. celebr.*) de tertio cereo accendendo in missa privata, in multis locis in desuetudinem abiit et S. C. R. 30 dec. 1881 respondit servari posse consuetudinem non accendendi ; — ita etiam jam communi usu adhibetur legile vel pulpitum pro cussino quem rubrica tit. XX præscribit missali supponendum;

— in nostris regionibus adhibetur, ad infundendam aquam in calicem parvum cochlear de quo silent rubricæ missalis, sed cujus usum non prohibitum esse declaravit S. C. 6 feb. 1858.

II. Quanta habetur obligatio servandi rubricas missalis ?

Communis omnium sententia, ut ait Benedictus XIV, docet rubricas obligare sub mortali *ex genere suo*. Earum enim materia magni momenti est, utpote conducens ad decentiam et majestatem præcipui actus cultus catholici ; nec deest voluntas superioris, ut patet ex ipsis verbis quibus usus est S. Pius V : « mandantes ac districte omnibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes ». Obligant ergo rubricæ sub gravi in materia gravi et sub veniali ex parvitate materiæ.

Quænam autem materia gravis sit non ex sola quantitate sed etiam ex qualitate pendet. Unde utrum materia notabilis sit, judicandum erit : a) ex quantitate materiali partis omissæ, additæ vel mutatæ, ita sat communiter docent auctores materiam notabilem esse omissionem confessionis cum aliis in principio missæ, item totius Epistolæ, vel Evangelii ; b) ex dignitate vel loco ad quem pars pertinet, ita notabilem judicant auctores orationem aliquam *in canone ;* c) ex speciali significatione quam habent agenda vel dicenda, ita grave dicunt omittere mixtionem aquæ cum vino in calice offerendo, elevationem Hostiæ et calicis etc. ; d) ex connexione necessaria cum reverentia debita SS. Sacramento vel cum decentia et dignitate cultus, sic omittere purificationem calicis post communionem, celebrare sine ullis vestibus sacris, gravia reputantur ; tandem e) in his etiam attendendum est ad existimationem virorum prudentum et Theologorum. (Cfr. Bouquillon *Theol. mor. fund.,* 2ª edit., nº 122; Vanden-Berghe, *Tractatus de legibus,* nº 84.)

Observant autem auctores : 1º plures omissiones additiones vel mutationes, singulas non notabiles, in

eadem missa, coalescere et simul sumptas notabilem materiam posse constituere et inducere peccatum mortale; 2° sæpe reatum gravem vel omnem reatum abesse posse ratione inadvertentiæ naturalis, quæ in istis minimis quasi necessario contingit, (Ecclesia autem non postulat nisi diligentiam humanam et moralem); vel ratione impotentiæ aut extrinsecæ difficultatis, quæ major vel minor requiritur ad excusandum, prout materia magis vel minus notabilis est.

H. V. D. W.

Evangelia dominicarum

DOM. II POST PENTEC.

De gelijkenisse van de genoodigden tot een avondmaal. Luc. XIV, 16-24.

Te dien tijde, zei Jesus tot de Pharizeërs deze gelijkenisse: 16. Zeker mensch bereidde een groot avondmaal, en noodde er velen. 17. En hij zond zijnen dienstknecht ter ure des avondmaals, om den genooden te zeggen dat zij zouden komen, daar alles nu gereed was. 18. En zij begonnen hen allen te gelijk te verontschuldigen. De eerste zei tot hem: Ik heb eene landhoeve gekocht, en het is noodig dat ik uitga, en ze bezie; ik bid u, houd mij voor verontschuldigd! 19. En een ander zei: Ik heb vijf koppels ossen gekocht, en ik ga ze beproeven; ik bid u, houd mij voor verontschuldigd! 20. En een ander zei: Ik heb eene vrouw getrouwd, en daarom en kan ik niet komen. 21. En de dienstknecht kwam weder, en boodschapte dit aan zijnen heer. Toen werd de vader des huisgezins gram, en zei tot zijnen dienstknecht: Ga spoedig uit in de straten en wijken der stad, en breng de armen, en

lammen, en blinden, en kreupelen hier binnen. 22. En de dienstknecht zei: Heere! het is geschied gelijk gij bevolen hebt, en er is nog plaatse. 23. En de heere zei tot den dienstknecht: Ga uit naar de wegen en heggen, en dwing ze in te komen, opdat mijn huis vol worde. 24. En ik zeg ulieden, dat er niemand van die mannen, die genood waren, mijn avondmaal en zal smaken.

* * *

Uitleg en Doel

« Het groote avondmaal in deze parabel is de hemelsche gelukzaligheid, ter genieting genadiglijk aangeboden. De Heer des huizes, de aanregter van dien maaltijd, is God; en de dienstknecht, die uitnoodigt tot dien maaltijd, is de God-mensch Jesus-Christus, zoowel in eigen persoon, als door de bediening van zijne leerlingen, en van zijnen Voorlooper Joannes. De genoodigden zijn, in de eerste plaats, de Israëlieten, het volk met hunne priesters en Schriftgeleerden; en vervolgens de Heidenen wier roeping hier prophetisch is aangeduid door dat uitnoodigen van allen, die men buiten de stad op de groote wegen en langs de heggen zoude aantreffen. Onder die *armen* en *lammen* en *blinden* en *kreupelen,* die ter maaltijd komen (vs. 21), versta men geringe lieden uit de Israëlieten en ook dezulken, die tot de heffe des volks behoorden, tollenaren en openbare zondaars (vgl. Matth. XXI, 31). Zij staan daar tegenover die aanzienlijken, welke, om verschillende redenen, de eene hierom, de andere daarom, zich verontschuldigden, de uitnoodiging niet willende aannemen. Dat die *armen* en *lammen,* enz. (vs. 21) gevraagd worden, nadat de eerst genoodigden geweigerd hadden, dit behoort tot de inkleeding van het parabolisch verhaal, maar niet tot de zaken, welke daardoor beduid worden. Overigens door deze parabel,

voor zooverre zij eene vermanende strekking heeft, wil Jesus dien Wetgeleerden en Phariseërs (vs. 3) en huns gelijken onder het oog brengen, dat zij zich door hunne gehechtheid aan het goed en het genot dezer aarde terug houden van gehoor te geven aan zijne roepstem, en welk het rampzalig gevolg daarvan wezen zou : tollenaars en zondaars en Heidenen zouden aan de zaligheid van het Godsrijk deelachtig worden, terwijl zij van dat geluk zouden verstoken blijven. » Beelen.

*
* *

Bemerkingen.

A. *Een groot avondmaal. Cænam* « *magnam* dicit, quia Deus, quo nihil majus aut melius, cibi erit loco, in se uno continens omnia genera delicatissimorum ferculorum, quibus mens humana pascatur, solus denique sufficiens ac potens, sine ulla sui consumtione aut diminutione, omnium hominum corda æternùm exsaturare, ita ut nihil umquam esuriant, sitiant, aut desiderent ampliùs. De hac cœna loquens Apostolus ex Isaia : *Oculus non vidit,* ait, *nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum :* I Corinth. 2, v. 9, Isaiæ 64, v. 4 » Luc. Brug.

B. *Dat zij zouden komen, dat alles nu gereed was :* « Post mortem et assumtionem Jesu in cælum, nuntiarunt Apostoli ceterique discipuli Jesu, servi Dei, primoribus Judæorum, regnum cælorum, ad quod dudùm vocati fuerunt, jam pretio sanguinis Christi, morte et adscensione Jesu esse patefactum, et ita paratum, ut liceret ipsis mox à morte in illud ingredi, cælique gaudiis frui, si modò in animum inducerent eò venire, id est, eo momento quo mortalis hæc vita durat, unum passum ambulare, per fidem et usum sacramentorum, in vitæ novitate » Luc. Brug.

C. *Zij begonnen hen allen te gelijk te verontschuldigen :* « Per eos qui et invitati à Domino, et hora cœnæ vocati per servum, recusaverunt venire ad cœnam ob alias quasdam occupationes, significantur vel in genere Judæi, vel specialiter Judæorum primores sese a parata eis cœna subtraxisse; dum alii aliis rebus terrenis occupati nihil minus curabant quam regnum Dei. Sunt autem res terrenæ, circa quas occupari solent homines, et per quas impediri solent, vel possessiones, vel voluptates. Possessionum autem alia in fundis consistit, alia in pecudibus. Unde per tres illos, qui in parabola diversis distenti occupationibus recusaverunt adire cœnam, significantur quotquot quacumque rerum terrenarum implicatione excluduntur a regno cœlorum, qui, scilicet, ut habet Lucas in parabola seminantis (C. VIII), audierunt verbum Dei, et sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt **fructum » Jans. Gand.**

« Observandum, tres ordines hactenus descriptos, virorum esse proborum juxta seculum, qui per hujusmodi se excusarint, per quæ honesto prætextu homines excusari a paratis conviviis solent. Non enim omnes reprobi, qui cælesti cœna sunt excludendi, hic descripti sunt, quia non blasphemi, raptores, adulteri ; sed illi soli, qui humanis negotiis, ex suo genere licitis, ita se implicant, ut ab adeundo cælesti convivio revocentur : qui non sequuntur vitæ genus per se illicitum, sed suo vitæ generi ita se totos addicunt et captivos tradunt, ut de cælestibus, in quæ tamquam finem respicere oportet, non sint solliciti. Juxta exteriorem habitum nihil præ se ferunt indignum invitatis ad cælestem beatitudinem : sed interiori affectu ita comparati sunt, ut terrenam beatitudinem cælesti præferant. Hujusmodi ferè erant Pharisæi aliique Judæorum primores, sectatores exterioris justitiæ... » Luc. Brug. De H. Paulus vermaant dezulken waarom en hoe zij hen moeten

beteren : *Tempus breve est ; reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint ; et qui flent, tamquam non flentes ; et qui gaudent, tamquam non gaudentes ; et qui emunt, tamquam non possidentes ; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi* » I Cor. VII, 29-31. « *Res temporalis in usu, æterna in desiderio sit* » S. Greg. *homil.* 36 *in hoc Evang.*

D. *Daarom en kan ik niet komen.* « Hic non rogat ut habeatur excusatus, quemadmodum primi : sed absolutè præfatur se venire non posse, quia lascivia carnis ita animum obruit et in infima immergit, ut pariat fastidium, imo oblivionem cælestium : et carnalibus delectationibus deditus, alienus omnino à spiritualibus redditur » Luc. Brug. « *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor* » Osee IV, 11.

E. *Toen werd de vader des huisgezins gram* « *Iratus,* quod cœna sua despiceretur ab illis quos invitaverat, et posthaberetur rebus tam levibus. Nihil æquè ad iracundiam provocat Deum, ac contemtus beneficiorum quæ ultrò nobis offert per servos suos » Luc. Brug.

F. *Breng de armen, en lammen, en blinden, en kreupelen hier binnen.* « q. d. Primarii et honorati cives mei, a me invitati, recusant cœnam meam : vade ergo, et quoscumque in plateis et vicis obvios habueris pauperes cives, nec honestè pauperes solùm, sed et defectos oculis, manibus, pedibus, aliisque modis deformes, quos honor convivii non solet admittere, adducito, mihi quidem ne pereant convivii expensæ, illi verò ut in posterum invidià urantur magis, quando intelligent, et quantam rem spreverint, et qui in spretæ felicitatis societatem successerint. Primoribus Judæorum rejicientibus Evangelium, et contemnentibus sibi prædicatum regnum cælorum, oblatum est illud plebejis et vulgaribus, idiotis, indoctis, contemtis, adeoque infamibus Publicanis et peccatoribus.. *Infirma*

mundi elegit Deus, ut confundat fortia, I Cor. I, 27. Ceterùm non hoc ita intelligendum est, quasi priùs tempore, ad cælestem cœnam invitati fuerint primores Judæorum, postea plebeji ; aut quasi Deus maluisset illos æternæ beatitudinis participes fieri, quàm hos ; simul enim omnes invitati fuere, nec est personarum acceptor Deus, qui divites pauperibus anteponat : sed respectus habetur ad parabolam moremque humanum, quo ad celebria convivia honorati divitesque imprimis vocantur, (ut sanè et debuerant et potuerant Judæorum primores, ante ceteros, divinæ vocationi acquievisse) ; ita ut dum hi quidem recusarunt convivium, plebeji vero et contemtissimi quique amplexi sunt, plebeji in primatum locum assumti fuisse successisseque videantur. Hac ratione contigit id quod legitur Matth. 19 v. 30, *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi ;* prorsusque manifestè quod Matth. 21, v. 31, *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei* » Luc. Brug.

G. *Er is nog plaatse.* « Observanda sedulitas hujus servi, quamplurimos ad dominum suum adducentis, et plures etiam adducere optantis, quo fervet zelo, neminem denique quantumvis abjectum (quæ ejus humanitas est) suà operà indignum habentis » Luc. Brug.

H. *Ga uit naar de wegen en heggen.* « Jubet hic vocari populum agrestem, quod Gregorius ait, peregrinos et exteros, id est, Gentes, tamquam extra civitatem patrisfamilias, extra Judæam, habitantes, sine Deo, lege, custodiaque divina. Titus, *significatur,* inquit, *post Israelitas per fidem introductos, Gentium quoque populum fuisse vocandum, mente agrestem, animoque efferatum, quasi extra urbes, absque ulla prorsus civilitate, natum et educatum. Neque enim ullis omnino bonis legibus aut moribus utebantur : verùm pecudum more, in magna quadam rationis caligine et amentia versabantur. Israëlitæ fuerunt intra civitatem,* scribit Theophylactus, *ut qui*

legem susceperant, et civiliorem vitam sortiti : Gentiles autem, a testamentis et a lege Dei alieni erant, et non facti cives sanctorum. Sic enim alloquitur eos Apostolus : *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo,* Ephes. 2, v. 12 » Luc. Brug. — *En dwing ze in te komen* « Indicat ardens desiderium et summam liberalitatem Domini cupientis suas delicias quam plurimis communicare : et rursum significat futuram ingentem vim prædicationis Evangelicæ, ac planè divinam, quæ effectura erat ut Ethnici qui beluino potiùs quam humano ritu degebant, tam subitò ac in tanta multitudine ad tantam Philosophiam everherentur, ut videri possint coacti, et vis quædam illis illata » Jans. Gand.

I. *Niemand van die mannen, die genood waren, en zal mijn avondmaal smaken.* « Horrenda, verum justissima, reprobationis sententia : quæ in Judæorum primores hîc pronuntiata, et in nos Gentiles pronuntiabitur, si cælestem beatitudinem, ad quam sumus post illos vocati, similiter, terrenis voluptatibus aut negotiis posthabuerimus. *Nemo contemnat,* monet D. Gregorius, *ne dum vocatus excusat, intrare non valeat* » Luc. Brug.

Slotrede.

1. God loven en danken, dat hij ons geweerdigt tot zijn avondmaal te nooden, en als 't ware te dwingen (door allerlei inwendige en uitwendige genaden) om binnen te gaan. « *Zalig zijn zij, die tot het bruiloftsmaal des Lams geroepen zijn* » Apoc. XIX, 9.

2. De zondaren en moeten niet wanhopen ; en de armen, de ongeleerden en de kleenen dezer wereld en moeten het lot der rijken, der geleerden en der aanzienlijken niet benijden... Immers allen zijn uitgenoodigd, zonder onderscheid... « In pauperibus vocatis a vicis et viis observandum, neminem quantumvis

peccatis deformatum, quantumvis rusticum et indoctum, quantumvis miserum et contemptum in hoc mundo, se reputare indignum debere magnifica Christi cœnâ, si modo vocanti servo obedire non recuset. Imò qui pauper est, miser et abjectus, hoc ipso confidere debet magis, ex Dei dignatione se aptum hoc convivio, quòd tales, rejectis divitibus fastidiosis, peculiariter Dominus vocari jusserit » Jans. Gand.

3. Hoe uitzinnig handelen zij die, onder 't een of 't ander voorwendsel, aan Gods milde uitnoodiging niet en beantwoorden! Eeuwiglijk, maar vruchteloos, zullen zij hunne dwaasheid afkeuren en beklagen! « *Wij dwazen... Wat nut verschafte ons die hoogmoed, of welk voordeel bracht ons het stoffen op onzen rijkdom aan? Al die dingen zijn voorbijgegaan als eene schaduw, en als een bode die voorbijsnelt...* » Sap. V, 4-9.

4. Om Gods huis binnen te treden, en aan zijn avondmaal deel te mogen nemen, moeten wij alleenlijk den weg volgen die hij ons voorgeschreven heeft (zijne geboden onderhouden), en het geestelijk bruiloftskleed der heiligmakende gratie aanhebben (Matth. XXII, 11-13). Wie zal zeggen dat Jesus' juk niet zacht en is, of dat zijn last niet ligt en is? Matth. XI, 30. Waar liefde is, daar is de arbeid ligt of lief! H. Aug.

5. Het H. Sakrament des Autaars is een onderpand en eene voorsmake van het eeuwig avondmaal des hemels: « *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur* ». « *Die mijn vleesch eet, en mijn bloed drinkt, heeft het eeuwig leven, en ik zal hem opwekken ten jongsten dage* » Jo. VI, 55.

DOM. III POST PENTEC.

Jesus verdedigt door twee gelijkenissen zijnen omgang met de tollenaars en de zondaars. Luc. XV, 1-10.

Te dien tijde 1. naderden de tollenaars en de zondaars tot Jesus, om hem te hooren. 2. En de

Pharizeërs en de Schriftgeleerden morden, zeggende : Deze ontvangt zondaars, en eet met hen. 3. En hij sprak tot hen deze gelijkenisse, zeggende : 4. Wat mensch onder u, die honderd schapen heeft, en één daarvan verliest, laat niet de negen en negentig in de woestijne, en gaat naar het verlorene *zoeken,* totdat hij het vindt ? 5. En als hij het gevonden heeft, legt hij het op zijne schouderen, verblijdt zijnde. 6. En te huis komende, roept hij de vrienden en geburen bijeen, en zegt tot hen : Weest blijde met mij, want ik heb mijn schaap gevonden, dat verloren was ? 7. Ik zeg ulieden, dat er evenzóó blijdschap zal zijn in den hemel over éénen zondaar die hem bekeert, meer dan over negen en negentig rechtveerdigen. die geene bekeering noodig en hebben. 8. of welke vrouw, die tien penningen heeft, indien zij éénen penning verliest, ontsteekt de lampe niet, en vaagt het huis uit, en zoekt neerstig, totdat zij dien vindt ? 9. En als zij dien gevonden heeft, roept zij de vriendinnen en geburinnen bijeen, zeggende : Verblijdt u met mij, want ik heb den penning gevonden, dien ik verloren had ? Evenzóó, zeg ik ulieden, zal er blijdschap zijn bij de Engelen Gods over éénen zondaar, die hem bekeert.

* * *

Doel.

« Ut commodè parabolæ istæ tractentur, sciendum quod in duabus his prioribus quæ similis sunt generis, Dominus ex his quæ in rebus humanis quisque erat facturus, et in quotidiana consuetudine accidere solent, ostendere voluit non esse mirandum si peccatores admitteret et reciperet. Sibi enim ad instar hominis qui ex multis ovibus unam perditam, aut mulieris quæ ex multis drachmis unam perditam diligenter requirit, et ob repertam vehementer gaudet, aliosque ad congau-

dendum sibi provocat, merito summam esse curam ut perditum et adhuc errantem quemque ad electorum numerum pertinentem in viam reducat, electisque conjungat, eòque cum Publicanis et peccatoribus lubenter congredi, ut ad resipiscentiam eos provocaret, ex qua et sibi et secum Angelis Dei singulare gaudium sit proventurum, atque ob id Pharisæos et Scribas, qui illud iniquè ferebant, declarare se diversam à Deo atque sanctis ejus Angelis mentem habere, et proinde pravam et sathanicam. » Jans. Gand.

Uitleg en Aanmerkingen.

A. *De tollenaars en de zondaars naderden tot Jesus.* « Tantam enim Dominus præ se tulit erga omnes benignitatem, ut nemo quantumvis multis et gravibus obnoxius peccatis, quantumvis aliis abominandus, ob suam impuritatem vereretur accedere illum etsi sanctissimum, et ab omni vitio alienissimum. Tanta rursum doctrinæ ejus fuit efficacia et dulcedo, ut et eos qui jam vitiis et rebus hujus sæculi penitus erant addicti, ad se traheret discendi causâ » Jans. Gand.

B. *De Pharizeërs en de Schriftgeleerden morden.* « Id videntes Scribæ et Pharisæi, qui nusquam aberant à Domino, ubique et semper quærentes quod carperent, cùm congratulari meritò debuissent peccatoribus resipiscere cupientibus, et collaudare Domini benignitatem, quod neminem fastideret, aut à se submoveret, solito suo more contra Dominum murmurabant, id in eo reprehendentes, quod summè fuerat prædicandum, idque ex suo ingenio et more, sanctitate alicujus indignum reputantes, quod certissimum veræ sanctimoniæ signum est » Jans. Gand. — *Zeggende : Deze ontvangt zondaars, en eet met hen.* « Volunt dicere, id non licere per legem, nec Jesum id facturum, si Propheta aut vir sanctus esset, immò talem judi-

candum, quales sunt ii quorum contubernio utitur, ut solet similis simili gaudere. Nam si ex legis præscripto, omnis corporis immunditia vitanda est, quanto magis peccati, quod possit etiam ad sui imitationem trahere, à quo cavendum lex omnis inculcat, et malorum docet vitanda consortia ? Ipsi ergo, publicorum peccatorum consortium vitabant accuratissimè, et ne alloquio quidem eos dignabantur, multo minùs mensâ aut consuetudine. Hinc sæpiùs hoc commentum Christo objecerunt ; vide Matth. 9 v. 11, et sup. 7 v. 39. Hi oderant tantùm et vitabant peccatores : cùm veræ pietatis sit, omnium, omni occasione, procurare salutem, peccantes ad meliora revocare, pœnitentes summo cum charitatis affectu recipere » Luc. Brug.

C. *En hij sprak tot hen* « Quamvis responso essent indigni, pro solità tamen mansuetudine, reddit facti sui rationem » Luc. Brug. — *Deze gelijkenisse* « Cum aliàs aliis argumentis eos refutasset, jam id fecit, allatis ordine tribus similitudinibus, ferè sumtis à rebus quæ inter homines fieri consueverunt, de ove, drachma, filio, perditis : *quibus declarat, quam grata sit Deo peccatorum conversio et quantâ proindè curâ sint requirendi, quantaque clementiâ suscipiendi ; nec tantùm non obmurmurandum iis qui requirunt peccatores ac suscipiunt, sed è contrario congratulandum et suscipientibus et susceptis* » Luc. Brug. Bemerken wij :

1. Hoe neerstig en hoe volstandig die man zijn verloren schaap, en die vrouw haren verloren penning zoekt. Alzoo ook « *is de Zoon des menschen gekomen, om te zoeken en zalig te maken wat verloren was* (Luc. XIX, 10). Immers « *God en wil de dood des zondaars niet, maar dat hij hem bekeere en leve* » Ezech. XXXIII, 11. « *Hij wil dat alle menschen zalig worden, en tot de kennis der waarheid komen* » I Tim. II, 4. Welnu : « *Wij allen, als schapen dwaalden wij ; eeniegelijk week af en ging zijnen weg* » Is. LIII, 6. « *Gij waart gelijk dwalende schapen,*

maar nu hebt gij u bekeerd tot den Herder en Opziener uwer zielen » I Petr. II, 25.

2. Hoe goedertieren, hoe zachtmoedig, hoe minzaam die man zijn wedergevonden schaap bejegent « Cum autem pastor invenisset ovem, non punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed superponens humero et portans, clementer annumeravit gregi » Greg. Nyss. in *Catena*. « O miram Christi Domini demissionem, clementiam, charitatem ! quam ut olim fidelibus Pontifices repræsentarent, solebant in templis Christum pingere cum ove perditâ humeris impositâ, eam reportantem ad gregem » a Lapide.

3. Hoe blijde, hoe geestdriftig die man is, omdat hij zijn verloren schaap gevonden heeft, en die vrouw, omdat zij haren penning wedergevonden heeft. « *Hij roept de vrienden en geburen bijeen, en zegt tot hen : weest blijde met mij...* » « Ingens gaudium significat, quod animo continere nequit, quin illud in amicos effundat. Rursum, indicat rem esse adeo lætam ut de eâ non tantum sibi, sed et omnibus vicinis gaudendum sit... Innuit Christum ita gaudere de conversione unius peccatoris, ut gaudium in se continere nequeat, sed illud cum Angelis et Sanctis communicet (bemerk nogtans dat er alsdan nog geene Heiligen in den Hemel en waren). Idem facit Christi assecla et vir Apostolicus, qui animam convertit... Hic cuique religioso, sacerdoti et fideli ingens esse debet stimulus ad excitandum in se animarum zelum » a Lapide.

D. *Evenzóó zal er blijdschap zijn in den hemel* (*bij Gods Engelen,* v. 10). « Subindicat pœnitentiam hominum in terra, notam esse beatis in cælo : nec enim gaudere quis potest de re incognita » Luc. Brug. De voornaamste reden van die blijdschap is « quia sciunt peccatoris conversionem rem esse Deo gratissimam, qui omnes homines tenerè diligat, tamquam oves pascuæ suæ, nec quemquam eorum perire velit » Luc.

Brug. — *Meer dan over negen en negentig rechtveerdigen* (een bepaald getal voor een onbepaald) *die geene bekeering noodig en hebben* « die door hunne grove zonden God niet verlaten hebben, en alzoo niet behoeven tot hem terug te keeren » Beelen. « Majus autem gaudium dicit esse de uno pœnitente quam de multis justis... quia majus actuale et sensibile gaudium est de unius pœnitentia quam multorum innocentia : quomodo pater aliquis magis gaudet de unius filii restituta valetudine, quàm de multorum filiorum qui nunquam fuerunt in periculo integra sanitate, etiamsi omnes filios ex æquo diligat, aut sanos etiam magis diligat » Jans. Gand. « Hoc dictum est per *Anthropopatheiam*. Solet quippe insperata rei amissæ recuperatio homines majori lætitia afficere quam tranquilla et continuata ceterarum rerum possessio » Liagre. « Non hoc sic accipiendum est quasi Deo et Angelis ejus gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quam citra lapsum perseverare in innocentia. Sed Scriptura suo more loquitur secundùm affectus humanos, illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorum conversionem » Jans. Gand. — « Jam sententia et mens Salvatoris est : Si tantum est in cælo gaudium de pœnitentia unius peccatoris, ergo Deo gratissima est pœnitentia peccatoris : cælitibus enim nihil placet, nisi quod Deo gratum sit. Si Deo grata est pœnitentia unius peccatoris : quanto magis multorum, adeoque omnium ? Si omnium peccatorum pœnitentia sive conversio Deo grata est : ergo rectè facio ego, qui hic in terra modis omnibus laboro, ut peccatores ad pœnitentiam et salutem adducam : nec proindè locus est obmurmurationibus vestris, iniquis illis, et adversariis Deo omnibusque cælitibus. Certè Deus, licet infinitum hominum abs se conditorum numerum possideat, ne unum tamen illorum perire vult, sed ad unum omnes salvos fieri, I Tim. 2, v. 4. Quòd si ergo quis eorum,

deserto Deo, perditionis periculo se exposuerit, prout sanè multi, non est committendum, ut eorum, qui se meliores existimant, vel negligentià pereant, vel superbià ac despectione à pietate omnino abalienentur : sed rem Deo cælitibusque jucundissimam faciunt, qui instar ovium perditarum quæsitos, ad Deum conantur reducere ; ut certè multo majus studium meretur hæc res, quam vilis oviculæ recuperatio : quod præcipuum munus obit Filius hominis, qui *venit quærere et salvum facere quod perierat,* infrà 19, v. 10. Matth. 18, v. 11 » Luc. Brug.

Slotrede.

1. Overwegen wij dikwijls wat God al gedaan heeft om de zondaars te bekeeren en zalig te maken : 't is daar immers het doel van de menschwording van Christus, van zijn bitter lijden en van zijne kruisdood, van de stichting der H. Kerk...

2. Niets en is zoo aangenaam aan God, aan Jesus-Christus, aan de Engelen en Heiligen des Hemels, aan Gods echte zendelingen en dienaren hier op aarde, als de bekeering van eenen zondaar...

3. Liefde en goedgunstigheid wekken wederliefde en dankbaarheid ! De zondaar die de gelijkenissen van het verloren schaap, van den verloren penning, en van den verloren zoon (Luc. XV, 11-32) kan hooren zonder tranen van leedwezen te storten, moet waarlijk een steenen herte hebben, een herte waarop de uiterste liefde en goedertierendheid niets en vermogen. Of hadde Jesus-Christus aan de zondaren misschien meer liefde kunnen toonen dan hij getoond heeft ?...

4. Het schoonste, het edelste, het verdienstelijkste werk dat iemand kan doen, is van met God mede te werken tot de bekeering van de zondaren. De priesters zijn daar van ambtswege toe verplicht. Maar de goede

uitslag van hunnen iever hangt dikwijls af van de gebeden, de goede raadgevingen en voorbeelden der echte christenen. — *Mijne broeders !* zegt de H. Jacobus (V, 19, 20), *zoo iemand onder u van de waarheid* (van den weg der deugd) *afgedwaald is, en dat iemand hem bekeert* (op den goeden weg terugbrengt), *die moet weten, dat wie eenen zondaar van zijnen dwaalweg bekeert, diens ziel* (in 't grieksch : *eene ziel*) *van de* (eeuwige) *dood redden zal, en eene menigte van zonden* (door den afgedwaalden vóór zijne bekeering bedreven) *bedekken* » Eene ziel van de eeuwige dood redden !

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De judicio particulari.

Omnes stabimus ante tribunal Dei : stabo et ego ; nam homo sum, et *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.*

I. QUIS ERIT JUDEX ? Ipse Deus, judex *omniscius* cui *omnia nuda et aperta sunt,* qui *scrutatur corda et renes. — Quidquid latet apparebit, nil inultum remanebit.* — Deus, judex *summe justus,* incorruptibillis, qui nec muneribus nec promissis placari potest, sed reddet unicuique secundum opera et merita. — Deus, judex *inexorabilis,* qui nec precibus nec fletibus, nec pœnitudine movetur : dies enim illa dies justitiæ ; tunc jam tempus miserendi non erit amplius. — Deus, judex *supremus,* a cujus sententia appellare non licebit ; cujus

proin judicium erit irrevocabille, irreformabile. — Sane terribilis judex ille peccatori, sacerdoti præsertim infideli, imo et tepido, servo inutili et pigro..., ergo et mihi, nisi per vitam pœnitentem, piam et ferventem illum mihi conciliare studeam !

II. Quis reus ? — Egometipse, ego solus, sine defensore : *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo ;* ego, qui *peccavi nimis in vita mea ;* ego qui hucusque forsan duxi vitam tepidam et negligentem ; ego qui tot gratiis et beneficiis Dei sum abusus ; ego qui vilicationem meam parum curavi, atque ex vinea Domini paucos aut nullos fructus retuli... *Quid faciam igitur cum surrexerit ad judicandum Dominus ?* — Quid ego peccator *cum vix justus futurus sit securus ?* — Scio quid faciam interim antequam veniat Dominus : *disponam domui meæ ;* peccata et infidelitates præteritas sincera pœnitentia expiabo, ac deinceps summo studio vitabo quidquid mihi confusionem et tremorem in die judicii parere posset.

III. Quodnam examen instituendum ? *Universale* omnino simul ac *strictissimum :* Deus enim judex meus *revelat profunda et novit in tenebris constituta ;* quæcumque mala sive magna sive parva a primo usu rationis ad ultimum usque vitæ suspirium patrata numeravit ac ponderavit, atque *cuncta quæ fiunt adducet in judicium,* imo *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Neque enim commissa tantum sed omissa indagabit : tempus inutiliter et vane tritum, dum operibus officii erat impendendum ; talenta defossa et ab omni fructu vacua ; gratias plurimas quibus ex torpore et ignavia quis non fuit cooperatus. — Vel circa ipsa opera bona inquiretur quid eis defuerit sive in causa movente et fine intento, sive in executionis modo ; utrum omnia supernaturalia ac præmio æterno digna : tunc forte, inspecta tepiditate mea, species virtutum mearum apparebunt quales

sunt, ac tanquam stipulæ siccæ, soli igni aptæ, rejicientur. — Et hæc omnia ponderabuntur juxta strictas justitiæ leges, quin admittantur ulli prætextus aut interpretationes largiores...

Quis hæc recogitans non timeat ? Quis non dicat tremebundus : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo...* Sed mihi præsertim qua sacerdoti tremendum apparet divinum judicium. Novi enim quia dixit Dominus : *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo ;* quis autem abundantiori mensura dona divina recipit quam sacerdos ? Gratiæ multiplices in sacerdotii tyrocinio perceptæ, gratia speciatim ordinationis validissima ; cognitio profundior doctrinæ sacræ ac legis divinæ ; sacramenta toties recepta ; oblatio quotidiana sacrosancti Missæ sacrificii..., hæc omnia requirentur a me ; et fructus ex iis collectus mensurabitur in pondere sanctuarii ; *cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum :* nonne igitur timendum ne *appensus in statera inveniar minus habens ?* — Novi quoque quia scriptum est : *Durissimum judicium his qui præsunt fiet,* si nimirum munere suo non functi fuerint fideliter : porro ego sacerdos constitutus sum magister et dux populi Dei, ac proinde debeo aliis *pervigilare quasi rationem pro animabus eorum redditurus :* verum « si pro se unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animæ requirendæ ? » (S. Aug.) — Sum ego *minister Christi et dispensator mysteriorum Dei,* ideoque mihi credita potestas vere divina : et circa hanc quæretur a Rege æterno qua ratione illa fuerim usus, utrum exstiterim *dispensator fidelis...*

« Quid sum miser tunc dicturus, quando judex est venturus, cuncta stricte discussurus » ? — O Domine, *confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui ;* hoc salutari timore excita zelum et fervorem meum ad

sancte vivendum et ad tremendum onus sacerdotii digne et fideliter gerendum ut in die judicii non sit mihi in causam damnationis, sed in titulum mercedis magnæ nimis !

Interim judicabo meipsum, quotidie serio, sincere et rigorose examinando conscientiam ; singula hebdomada instituendo confessionem talem quæ merito ultima esse possit. *Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.*

—

Examen circa vitam fidei a sacerdote ducendam

—

Justus meus ex fide vivit

—

Triplex distingui potest vitæ genus ; una est VITA SENSUUM, vita illorum quos Apostolus vocat *homines animales,* qui sensuum illecebras prosequuntur, concupiscentiis seu carnis desideriis in sua agendi ratione moventur ac reguntur. Altera est VITA QUAM DICUNT RATIONIS, vita illorum qui supra sensus quidem sese attollunt et ductum rationis sequi se profitentur, at neglecto fidei lumine, imo et rationis, quæ ad fidem ducere deberet, solius rationis *mere naturalis* principiis dirigi sese gloriantur. — Tertia est VITA FIDEI, illorum nempe quibus fides normam cogitandi, loquendi, operandi imo et patiendi præbet : hæc est vita verorum Christi discipulorum atque justorum seu perfectorum ; quare debet esse vita sacerdotum : videam igitur utrum sit mea.

I. An fides regit mea judicia, affectus ac desideria ? An soleo in lumine fidei considerare vitam præsentem, ac proinde illam æstimare tanquam stadium præparationis ad vitam futuram ac meliorem, minime vero uti

bonum in quo anima possit quiescere, ac innatum suum desiderium felicitatis explere ; tanquam tempus laboris ac certaminis, non vero uti terminum requiei et pacis ? An item juxta principia fidei judico de bonis temporalibus, de laude honoris, de sanitate ac viribus corporis, de facultatibus ac talentis animi, illa habendo non ut amabilia ac desiderabilia propter se, sed quatenus sunt media ad finem meum ultimum promovendum, ad Deum glorificandum, ad congregandas divitias immortales ? Consequenter, an hujusmodi rebus non inordinate adhæreo cor meum iis apponens, sed animum paratum gero ad illa relinquenda aut eorum defectum tolerandum, quoties et quamdiu Deo placuerit ; quoties et quamdiu mihi essent salutis aut sanctificationis obstacula ? — An ex fide haurio veram et altam æstimationem sanctissimæ meæ vocationis, sacerdotium considerando uti dignitatem omni terrena excellentiorem, importantem potestatem vere divinam secumque trahentem obligationem vitæ spiritualis ac perfectæ, quæ tota quanta divinæ gloriæ, ac animarum saluti sit devota ; minime vero, sicuti multi mundani illud habent, uti statum cæteris professionibus similem, in quo liceat plus minusve honorate ac commode vitæ annos transigere ?

II. An fides regit SERMONES meos ? — An loquela mea manifestat me esse virum fidei ? An proinde semper loquor de rebus sacris ac divinis cum magna reverentia ? — Annon loquor de eventibus sive prosperis sive adversis, quasi non crederem divinæ Providentiæ, illa omnia ad sapientissimum finem ordinantis ? — Annon aliquatenus sum similis hominibus istis terrenis ac sensualibus unice fere sermocinantibus de negotiis temporalibus, de pecuniis, recreationibus, cibis aut potibus ?

III. An fides regit meas ACTIONES ? — Qui ex fide vivit ambulat in Dei præsentia, unde, orta tentatione

quæ ad peccatum alliciat, statim ei occurrit cogitatio : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto ;* quomodo possem hoc malum committere sub oculis Dei judicis mei ; atque sic fidei scuto, omnia tela nequissimi ignea extinguit. — An mihi familiaris est præsentiæ divinæ recogitatio, qua exciter ad vigilandum et ita caute ambulandum ut in nullum peccatum incidam ; qua movear quoque ad viam virtutis gnaviter prosequendum ? — Qui ex fide vivit, omnes suas actiones supernaturali intentione sanctificat ; summo mane ac frequenter de die eas Deo suo offert ad majorem ipsius gloriam : an ita ego ?

Sacerdos qui ex fide vivit *laborat sicut bonus miles Christi,* totus est in operibus officii sui nec in illis *quærit quæ sua sunt sed quæ Jesu Christi ;* zelo zelat honorem Dei, regis sui ; ac libenter sese impendit ac superimpendit pro salute animarum ; — si conatus ejus prospere succedant, inde non gloriatur, sed ad Deum, cui militat, omnem fructum ac laudem refert ; si vero successum non obtineat, ideo animo non deficit, fide edoctus Deum a ministro suo requirere curam non curationem ; sacerdotis esse plantare ac rigare, Dei vero incrementum dare, quod interim ferventi oratione non cessat implorare. Quid ego ? Annon potius otio torpeo ; aut sæcularibus negotiis me implico ? — Nonne in ministerio sacro quæro lucrum temporale aut vanam hominum æstimationem et laudem, interim de bono animarum parum sollicitus ? — Nonne videor in labore meo Deum ejusque gratiam negligere quasi bonus exitus unice a me dependeret ?

Sacerdos ex fide vivens, orat cum magna reverentia, cum profunda humilitate, cum filiali fiducia, recogitans infinitam majestatem ac bonitatem Dei, quem alloquitur ; — in ecclesia versatur tanquam *in domo Dei quam decet sanctitudo,* divinum hospitem tabernaculi viva fide una cum angelis altare circumdantibus adorat ; —

Missam celebrans recogitat suo ministerio renovari augustissimum crucis sacrificium, unit intentiones suas cum intentionibus divinæ victimæ, atque tremendum mysterium tanta exteriori devotionis ac pietatis specie peragit, ut omnibus adstantibus inspiret reverentiam ; — sacramenta ministrans pensat sese dispensare sanguinem Christi in emundationem et santificationem animarum , et sancta sancte tractat. — An ita ego per omnia ? Numquid potius similis sum illis de quibus ait Dominus : *Labiis suis me honorant, cor autem eorum longe est a me ?* Annon forsan ita indecore celebro, et quasi luride ad altare ita ministro ut adstantium animis de fide mea dubitationem ingeram?...

Sacerdos ex fide vivens superioribus suis *obedit ex animo* quasi Deo, recordatus verbi Domini : *Qui vos audit me audit.* — In proximo fidei oculo considerat quæ Dei sunt, putà Dei imaginem, amicum, filium, Christi fratrem sanguine ipsius redemptum... et sic facile quemvis proximum diligit propter Deum ; — speciatim in pauperibus et miseris intuetur Christum, unde libenti animo eis opitulatur. — Item exercitio cujusvis virtutis, non solum moveri se sinit naturali virtutis honestate sed supernaturalem ejus dignitatem præ oculis habet, ita ut actus illius cœlesti mercede digni reddantur. — Quid autem ego ?...

IV. An fides me regit in patiendo ? — Vir fidei præsertim tribulationis tempore, fide quasi forti thorace cor suum munit, ne adversitatum spiculis confodiatur. — An similiter ego in die afflictionis ac tribulationis cujuscumque soleo principia fidei invocare, atque recogitare nihil adversi accidere sine voluntate Patris mei cœlestis ; hancque Dei mei voluntatem semper esse æquam, bonam, paternam ? An proinde novi Deo benedicere etiamsi castiget me ? — An medias inter ærumnas consuevi oculum fidei intentum tenere in Jesum, divinum meum Magistrum ac regem patientem

ac dolentem meque suaviter invitantem ut post ipsum ac cum ipso crucem meam feram patienter imò et gaudenter ? An considero difficultates ac labores, molestias ac dolores, tristitias ac angustias meas uti totidem particulas crucis Christi pro me calvariæ montem ascendentis ? — An similiter in lumine fidei intueor mercedem magnam nimis patientiæ meæ in cœlo paratam ?

Domine, *adauge fidem meam,* ut deinceps sancte cogitem ac judicem ; sancte loquar ; sancte agam ; sancte patiar !

* * *

An paratus sum ad mortem ? — Si hic et nunc mihi esset moriendum, an auderem cum fiducia apparere coram Deo judice, firmiter sperans me relaturum sententiam favorabilem ? — Si non, quid reparandum, quid corrigendum, quid præstandum ut judicem meum securus expectare possim ?

Ex sacra Rituum Congregatione

I

Ex decreto in Viglevanen. 21 februarii 1896 dato, excerpimus sequens dubium : « An servari possit immemoriabilis consuetudo, qua in officiis defunctorum, quæ peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, præsertim diebus obitus et anniversarii, semper decantetur primum nocturnum cum laudibus recitatis, non omisso cantu Invitatorii : *Venite, exultemus ?* Resp. « Serventur rubricæ Ritualis et Breviarii Romani. »

Adnotationes. 1° Quoad invitatorium. Breviarium *Off. Defunct.* hanc ponit rubricam : « Hoc invitatorium dicitur *tantum* in die commem. omnium fidelium

defunctorum et in die depositionis defuncti, quibus diebus dicuntur tres infrascripti Noct. et Antiphonæ duplicantur ». Rituale autem, Tit. VI, Cap. 3, *Exsequiarum Ordo,* nº 16 : Si vero ob rationabilem causam,... prædictum officium mortuorum cum tribus nocturnis et laudibus dici non potest,... dicatur saltem primum nocturnum... incipiendo ab Invitatorio : *Regem, cui omnia vivunt* ». Ex illis rubricis sequitur in exsequiis corpore præsente semper dici invitatorium, sive tres nocturni sive unus tantum recitentur.

Cum autem decretum 9 maii 1739, nº 4085 statuat : « in officio defunctorum, quando recitatur integrum, nunquam omittendum esse invitatorium », et Sacra Congregatio interrogata circa anniversarium, in quo dicebatur *invitatorium* et unum nocturnum respondeat decreto 4 junii 1817, nº 4536 : « Servari posse consuetudinem recitandi unum dumtaxat nocturnum *sed sine invitatorio* », concluditur extra diem depositionis, si dicatur integrum officium, addi debere invitatorium, si unicus nocturnus recitetur, omittendum esse.

2º Quoad nocturnum recitandum. Si unicus tantum nocturnus recitatur, semper primus dicendus est in exequiis corpore præsente, juxta rituale cap. 3, nº 16 superius citatum et decretum *in Lincien.* 3 junii 1892. Extra autem diem depositionis dicitur nocturnus correspondens feriæ. Id eruitur ex Rituali Tit. VI, cap. 5 : *De officio faciendo in exequiis absente corpore defuncti et in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario,* ubi nº 1 legitur : « dicatur officium mortuorum cum tribus nocturnis et laudibus et antiphonis duplicatis, vel saltem *unum* nocturnum cum tribus lectionibus ». Cum præscribatur *unum* nocturnum, non autem indicetur *primum* sicuti pro die depositionis, sequitur applicandam esse rubricam breviarii : « Aliis temporibus dicitur tantum unum nocturnum cum laudibus, hoc ordine : fer. 2 et 5 primum noct. ; fer. 3 et 6 secundum noct. ; fer. 4 et sabb. tertium noct. »

3º Quoad ritum servandum. Rituale Tit. VI. *Off. defunct.* dicit : « In die depositionis et tertio, septimo, trigesimo et anniversario duplicantur antiphonæ ». Breviarium autem : « in die commemorationis omnium fidelium defunctorum et in die depositionis defuncti... antiphonæ duplicantur.» Quæ regula confirmatur verbis superius citatis (sub nº 2) Ritualis, cap. 5 *de officio faciendo in exequiis absente corpore etc.* et decreto *in Ulixbonen. Occident...* 8 martii 1738 : « duplicatio Antiphonarum, præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum et diem depositionis defuncti fiat in diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario tantum ». Hæc autem regula servanda est, sive integrum officium recitetur, sive unum tantum nocturnum, quia rubrica ritualis et decretum citatum non distinguunt, quamvis supponant vel indicent unicum nocturnum recitari posse. Extra ergo hos casus enumeratos duplicatio antiphonarum non habet locum. Quod autem Rituale, tit. VI, cap. 5 doceat antiphonas duplicandas esse *in exequiis absente corpore defuncti,* hoc intelligi potest de primis exequiis, quæ ex aliqua rationabili causa vel propter impedimentum liturgicum non potuere celebrari simul cum sepultura et translatæ fuerunt simul cum missa in diem in qua juxta rubricas peragi possunt.

De Psalm. *Lauda anima,* et *De Profundis* dicendis vel omittendis in fine Vesp. et Laudum, vide superius pag. 137.

II

Romana

A Sacra Rituum Congregatione postulaverunt plurimi : « An intonationes Hymni angelici ac Symboli, necnon singulæ modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendæ, videlicet Orationum, Præfationis, Orationis Dominicæ et cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus, ex præcepto servari debeant prout jacent in Missali, an mutari

potius valeant iuxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicæ, reque mature perpensa, censuit rescribendum : « Affirmative ad primam partem : Negative ad secundam, et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam iuxta Decretum 21 Aprilis 1873 ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 14 Martii 1896.

Caj. Card. Aloisi-Masella, S. R. C. Præf.

Aloisius Tripepi, S. R. C. Secret.

Loco † Sigilli.

III

In decreto *in Basileen.* 14 Martii 1896 dato, sequens resolvitur dubium ad VI. :

« Ex S. R. C. Decreto die 9 Decembris 1895 circa celebrationem Missæ in Ecclesia aliena, videtur Sacerdos habens festum duplex I Classis non posse celebrare, nisi more votivo Missam conformem suo Officio, quando ritus alienæ Ecclesiæ permittit Missas *de Requie* et votivas. Quid agendum in casu ? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ, propositis Dubiis rite expensis, rescribendum censuit :

Missa Officio conformis, sive de semiduplici sive de quocumque duplici, et in casu, est festiva : proinde non est votiva, nec more votivo dicenda. Atque ita rescripsit. »

Adnotationes. Decretum generale 9 Decembris 1895 (vide p. 90), de quo in dubio, præscribens, ut in posterum missa, in aliena ecclesia celebrata, sit conformis officio ipsius ecclesiæ, non autem officio celebrantis, hanc ponit exceptionem : « Si vero in dicta ecclesia, vel oratorio *(publico),* officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria ; iis tamen exceptis diebus, in quibus præfatas missas Rubricæ Missalis Romani, vel S. R. C. decreta prohibent ».

Quærebatur autem, utrum sacerdos in aliena ecclesia, die qua in hac missæ votivæ permittuntur, possit etiam celebrare missam *suo* officio conformem, cum de hoc

nihil habeatur in decreto. Alii affirmabant uti *Ephemerides liturgicæ* Romæ publicatæ (vol. X, p. 23); *Nouvelle Revue théologique* (tomo hujus anni, p. 89); *Le Canoniste contemporain* (mart. 1896, p. 180). Alii econtra, uti *Revue Théologique Française* (1re année p. 125) negabant. Sed post decretum *in Basileen.* (supra datum), jam controversia dirempta censeri debet et dicendum : *in casu licite posse sacerdotem celebrare missam suo officio conformem.* Cum enim decretum generale 9 Dec. 1895 permittat sacerdoti in aliena ecclesia, cujus ritus admittit votivas, celebrare votivam, et decretum *in Basileen.* declaret missam officio celebrantis conformem esse festivam, et perinde non esse votivam, nec more votivo dicendam, concludere licet hanc in casu more festivo celebrari posse. Secus dicendum esset S. Congregationem permittere quamcumque missam (quæ more votivo celebrari queat), excepta sola illa conformi officio celebrantis. Quod rationabiliter admitti non potest. Hæc ergo missa in casu dici potest non quidem ut votiva sed ut festiva.

Hac ratione respondetur consultationi, nobis, transmissæ, circa opinionem *Collationum Brugensium* in quæstione prius controversa.

H. V. D. W.

Consultationes

I

« In tractu nostro operarii non pauci certo anni tempore Galliam petunt, non solum ad messem colligendam, sed ad varia opera quæ agriculturam vel industriam spectant exercenda. Galliam quidem petunt aliqui, quia apud nos occupationem non inveniunt; alii, allecti spe majoris lucri. Jamvero accidit ut ibi commorantes laborent diebus Dominicis ac festivis de

præcepto, nonnunquam his diebus Missam omittant, die Veneris quæcumque sibi proponantur manducent. Reversi, veniunt confessum. Quomodo cum talibus pœnitentibus agendum ? »

Quum proposita quæstio sit valde practica et simul difficilis, operæ pretium erit ipsam nonnihil ampliare et pro modulo nostro satisfacere tribus hisce dubiis : I. An, attento periculo violandi leges circa abstinentiam et festorum sanctificationem, licet operariis in Galliam tendere ? II. Quomodo de ipsorum obligatione circa has leges judicare debemus, ita ut ipsos recte doceamus, intra vel extra Confessionem, quando in Galliam vel primo tendunt vel de more redeunt ? III. Quomodo post reditum a confessario tractandi sunt ?

Prænotamus operarios de quibus hic agitur ad duo genera posse revocari : plurimi in Gallia messem colligunt, betas effodiunt, lateres coquunt aliosve labores suscipiunt catervatim (*bij ploegen,* en brigades ou compagnies) sub aliquo decurione *(ploegbaas, hoofdman),* qui omnium nomine contractum laboris init ; alii singulariter labori, sive rustico, sive industriali in officinis seu fabricis, sese addicunt. De prioribus est præcipua difficultas : unde de his dicemus directe, notando tamen, ubi necesse est, qua proportione dicta ceteris applicentur.

I. Hic triplex hypothesis fieri potest : 1) Operarius prudenter prævidet, aut etiam experientia novit, se in Gallia non minus quam in sua regione, præter casus extraordinarios, servaturum esse leges Ecclesiæ. Ipsum sane nihil ab itinere prohibet. — 2) Operarius prævidet aut novit, in Gallia sibi, etiam volenti, observantiam harum legum impossibilem fore, quia, ex mala voluntate aliorum, passim diebus abstinentiæ carnes comedere, diebus festis laborare aut etiam missam omitere cogetur. Hic jam, ut licite gallicum iter ac laborem arripiat, indiget causa gravi : quæ tamen de facto

communiter aderit. Justam nempe causam præbebit : necessitas comitandi patrem : necessitas quærendi alibi laborem hic adeo multis deficientem : necessitas quærendi alibi majus lucrum, quo operarius debita solvere, uxorem prolemque aut parentes suos alere, se parcimonia honesto matrimonio præparare valeat. At causa sane deest illis juvenibus qui discedunt ut curam parentum deserant et liberius mercedem dissipent. — 3) Operarius prævidet aut novit, se in Gallia, nulla justa causa excusatum, aliorum ductu et exemplo, has leges neglecturum, adeo ut singulis hebdomadibus peccaturus sit graviter. Huic labores gallici sunt occasio proxima : de qua quærendum in singulo casu quousque sit necessaria aut libera, deinde applicandi principia in tract. de Pœnit. exposita.

Nota quæstionem hic restringi ad duo prædicta pericula istis laboribus magis propria : sed ad discernendum quid alicui sit permittendum, dissuadendum aut etiam prohibendum, rem esse completo spectandam : adeoque simul periculum luxuriæ, blasphemiarum, ebrietatis etc., si revera pro ipso speciale et novum tale periculum ex commoratione in Gallia oriur : necnon et aliud periculum ibidem contrahendi luem socialismi, seu totius ordinis socialis odium. Huiusmodi periculum præsertim operariis fabricarum in Gallia ingruere, experientia satis docet.

II. *Generaliter* hic advertimus : in locis ubi certo anni tempore multi operarii Gallium petunt, utilissime istos operarios, non tantum occasione data privatim, sed etiam publice moneri ac doceri : quod zelosi pastores jamdiu consueverunt. Moveantur imprimis ad instituendam confessionem ac communionem ante discessum etiamsi præceptum paschale tunc non urgeat, ut monita sibi appropriata recipiant, fidem suam confirment, gratiam recuperent, vires periculis pares hauriant ; item præmoneri possunt, iterum postea monendi.

ut reduces quamprimum ad Sacramenta recurrant. Deinde salutaribus monitis imbuantur circa varia pericula mox indicata. Qua in re optimum censemus, qui ab ipso sacerdote consulatur et etiam operariis tradatur, libellum editum a. 1894, approbante ac commendante Ill° Episc. Gandavensi : Reisboekje voor de « franschmans » of raadgevingen en gebeden voor de Vlamingen die gaan werken naar Frankrijk, door eenen onderpastoor van het bisdom van Gent (129 bladz. Sotteghem, L. Vekeman).

Speciatim jam circa puncta de quibus quæritur, ut recte judicet ipse sacerdos et operarios recte doceat, sequentia forte juvabunt.

Quoad legem abstinentiæ. — 1) Non pauci ex his operariis, ratione laboris in suis adjunctis spectati, nostro judicio, a lege abstinentiæ excusantur.

Merito AA. docent, gravem laborem a jejunio quidem, non tamen ab abstinentia excusare ; attamen facile quosdam labores excipiunt qui ex sua indole et arduitate non sinunt operarium satis de cibis licitis assumere ut vires suas debite restauret. « Sic indulgendum erit iis qui in officinis vitreis vel ferreis, aut in fodinis metallicis, carbonariis et similibus vitam degunt. » Ita Gury, Casus Consc. I, n. 482. An talibus assimilari non possunt plures qui laterum fornacibus operam summe arduam conferunt ? An hæc excusatio, saltem probabiliter, extendi non potest ad illos operarios qui multorum dierum spatio, toto die, sub æstu solis, improbo labore messi incumbunt ? Eo vel magis quod copiam cibi liciti nutritivi sæpe non inveniant. Cf. Nouv. Rev. Théol. X, p. 338.

2) Quoties vero labor assumendus non videtur adeo arduus ut operarium excuset : jam distinguendum inter eos qui propriis curis sibi victum parant et eos qui saltem partim alimenta ab hero, puta colono, accipiunt. In primo casu: Regulariter poterunt sibi copiam ovorum

invenire atque ex eis adjuncto pane, caseo etc. sufficiens prandium conficere: attamen sinceris testimoniis constat interdum, et jam magis magisque, ex mala colonorum voluntate, evadere perdifficile ut diebus abstinentiæ ova, aliosve cibos calidos licitos, inveniant ; ita ut solo pane et caseo victitandum esset : quo casu operarios certo excusatos habemus. — Præterea non est par conditio omnium operariorum. Ipse decurio, aut operarius qui curam ciborum habet, gravissime peccat si cibos licitos conquirere negligit et operariis etiam petentibus denegat ; sed non peccant isti operarii qui ex mala voluntate decurionis vel sociorum carnes comedere coguntur. Hi nempe reducendi sunt ad eos de quibus nunc sequitur.

3) Igitur, in altero casu, quo operarii ab hero, tanquam mercedis partem, totum victum aut saltem offam seu intritam cum carnibus recipiunt ; tunc jam necessario manducant quæ apponuntur, nec in hoc præcise peccant. Attamen pro ipsis gravis obligatio est in ipso limine contractus stipulandi ut, quantum adjuncta sinant, diebus abstinentiæ cibi liciti apponantur. Et sane, si concordant, herum, facilius in hac re quam circa sanctificationem festorum, ad consensum movebunt. Quodsi post serios conatus nullum herum bonæ voluntatis invenerint, culpæ expertes erunt.

4) Tandem, ut operarius cum majore securitate conscientiæ agat, in pluribus adjunctis expedit ut parochus, aut ipsius auctoritate confessarius, cum illo dispenset pro casu quo observatio legis evaderet vere molesta.

Nota operarios fabricarum hac in re plerumque facilius sibi posse providere : tenentur nempe in suis hospitiis cibos licitos petere, et ut obtineant, plures invicem consentire. Si tamen tales cibos congruos sibi vere non inveniunt, tempore quo moralis impotentia perdurat excusantur.

Quoad festorum sanctificationem. — 1) Profecto datur casus quo, ad grave damnum vitandum, in diebus festis laborare licet : ita coctio laterum intermitti nequit ; ita interdum messis dilationem nullam patitur. Vix unquam tamen dabitur casus quo operarii ab ipsa auditione missæ excusentur.

2) Operarii, qui sese locant pro salario diurno, tenentur, dum se hero obligant, expressa stipulatione sibi reservare facultatem tum audiendi Missam, tum etiam vacandi a labore nisi necessitas adsit. Qua in re omnes suam operam conferre debent, at præsertim decurio qui nomine aliorum contractum init. — Sine conventione prævia, experientia docet apud colonos gallos frustra operarios sibi petere facultatem sanctificandi festa.

3) Operarii qui per modum redemptionis (entreprise) laborant, præter hanc stipulationem erga colonum, debent adhuc majori cura ad invicem et cum suo decurione pacisci de sua libertate festa sanctificandi. Quod pactum, si fieri potest, etiam ante profectum in Galliam inire debent.

4) Nihilominus sæpe contingit ut simplices operarii metu gravis damni aut molestiæ a requie festiva aut etiam a Missæ auditione excusentur : ita si agatur de filio a nutu patris pendente, item si conditiones stipulatæ non stricte serventur ab hero, aut si sub talibus conditionibus laborem aut socios non inveniant.

Hic iterum nota pro ceteris opificibus fabricarum etc. etiam casus dari laboris cujusdam moraliter necessarii in festis : at sedulo inquirendum esse herum a quo ultra necessitatem ad laborem in festis non cogantur et missæ audiendæ facultatem obtineant. Et maxime quidem ad missam audiendam urgendi sunt : nam operarii qui hanc omittunt, omni studio orandi, salutaria recogitandi ac christiane vivendi cito exuuntur.

III. Generalia principia, de modo quo confessarius

munere patris, medici, doctoris et judicis fungi debeat, hic sunt recolenda. Sed speciatim :

1) Quoad judicium de peccatis commissis ob violationem abstinentiæ et festorum.

Confessarius præsertim inquirat an pœnitens, ante discessum in Galliam, debite monitus, sufficienter intellexerit suas obligationes. Si ita, ejus modus agendi regulariter judicandus erit juxta objectivam rei considerationem ad II. expositam. Sin aliter, videndum quousque subjective peccaverit : nam *a)* circa excusationem a lege : talis forte peccavit ex falsa conscientia, ubi objective satis excusabatur, aut e contra putavit se excusatum a lege, ubi de facto tenebatur ; *b)* circa obligationem prævie stipulandi ad invicem, ad decurionem, ad herum, suam libertatem servandæ legis Ecclesiæ : ipse communiter hanc obligationem non satis advertit.

2) Quoad modum pœnitentem instruendi ac disponendi.

Instruendi. a) Circa reditum in Galliam, confessarius doctrinam propositam ad I. prudenter applicabit pœnitenti. Ita hunc reditum interdum quidem prohibere debebit ; sæpius vero, ex necessitate, sub cautionibus permittere ; interdum etiam, ubi reditus objective prohibitus videtur, ne bonam fidem sine fructu tollat, ipsum pœnitenti tantum dissuadebit.

b) Circa obligationem ibidem servandi leges Ecclesiæ : opportunius quidem pœnitens in his instruitur ante profectum in Galliam quam post reditum. Sed etiam post reditum utiliter instructio renovatur et sæpe melius intelligitur. Habeat ergo confessarius dicta supra ad II. Præsertim, ostendat mentem matris Ecclesiæ nolentis filios cum gravi suo damno aut incommodo obligare ; — distinguat conditionem simplicis operarii et decurionis seu ductoris cæterorum : de quo severius judicandum, quum ipse sæpe reus sit neglectæ vitæ christianæ per menses a decem aut quindecim operariis.

Disponendi. Præter dolorem de commissis peccatis, præsertim excitari debet apud pœnitentem firmum propositum præstandi in futuro ea quæ ipsi a confessario circa præsentem materiam injunguntur. Quodsi pœnitens suum modum agendi in posterum immutare, ubi certo deberet, pertinaciter renuat, aut asserere pergat se nihil in his rebus promittere posse, apparet sane incapax absolutionis. E contra, si asserit se optime nunc percipere suam obligationem eamque sedulo se impleturum promittit, regulariter confessarius ipsum judicabit dispositum seu absolutione dignum. Dicitur *regulariter :* nam si pluries similiter monitus, emendationem promisit quin promissis steterit, *præsumptio* oritur contra sinceritatem et firmitatem præsentis propositi : ést enim recidivus formalis, et quidem ex occasione proxima. Attamen advertas primo, hic non agi de aliqua occasione actu relinquenda aut removenda nec etiam esse possibilem aliquam brevem propositi probationem ; secundo, plerumque ingens periculum fore ne operarius, in talibus adjunctis dimissus, a confessione prorsus avertatur. His attentis, sæpius adesset casus *dubie dispositum* sub conditione absolvendi. Sed insuper advertas : operarii reducis ex Gallia accessum ad confessionem spontaneum, præcepto ut supponitur non urgente, profecto esse signum speciale bonæ voluntatis ; præterea apud ipsum in his materiis magnum affectum ad peccatum non adesse. Hinc confessarius, « viscera indutus misericordiæ Christi Jesu » omnique charitatis industria utens, talem pœnitentem semper adducere poterit ad statum in quo ipsum jam prudenter judicet *dispositum ;* proinde eum absolvet, simul instanter hortando ut, si post aliquot menses Galliam repetere debeat, iterum ante discessum confessionem instituat.

O. E. D.

II

Q. Decretum *Altero nunc* 28 Juni 1889, quo conceditur, certis sub conditionibus, celebratio missæ votivæ SS. Cordis Jesu, primis feriis VI uniuscujusque mensis, inter alias exceptiones appositas habet: *Dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini,* » Quid intelligitur nomine *festi Domini?* — R. Festa Domini intelliguntur omnia illa quæ ad personam Christi Salvatoris nostri sive directe sive indirecte pertinent, et sub hac denominatione comprehenduntur, juxta decreta et auctores liturgicos, festa S. Crucis, Pretiosissimi Sanguinis et similia uti festa Instrumentorum Passionis, quæ ex indulto quibusdam in locis celebrantur, determinatis aliquibus feriis a Septuagesima ad Dominicam Passionis. Inde sequitur in omnibus illis festis, si occurant in feria VI prima mensis, missam votivam SS. Cordis impediri, quamvis non celebrentur sub ritu dup. 1 cl. Prohibetur ergo hæc missa in festis Circumcisionis Domini, Inventionis S. Crucis, Transfigurationis, SS. Vulnerum, Pretiosissimi Sanguinis et Instrumentorum Passionis. Ex quo tamen inferri non potest, missam votivam SS. Cordis impediri per officium votivum de Passione, quod per indultum generale 5 Julii 1883 recitatur, ad libitum singulorum, feriis VI liberis. Decretum enim anni 1889 agit de *festis* Domini, officium autem votivum, stricte loquendo, non est festum. Insuper officium illud votivum persolvitur ritu semiduplici, qui non impedit missas votivas etiam privatas. Si ergo liberum manet sacerdoti qui recitat officium votivum, quamcumque missam votivam celebrare, certe nullum impedimentum habetur ne ipse celebret, ritu missæ votivæ solemnis (prout in casu concessa est), missam SS. Cordis Jesu, dummodo non nisi unica in eadem ecclesia *hoc ritu* celebretur.

H. V. D. W.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cf. supra p. 157.)

Pars Prima

Ascensus mentis ad Deum

5. Ut ipso in limine harum meditationum applicemus ad hanc nostram operam, simulque confirmemus exemplo Sanctorum, quæ in præfatione diximus de modo studendi, de affectu quo studiis vacare nos decet, audiamus S. Bonaventuram in prologo sui *Itinerarii mentis in Deum,* et dicamus cum ipso : « In principio primum Principium, a quo omnes illuminationes descendunt tanquam a Patre luminum, a quo omne est datum optimum et omne donum perfectum (1), Patrem scilicet æternum, invoco per Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercessione Sanctissimæ Virginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi, et Beati Francisci, ducis et Patris nostri, det illuminatos oculos mentis nostræ, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis illius, quæ exsuperat omnem sensum, quam pacem evangelizavit et dedit Dominus noster Jesus Christus...

« Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes divinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele sit vir desideriorum (2). Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per clamorem orationis, quæ rugire facit a gemitu cordis, et per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissime et intentissime se convertit.

(1) *Jac.*, I. — (2) *Dan.*, IX.

«Igitur ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cujus sanguinem purgamur a sordibus vitiorum (1), primum quidem lectorem invito, ne forte credat quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata.

Præventis igitur divina gratia, humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis oleo divinæ lætitiæ, et amatoribus divinæ sapientiæ, et ejus desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, amandum et etiam degustandum, speculationes subjectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostræ tersum fuerit et politum.

« Exerce igitur te, homo Dei, prius ad stimulum conscientiæ remordentem, antequam oculos eleves ad radios sapientiæ in ejus speculo relucentes, ne forte ex ipsa speculatione radiorum in graviorem incidas foveam tenebrarum. »

6. Hisce præmissis, « Deus in se tanquam summa lux et summe cognoscibilis, et tanquam lux summe intellectum nostrum complens, quantum est de se, esset summe cognoscibilis etiam nobis, nisi esset aliquis defectus a parte virtutis cognoscentis, qui quidem non tollitur perfecte nisi per deiformitatem gloriæ (2). » Quamdiu ergo in via sumus, Deum perfecte cognoscere seu videre non possumus ; Deus tamen, qui totus manifestus viatoribus esse noluit, totus nihilominus absconditus esse nec potuit nec voluit, ut pulchre exponit Hugo a S. Victore, dicens : « Scriptura dicit : Deum nemo vidit umquam ; tamen fides quem non vidit credit, et ex hoc meritum fidei constat non vidisse et credere. Unde pulchrum illud dictum est : Nam si

(1) *Ad Hebr.*, I. — (2) In 1 *Sent.*, dist. III, p. 1, art. 1, q. 1.

vides, non est fides. Credit ergo fides quod non vidit, et non vidit quidem quod credit. Et vidit tamen aliquid per quod admonita est et excitata credere quod non vidit. Deus enim sic ab initio notitiam suam ab homine temperavit, ut, sicut numquam quid esset totus poterat comprehendi, sic quia esset numquam prorsus posset ignorari. Propterea quippe Deus a principio nec totus conscientiæ humanæ manifestus esse voluit, nec totus absconditus, ne, si totus manifestus esset, meritum fides non haberet nec infidelitas locum. Infidelitas enim de manifesto convinceretur, et fides de occulto non exerceretur. Si vero absconditus tòtus esset fides quidem ad scientiam non adjuvaret, et infidelitas de ignorantia excusaretur. Quocirca oportuit ut proderet se occultum Deus, ne totus celaretur et prorsus nesciretur, et rursum ad aliquid proditum se et agnitum occultaret, ne totus manifestaretur, ut aliquid esset quod cor hominis cognitum enutriret et rursus aliquid quod absconditum provocaret (1). »

7. Quomodo igitur mens mea infirma, quæ tam longe est a summo Deo, Deum poterit attingere? Poterit quidem, Deo descendente ad ipsam humilem ac studiosam, scilicet seipsum, unum ac trinum revelante, poterit, inquam, magna ac mirabilia, dono fidei divinæ, de Deo apprehendere: eaque, prælucente eadem fide ac illustratione interna, perfectius ac clarius deinde intellectu prosequi, credens ut intelligat. Attamen, prius admonetur mens credere, et ille etiam, cui nondum fides illuxit, propriis naturæ viribus Deum ex operibus suis cognoscere ac agnoscere valet ac debet, docente Apostolo : *Invisibilia enim Ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (2).

Itaque, duæ sunt Dei manifestationes : prior Dei in creaturis, altera Dei sese per seipsum nos edocentis ; illa,

(1) *De sacramentis christianæ fidei*, part. III, cap. 1 et 2.
(2) *Ad Rom.*, I, 20.

Dei solum prout ex operibus existentia et perfectiones ejus elucent; hæc, præterea prout Deus in se est et in creaturis deprehendi non potest. Duæ sunt ad Deum viæ : prior, rationis propriis naturæ viribus per creaturas; altera, fidei supernaturalis Deo docenti immediate inhærentis. Duo sunt ascensus mentis ad Deum : alter inferior, per priorem viam; alter sublimior, in quo Deum, unum ac trinum, fide divina per alteram viam agnitum, illuminante eadem fide et sapientia intrinsecus, extrinsecus vero doctrina revelata duce et juvantibus etiam creaturis, Deum, quantum sinit vita mortalis, intelligere conatur.

In concreto autem loquendo de homine fideli, qui, in præsente statu lapso ac reparato, Deum, quantum fieri potest, cognoscendum anhelat, alter iste ascensus priorem evidenter totum involvit; et sic solent antiquiores theologi scholastici ascensum mentis ad Deum describere, ut facit Hugo a S. Victore in libro *de sacramentis christianæ fidei,* Petrus Lombardus, in *cura sententiarum,* S. Bonaventura, in suo *Itinerario mentis in Deum;* quod quidem sedulo advertendum est ne eorum dicta male intelligamus vel et perverse interpretemur.

Majoris claritatis gratia distinctim utrumque ascensum exponemus. Sit itaque

—

CAPUT I.

De ascensu ad Deum, propriis rationis viribus, per creaturas.

8. Ex parte primum subjecti, etiam solis naturæ viribus, ad Deum per creaturas ascendentis, distinctio magni momenti ante oculos est habenda. Etenim non solum mens a mente distat, ratione evolutionis et culturæ diversæ, quoad facilitatem vel difficultatem ascensus, sed et universim humani generis status diver-

sus diversam valde facilitatem vel difficultatem, imo moralem impossibilitatem ascensus illius generat. Ut nihil dicamus, nisi obiter, de statibus hypotheticis, naturæ puræ, etc., historice et realiter duplex est status distinguendus, quos indicat S. Bonaventura (1) : « Secundum etiam primam naturæ institutionem creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, et ideo posuit eum Deus in paradiso deliciarum. Sed avertens se a vero lumine ad commutabile bonum, incurvatus est ipse per culpam propriam, et totum genus suum per originale peccatum ; quod dupliciter infecit humanam naturam, scilicet, ignorantia mentem et concupiscentia carnem; ita quod excæcatus homo et incurvatus in tenebris sedet et cœli lumen non videt, nisi sibi succurrat gratia cum justitia contra concupiscentiam, et scientia cum sapientia contra ignorantiam, quod totum fit per Jesum Christum, qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia, sanctificatio et redemptio (2). Qui cum sit Dei virtus et sapientia, cum sit verbum incarnatum plenum gratiæ et veritatis, gratiam et veritatem fecit (3). »

9. Igitur, ante omnia quædam sunt historice recolligenda ex doctrina fidei circa primam hominis conditionem ejusque lapsum ac reparationem. « Secundum fidei doctrinam ponimus, hominem a principio taliter esse institutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta, inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale, Deo et sua gratia supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat (4). » Et hic status hominis præternaturalis est quem statum integritatis vocare solent. Non eodem modo fide tenendum est hominem sic integrum simul etiam in statu evectionis supernaturalis esse *creatum,*

(1) *Itinerarium,* cap. I, n. 12. — (2) 1 *Cor.*, I. — (3) 1 *Tim.*, I. — (4) S. Thom., *c. gent.*, I. IV, c. 52.

quod S. Bonaventura cum multis scholasticis non admittit, quamquam potior thologorum pars cum S. Thoma nunc sententiam affirmativam tenet. In utraque sententia, status integritatis habetur ut intime connexus cum statu elevationis supernaturalis, ut gratia, ante peccatum, nullum pateretur a natura impedimentum; sed in priorum opinione, status integritatis consideratur ut ordinatus quidam ad elevationem gradus, cum statu gratiæ, utpote eidem maxime conveniens, perseveraturus; in posteriorum vero, ut legitima ac debita quædam, ante peccatum, gratiæ sequela.

Cæterum, cum de ascensu et viribus *rationis naturalis* in diversis statibus nunc agamus, primævum hominis statum, contradistinctum a statu lapso ac reparato, consideramus in præsenti abstrahendo a donis proprie supernaturalibus, seu statum integritatis qua talis describimus; quoniam autem in illo statu natura ejusque vires naturaliter perfectæ erant, ascensus rationis ad Deum in hujusmodi statu prius indagandus erit, ut deinde quid in statu lapsæ naturæ ratio valeat exquiramus, siquidem a perfecto incipiendum, est, ut postea quid a perfecto deficiat videamus.

10. Præter ea quæ protoparentibus, qua talibus, erant propria ac personalia a Deo concessa, videlicet plenitudo perfectionis corporalis a principio, necnon loquela perfecta cum cognitione omnium rerum naturalium a primo homine cognoscendarum, status primævæ integritatis complectebatur valetudinem perfectam corporis et animi, cum sensibus plane vividis plenoque vigore ac serenitate rationis, semper servandam. Importabat videlicet potestatem non moriendi seu immortalitatem corporis, ac proinde tum immunitatem a causis morbidis internis necnon ab omni læsione externa, tum præsidia omnia ad vitam perfectam servandam, cum imperio quodam in animalia resque

insensibiles, quæ abundanter et sine labore suppeditarent quæcumque necessaria et utilia. Ex hoc statu immortalitatis connaturaliter sequitur donum, quod strictiore sensu integritatis donum vocari solet, nempe imperium rationis in affectus et motus sensibiles, quas passiones appellant, seu subjectio hominis inferioris homini superiori: fac enim corpus sit perfecte sanum ac vividum, immortale, immune ab omni ægritudine interna et externa læsione, cum plena fruitione omnium rerum utilium: profecto tollis omnem causam inordinati affectus insurgentis in rationem, hujusque serenum affirmas imperium perfectamque voluntatis libertatem.

11. En igitur status integritatis, in quo creatus est homo, et a quo per peccatum cum posteris misere decidit, simul et dona omnia supernaturalia sibi collata, toti generi seu naturæ ipsi humanæ, peccato infectæ, amittens. Voluit quidem Deus, pro summa misericordia sua, sapientissimoque consilio, hominem reparare per promissum redemptorem; attamen, ut post lapsum homo magis sentiret culpam, atque redemptionis sibi applicandæ cupidior ac sollicitior esset, integritatem non restituit. Cæterum status lapsus et reparatus nunc ulterius describendus non est, et, quod rem in præsenti tractandam attinet, tristissime vel expertis satis innotuit.

Itaque hominem primo integrum rationis viribus per creaturas ad Deum ascendentem jam considerabimus.

(*Continuabitur*).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii

I

Ostende dogma Primatus B. Petri confirmari potius quam in discrimen vocari ex Epistola *ad Galatas* II, 11-14.

II

Rom. Pontifex habet potestatem plenam ac supremam in universam Ecclesiam ; eamdem potestatem habet Concilium œcumenicum. Ergo duplex datur in Ecclesia subjectum potestatis plenæ ac supremæ. Ergo Ecclesia non est societas *una*. Solve hanc difficultatem.

III

Ex S. Scriptura demonstra Spiritum Sanctum procedere a Patre et a Filio.

IV

An et quare peccat qui sine justa causa petit dispensationem a lege, aut sine justa causa obtenta dispensatione utitur ?

V

An unum vel plura committit peccata qui uno voluntatis actu intendit exercere plures actus externos malos ? Declara responsum.

VI

An parato ad peccatum suadere licet aliquod peccatum minus, si aliter a pravo proposito abduci nequeat ? Explica responsum.

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Maii propositas

—

I

Q. Ex Genesi XI, 1-9, demonstra genus humanum non per animorum discordiam, sed per linguæ confusionem, è terra Sennaar in universas terras dispersum fuisse.

R. *Thesis hæc demonstratur :*

1. *Ex sensu naturali et obvio vv. 1, 6, 7, 9.*

Asseritur enim v. 1 *terram,* i. e. omnes terricolas, *fuisse labii* (hebr. *sâfâ* = proprie, *labium;* tropice a) *lingua, dialectus ;* b) *sermo,* modus loquendi singulorum hominum) *unius, et* (seu) *sermonum* (hebr. *debârîm* = proprie, *verba, vocabula ;* inde a) *lingua, dialectus ;* b) *sermo eorumdem.* — Huic expressioni parallela est altera v. 6 : *Ecce unus est populus, unumque labium (sâfâ) omnibus.*

Porro *unitati labii* opponitur (v. 7) *confusio linguæ (sâfâ)* seu (v. 9) *labii (sâfâ) universæ terræ,* quà confusione factum est *ut non audiret unusquisque vocem (sâfâ) proximi sui* (v. 7), et quà *dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum* (v. 9).

Atqui *unitas labii,* atque *confusio labii omnium terricolarum,* qua factum sit *ut non audiret* seu non intelligeret *unusquisque labium proximi sui,* ac dispersi sint super faciem cunctarum regionum, sensu naturali et obvio, significat unitatem atque confusionem linguæ, quà confusione totum genus humanum postdiluvianum in cunctas regiones dispersum sit, non verò unitatem sermonis, seu animorum concordiam, nec confusionem sermonis, seu animorum discordiam, qua pars quædam,

v. g. sola progenies Sem, super faciem cunctarum regionum dispersa fuerit. Ergo.

Nota. Vocem *sâfâ* (proprie, *labium*) æque ac vocem *lâschôn* (proprie, *lingua*) tropice significare non solùm *sermonem,* sed etiam *linguam, dialectum* ; verbaque : *non audire labium (sâfâ) aut linguam (lâschôn) alicujus,* idem significare ac : *non intelligere linguam ejus,* liquet ex Deut. XXVIII, 49; Is. XXVIII, 11; XXXIII, 19; Jerem. V, 15; Ezech. III, 5, 6, etc.

2. *Ex causa istius confusionis.*

Cum animorum discordia malum morale sit, repugnat Deum ejusdem auctorem esse, eamque speciali interventu directe ac positive procurare. « *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis* I Cor. XIV, 33. »

Atqui Deum auctorem fuisse confusionis labii, de quâ heic agitur, haud obscurè affirmatur v. 7 : « *Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* »

Ergo confusio labii, de qua hic, non fuit confusio sermonis, seu destructio concordiæ, sed confusio linguæ.

Nota. Neminem latet in SS. Litteris haud rarò occurrere expressiones quibus Deus, sensu naturali et obvio verborum, exhibetur tamquam mali cujusdam moralis auctor, v. g. Exod. IV, 21 : *Ego indurabo cor ejus ;* interpretes verò hujusmodi textus meritò sic communiter exponere, ut significatum velint Deum non directe ac positive, sed indirecte tantùm ac negative mala ista procurasse. At verò :

a) Nemo inficiabitur verba : *confundamus, indurabo,* ac similia, sensu obvio ac naturali, designare interventum directum ac positivum. b) In locis ubi à sensu verborum obvio ac naturali recedendum est, id ordinarie persuadet non solùm subjecta materia, verum etiam contextus, loci paralleli etc., v. g. Exod. VIII, 15 : *ingravavit cor suum.* c) Neque hic, neque ullibi in

S. Scriptura, quidnam occurrit quo cogamur hic à sensu obvio ac naturali verbi *confundamus* recedere.

3. *Ex connexione Cap. XI cum Cap. X.*

Capite X proleptice describitur gentium ex tribus filiis Noe oriundarum *(à quibus disseminatum est omne genus humanum super universam terram IX, 19)* divisio secundum cognationes, et *linguas,* et regiones (X, 5, 20, 31). Capite verò XI explicatur quomodo factum sit ut genus humanum postdiluvianum, cum esset unus *unius labii* populus, unamque regionem Sennaar inhabitans, in diversos *labii diversi* populos divisum ac super faciem cunctarum regionum dispersum fuerit: nimirum, quia Deus confudit ibi labium universæ terræ, ut non audiret unusquisque labium proximi sui.

Atqui cap. X, 5, 20 31, nemine contradicente, agitur de divisione gentium *secundum linguas (lâschôn).*

Ergo cap. XI. 1-9 agitur de generis humani postdiluviani unitate et confusione *linguæ (sâfâ).*

Nota. Quare Moyses, cùm cap. X constante, (ter, vv. 5, 20, 31) usus fuerat voce *lâschôn,* cap. XI constanter (quinquis, vv. 1, 6, 7, 9) adhibuerit vocabulum *sâfâ,* etsi nos latere fateamur, inde tamen inferri nequit eum cc. X et XI de rebus diversis loqui voluisse, cum ambæ istæ voces sensu translato fere synonymæ sint, et peræquè *linguam, dialectum* ac *sermonem* significent. Unde Chald. et Syr., Judæorum de linguarum confusione traditionem sequentes, Gen. XI, 1-9 constanter pro *sâfâ* substituunt *lâschôn.*

4. *Ex unanimi sententia Veterum, tum Judæorum, tum Christianorum.*

Disputarunt quidem Veteres quænam fuerit lingua ista primæva, necnon quot et quænam et qualiter ex ejus confusione natæ sint linguæ: nemo vero ante sæculum nostrum ratus non est Gen. c. XI sermonem institui de unitate et confusione *linguæ* primævæ, vocemque *sâfâ,* quinquies ibi adhibitam, non aliud

quam *linguam* significare : ex quo saltem sequitur interpretationem adversariorum nostrorum minime obviam ac naturalem esse, nisi unanimem constantemque Veterum sententiam floccifaciendam ducamus, admittamusque recentiores quosdam Hebraizantes omnibus antiquis Hebræis atque Hebraizantibus hebraice peritiores existere.

5. *Ex defectu omnis motivi sententiæ obviæ atque receptæ valedicendi.*

A. Falso contendunt nonnulli linguarum diversitatem ac generis humani dispersionem, confusione ac dispersione de qua Gen. XI agitur, antiquiorem fuisse. Affirmatur enim simpliciter (Gen. XI, 1), adeoque universè, *terram* (hebr., græcè, chald., samarit., syr. et arab. : *omnem terram* seu *omnes terricolas)* fuisse labii unius ; *unum fuisse populum,* unumque labium omnibus (v. 6); civitatem quam ædificare cœperant idcircò vocatam esse Babel, quia ibi confusum est labium *universæ terræ* (v. 9) i. e. omnium terricolarum ; eosdem ita à Domino *ex illo loco in universas terras* divisos esse (v. 8), nempe *in diebus Phaleg,* quando *divisa est terra* (X, 25), i. e. omne genus humanum postdiluvianum, seu universa progenies trium filiorum Noë, *a quibus disseminatum est omne genus hominum super universam terram* (IX, 19).

Ad restringendum horum textuum significationem, non sufficit cum Hummelauer *(Comment. in Genes.)* asserere « potuisse eam dispersionem fieri successive, ut cap. XI sola tandem Semitarum narretur dispersio, sive omnium sive aliquorum » : sic eam *fieri potuisse* lubenter concedimus : non sic *factam fuisse* aperte testatur Moyses. Quod verò ibid. sequitur « imo id contextus omninò suadet. Timor, quem v. 4. prodit *ne dividamur in universas terras,* suggerit aliquas jam antea dispersiones obtinuisse », hoc, inquam, argumentum vanissimum est : timor enim alicujus mali non supponit idem malum jam semel aut pluries accidisse.

B) Divisio terræ facta legitur (X, 25) *in diebus Phaleg,* adeoque viventibus adhuc omnibus Majoribus Phaleg, incluso ipso Noë. Vixit enim Noë ab anno 1056 usque ad annum 2006; Sem 1558-2158 ; Arphaxad 1658-2096 (vel 1996); Sale 1693-2126 ; Heber 1723-2187 ; Phaleg 1757-1996. Diluvium autem locum habuit anno 1656, uno tantùm sæculo ante nativitatem Phaleg, qui nomen suum à divisione terræ mutuatus est. Nihil igitur mirum universam Noë progeniem in diebus Phaleg unum adhuc ejusdem linguæ ac regionis populum exstitisse ; mirum vero istud supra laudati Hummelauer : « A Noë ad dispersionem Gen. XI aliquod certe effluxit tempus, quo aliquas huc illuc dilapsas esse gentes supra suggerebamus ; quarum linguas brevi à lingua Noë evasisse diversas, nulla est ratio infitiandi ». Cæci igitur fuerint Veteres omnes ! sine ulla ratione in unam eamdemque sententiam conspiraverint ! oculati tantum pauculi Neoterici !

C. Similitudines et discrepantiæ quæ existunt inter varias linguas (radicales, agglutinativas atque inflectentes), non necessario supponunt naturalem fuisse linguæ primævæ divisionem, imo melius explicari nequeunt quam admittendo unicam initio exstitisse linguam, quæ postea violenter in plures divisa fuerit. « Observat Em. Card. Wiseman, inter recentiores, qui penitius et attentius linguarum vocabula, indolem, structuram, regulas grammaticales, affinitatem, examinarunt, ac varias earum stirpes inter se mutuò contulerunt, hanc communem admitti sententiam : initio unicam exstitisse linguam, quæ postea violenter in plures fuerit divisa, hujus autem linguæ primævæ sic violenter quodammodo confractæ fragmenta superesse in variis linguis inde enatis» Lamy, *Introd. in S. Script.*

Nota Deum non ita confudisse linguam hominum « ut singuli homines suum habuerint particulare idioma, sed singulæ familiæ, quæ in opus illud conspiraverant,

vel familiarum capita, quod satis erat ad dissipandos eorum conatus, et eos ab invicem separandos » Bonfrerius.

G. V. D. P.

II

Q. Explica Matth. X, 39 : « Qui invenit animam suam, perdet illam : et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ».

R. « Sententia hæc paradoxon est seu oxymorum, hoc sensu : Qui Christum negavit, vel aliud peccatum grave commisit, ut *animam suam inveniret,* ut vitam corporalem servaret, æternam perdet vitam : contra, *qui perdidit animam* seu vitam *suam propter Christum,* v. gr. per martyrium, *inveniet eam,* vitam æternam in cœlis obtinebit. » Van Steenkiste. — « Notandum vocem *animam* duplicem in utroque sententiæ membro obtinere sensum : primum enim vitam temporalem, dein vero vitam æternam significat : quod in hujuscemodi antitheticis sententiis non solum vitio caret, sed et elegantiam et emphasim habet... Vericuli sensus is est : Qui propter mei nominis professionem in periculum vitæ adductus, abnegando me vitam sibi servare voluerit temporalem, is vita crebit æternà : qui vero propter me temporalem vitam amittere non dubitaverit, si vitam lucrabitur æternam » Liagre. Cnf. Marc. VIII, 35 ; Jo. XII, 25.

« Sic dicitur fideli, ac si agricolæ dicatur : Frumentum si servas, perdis ; se seminas, renovas. Quis enim nesciat quod frumentum, quum in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit ? Sed unde putrescit in pulvere, inde virescit in renovatione » S. Greg., *hom. 32 in Evang.*

« Sapientes animæ voluntatem Dei etiam sibi præferunt ; et tanto amplius se amant, quanto amplius pro Dei amore se non amant » S. Leo, *de Pass. 19.*

G. V. D. P.

III

Q. In quo consistit essentia Dei ? Explica et proba responsum.

R. Quum omnis noster modus concipiendi Deum, deque Eo loquendi, a modo quo concipimus creaturas, quoque de ipsis loquimur, ortum habeat, videndum est quomodo essentiam concipiamus creaturarum.

Jamvero essentia in creatis est id quo res est id quod est. Ita essentia hominis est id quo homo est homo. Quum autem omnis creatura esse possit in duplici ordine : in ordine scilicet realis existentiæ seu physico, et in ordine mentalis aut idealis existentiæ seu metaphysico, sequitur considerari in creaturis essentiam physicam et metaphysicam.

Essentia vero physica est complexus perfectionum quibus, in ordine reali, res constituitur in propria specie. Ita essentia physica hominis est quod sit corpus animatum anima rationali, his enim constituitur in specie humana.

Essentia Dei physicâ est, analogice loquendo, totus complexus omnium omninò perfectionum in simplicissima natura ; ita ut, sic intellecta, essentia Dei sit objectum totius tractatus de Deo, nec de ea agatur in proposita quæstione.

Metaphysica autem essentia rei est perfectio vel complexus perfectionum, quibus res *a mente concipitur* primum constitui in propria specie et ab omni alia re distincta. Ita essentia hominis est quod sit animal rationale, seu concipitur mente per genus et differentiam specificam. Et hoc sensu quæritur de essentia Dei, nempe metaphysica, an et quæ sit perfectio divina, quæ, analogice ad creaturas, a mente nostra concipitur ut generalissima et principium omnium Dei perfectionum simulque Deo omnino propria.

Respondetur autem hanc perfectionem Dei esse quæ vulgò nunc vocatur *aseitas,* sed quæ melius a scholasti-

cis dicitur perfectio qua Deus est *Ipsum Esse subsistens*, αὐτὸ ὤν.

Est enim in conceptu generalissima, ut patet, et concipitur ut fons omnium perfectionum. Ex eo enim quod Deus sit *Ipsum Esse subsistens* sequitur Deum esse Infinitum. Nam si Deus sit *Ipsum Esse subsistens* sequitur in Deo nullam omnino haberi in Essendo limitationem ; secus enim non esset ipsum Esse subsistens, sicuti ipse calor subsistens non esset ipse calor subsistens, si vel minimum in ratione caloris deficeret. Conceptus ergo hujus perfectionis qua Deus est *Ipsum Esse subsistens* continet in se ideam infinitatis ; et ideam infinitatis continere in se ideam omnium Dei perfectionum cuique evidens est. Nec minus manifestum est omnino proprium esse Deo quod sit αὐτὸ ὤν.

Merito ergo essentia Dei in hoc reponitur quod Deus sit *Ipsum Esse subsistens.*

Quod mire confirmatur ex Exodo III, 13, 14 ubi ipse Deus Moysi revelat nomen suum proprium et incommunicabile, id est essentiam suam, esse ut sit ILLE QUI EST, id est, ut sit *Ipsum Esse subsistens.*

V. J. C.

IV

Q. Quid requiritur ut effectus ex actione vel omissione sequens sit voluntarius ? An et quandonam licet ponere causam quæ duos effectus habet, unum bonum, alterum malum ?

R. I. Ad primam partem quæstionis :

Ut effectus ex actione vel omissione sequens sit voluntarius, requiritur

a) *Ut actio vel omissio libere locum habuerit* seu ut agenti expedita fuerit facultas non ponendi causam vel positam auferendi. Ratio est quia effectus non potest esse magis voluntarius et liber quam est sua causa :

sane quod non procedit immediate a libera voluntate, liberæ voluntati attribui nequit nisi quatenus illud, a quo immediate procedit, sit voluntarium et liberum.

b) *Ut ipse effectus fuerit aliquo modo prævisus,* ita nempe ut ponens causam aliqualiter animadverterit ex tali causa talem effectum secuturum vel sequi facile posse, aut saltem confuso aliquo modo obligationem noverit animum ad id advertendi. Hoc sensu intelligendi sunt auctores dum dicunt sufficere ut effectus *potuerit et debuerit* prævideri ; nisi enim agens seu causam ponens *de facto* præviderit, saltem in confuso et in generali obligatione advertendi, proxime et vere *non potest* prævidere, quandoquidem prima idea non est in hominis potestate. Hujus conditionis ratio generalissima est, quod, sicut nihil est volitum quin sit præcognitum, ita nihil est voluntarium quin aliquo modo cadat sub cognitione operantis.

c) Si effectus ex actione vel omissione sequatur *per se* (1), nihil ultra requiritur ut ponenti causam voluntarius censeatur. Cum enim effectus totus contineatur in actione vel omissione nec ab ea sit separabilis, qui libere actionem ponit vel omittit, effectum ipsum censetur admittere : causa et effectus, utpote inseparabiliter, quantum est ex ipsa natura rei, inter se connexi,

(1) Effectus dicitur sequi *per se,* quando in actione vel omissione continetur seu quando causa, qua talis, nata est habere talem effectum, quamvis per accidens deficere possit ; *per accidens* autem sequi dicitur, quando continetur in alio et solum connexus est cum actione vel omissione, quæ se habent per modum occasionis aut conditionis ; aliis verbis, quando causa talem effectum habere potest, quamvis non sit de se nata illum habere.

Notandum autem est causam non tantum sub respectu physico, sed etiam sub respectu morali, in ordine ad causandum voluntarium, esse respiciendam : quemadmodum enim causa per accidens sub respectu physico, potest ex intentione agentis fieri causa per se in ordine voluntarii, sic etiam vicissim, quæ esset causa per se in ordine mere physico, potest fieri causa per accidens respectu influxus moralis. Cfr Ill^{mi} ac Rev^{mi} D^{ni} Waffelaert, *De temperantia,* n. 169 et n. 172.

unum censentur constituere et ad eamdem speciem pertinere.

Si autem effectus ex actione vel omissione sequatur *per accidens,* præter duas conditiones assignatas, requiritur *ut agens obligatus fuerit actionem ponendi vel omittendi, et quidem ideo ne effectus sequeretur* (1). Ratio est quod « effectus, qui per accidens sequitur..., non est voluntas causa physica » (siquidem iste effectus in actione vel omissione physice non continetur), « et proinde necessum est ut aliquid concurrat, ratione cujus possit censeri ejus causa moralis, quod non evenit quando illum evitare non tenemur ; sed quando adest præceptum quo teneor impedire, etiamsi voluntas physice eodem modo se habeat quo se habet quando non est præceptum, tamen moraliter illi imputatur tanquam volenti, quia per præceptum obligabatur ad illum evitandum seu impediendum ; unde si non impediat, censetur causa illius. » Wiggers, in 1^{am} 2^{æ}, q. 6, a. 3. « Ratione præcepti illa causa et effectus ex illa secutus, quamvis physice tantum per accidens connectantur, nec unum sit causa alterius, tamen moraliter censentur habere rationem unius objecti disconvenientis seu vitandi a voluntate, et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius. » Suarez, *l. c.,* n. 9. Ubi vero hujusmodi obligatio deest, effectus non dicitur voluntarius, sed *permissus ;* quod autem aliquando liceat permissive sese habere ad effectum prævisum, in altera responsionis parte magis declarabitur.

Nota. Supradictæ conditiones si adsint, effectus ex actione vel omissione sequens voluntarius erit *in causa ;*

(1) « Non satis est quodcumque præceptum quod sit veluti extrinsecum et per accidens ratione talis operationis, sed necessarium est præceptum quo quis teneatur vitare (causam), ne inde sequatur alius effectus... Ut si quis teneatur abstinere a cibo ratione præcepti ecclesiastici, non vero ne sequatur inde, v. g., pollutio nocturna, quamvis transgrediatur præceptum jejunii, non ideo censebitur voluntaria talis pollutio. » Suarez, *De vol. et invol.,* disp. I, s. 4, n. 11.

quod si effectus a causam ponente intendatur, erit insuper *in se* voluntarius.

R. II. Ad alteram quæstionis partem :

Licet ponere causam, *bonam aut indifferentem,* cujus duplex sit effectus *immediatus,* unus bonus, alter malus modo finis agentis sit *honestus* et adsit *ratio proportionate gravis.* Cujus principii ratio est, quia hoc illicitum non est, neque ratione causæ quæ supponitur bona vel saltem indifferens, neque ratione finis qui supponitur honestus, neque ratione effectus pravi qui mere permittitur et quidem ob rationem proportionate gravem ac justam.

Quatuor ergo conditiones, quæ in præfato principio enuntiantur, adesse debent, nimirum :

1° *Ut causa in se sit honesta vel saltem indifferens ;* si enim causa in se mala esset, per se reatum induceret.

2° *Ut bonus effectus saltem æque immediate ac effectus malus, id est, non mediante effectu malo, ex causa sequatur.* Ratio est, quia si immediate a causa oritur malus effectus et hoc mediante effectus bonus provenit, jam bonum ex malo quæritur, quod nunquam licet.

3° *Ut finis agentis sit honestus ; et ideo, ut agens solum bonum effectum intendat et mere permissive se habeat ad effectum malum ;* secus enim effectus malus in se voluntarius esset.

4° *Ut adsit ratio proportionate gravis causam ponendi et pravum effectum permittendi ;* ex æquitate enim naturali tenemur vitare malum quando absque incommodo relative gravi id possumus. Ratio illa permittendi effectum malum sita est in effectu bono qui etiam ex causa est oriturus. Eo autem gravior requiritur ratio a) quo *pejor* sit effectus malus, tum in se, tum respectu damni aliorum ; b) quo *propinquius* effectus ille cum causa cohæreat et quo *probabilius* ex ea sequatur ; c) quo *minus juris* et *minor ratio* sit agenti ad ponendam causam in se spectatam.

Cfr Bouquillon, *Theol. mor. fundam.,* edit. 1ª, n. 45

et n. 426; edit. 2ª, n. 322 et n. 365 sq.; Theol. Mechlin. (a. 1895), *Tract. de act. hum.*, n. 10 et n. 11.

C. V. C.

V

Q. An et quo sensu potest voluntas pati violentiam? Explica responsum.

R. Voluntas non potest pati violentiam quoad actus *elicitos* (1); bene tamen quoad actus *imperatos,* hoc sensu quod actus qui solent imperio voluntatis excitari in cæteris hominis potentiis, possunt, contra voluntatis renisum, ab extrinseca causa excitari vel impediri ne fiant.

Explicatur responsi pars prior.

Violentia proprie dicta (de qua solum in præsenti agitur) est motio quædam ab extrinseco impressa subjecto resistenti; unde violentum definiri solet « id cujus principium est extra, nihil conferente eo quod vim patitur » (S. Thomas, 2-2, q. 175, a. 1), « quod non debet sumi negative, sed positive, id est passo renitente » (Billuart, *De act. hum.*, diss. 1, a. 5). Consequentur, ut actus dicatur voluntati violentus, requiritur ut procedat a principio extrinseco et quidem contra voluntatis inclinationem; jamvero actus a voluntate elicitus est essentialiter a principio intrinseco cognoscente et quidem secundum ipsius inclinationem, cum ille actus elicitus sit ipsius voluntatis inclinatio in suum objectum. Ergo « contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus vel violentus ». (S. Thomas, 1-2, q. 6, a. 4); quod pulchre expressit

(1) Actus *elicitus* ille dicitur qui a voluntate immediate procedit ita ut in eadem recipiatur et consummetur, sive procedat a voluntate nullo alio suo actu inclinata (et tunc a nonnullis vocatur *mere elicitus*), sive procedat a voluntate per alium ipsius actum mota (et tunc dicitur *simul imperatus*); actus vero *imperatus* ille dicitur qui, ex voluntatis imperio et motu, immediate ponitur ab alia potentia sive interna sive externa.

S. Anselmus, *De lib. arb.*, c. 5 : « Ligari potest homo invitus, quia nolens potest ligari ; torqueri potest invitus, quia nolens potest torqueri... ; velle autem non potest invitus, quia velle non potest nolens velle ; nam omnis volens ipsum suum velle vult (1). »

Explicatur responsi pars altera.

In hac parte affirmatur violentiam cadere posse in actus imperatos ; cujus ratio est, quod cæteræ facultates, a quibus illi actus immediate exercentur, possunt a principio extrinseco tum moveri ad actum tum ab actu impediri, contra voluntatis renisum, ut si v. g. voluntas vellet videre, posset quis vi claudere oculos, et si nollet videre, posset vi oculos aperire.

Voluntas autem potest pati violentiam, non modo quoad actus a potentia *externa* et exterioribus corporis membris exercendos, per directam nempe applicationem potentiæ ; verum etiam a potentia *interna*, ut intellectu, phantasia, appetitu sensitivo eliciendos, per proposi-

(1) Nonnulli in responsis conferentiarum animadverterunt principium heic traditum intelligendum esse de actibus elicitis quoad eorum *productionem*, non autem quoad eorum *cessationem* seu interruptionem. Similia habet Wiggers, *l. c.*, a. 4 : « Voluntas, ait, in suis motibus, non tantum imperatis, sed etiam eliciendis potest impediri, v. g. ne amet vel odio habeat. Probatur : quia potest Deus imprimis distrahere intellectum, mentemque avocare ne cogitet iis de rebus : tunc autem non potest voluntas velle eas aut nolle. Secundo, potest Deus non præbere cooperationem suam voluntati, et tunc licet intellectus proponat res, sive ut appetendas sive ut fugiendas, non poterit tamen voluntas prosecutionem aut fugam earum rerum elicere. » An ideo dicendum quod voluntas possit pati violentiam quoad actus elicitos ? Minime. Nam coactio seu violentia fit contra actualem appetitum voluntatis ; jamvero in casu nullus actus elicitur. Cæteroquin, in hac hypothesi, ipsa cessatio ab actu non est violenta neque contra præsentem voluntatis inclinationem : « quia, sicut naturale est et non violentum causæ secundæ agere stante influxu causæ primæ, ita naturale est ipsi et non violentum non agere subtracto influxu causæ primæ, quia naturale est instrumento cessare ab actione non movente causa principali ; qua de causa non fuit violentum sed naturale igni non comburere in fornace Babylonica. Unde in hac hypothesi voluntas naturaliter quiesceret, sicut aer naturaliter cessat a luce, cessante luminoso. » Billuart, *l. c.*

tionem nempe vel remotionem objecti. Sic potest Deus immediate ita objicere intellectui veritatem, ut is vel invitus eam percipiat : quo modo damnati perpetuo coguntur omnes suas miserias cogitare. Possunt etiam causæ creatæ mediate, nempe mediante phantasia, elicere cogitationes et ciere motus, reluctante voluntate : ita dæmon sæpius phantasmata in imaginatione motusque in appetitu sensitivo excitat et detinet. Cfr S. Thomas, 1-2, q. 80, a. 2 ; Suarez, *De vol. et invol.*, disp. 2, s. 6.

Quando autem affirmatur voluntatem posse pati violentiam quoad actus imperatos, profecto non significatur quod aliquis actus possit actu a voluntate imperari et simul esse violentus voluntati : hoc enim implicat ; sed conclusio hæc est « de actibus imperatis actu vel potentia, quatenus qui sunt imperati actu possunt per violentiam externam impediri ne fiant, et qui sunt ex genere suo imperabiles possunt, nolente et renitente voluntate, fieri vi agentis externi. » Billuart, *l. c.*

Dicuntur autem hujusmodi actus violenti tum respectu *voluntatis,* quatenus prædictæ facultates ad actum applicantur vel ab actu impediuntur contra ejus inclinationem ; tum respectu *ipsarum facultatum,* quatenus facultates moventur a principio quod non est ipsis connaturale ; minime autem hoc sensu violenti intelligi queunt, quasi elicerentur contra facultatum inclinationem : sane, quamvis oculi per vim aperiantur, visio tamen non est in se et immediate violenta, sed naturalis.

Cfr Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, edit. 1ª, n. 50 sq. ; edit. 2ª, n. 338 sq. ; Theol. Mechlin. (a. 1895), *Tract. de act. hum.*, n. 14.

C. V. C.

VI

Q. Quænam veritates explicite credendæ sunt necessitate medii ad justificationem ; — et quomodo agendum cum pœnitentibus fidei articulos ignorantibus ?

R. ad primam partem. — Certo requiritur de necessitate medii ad justificationem fides explicita in unum Deum eumque remuneratorem nostrum. Nonnisi probabiliter requiritur fides explicita in mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis.

Explicatur responsio. Fideles omnia quæ ab Ecclesia tamquam divinitus revelata proponuntur credere debent, at non omnia necessario explicite. Deinde, inter ipsa explicite credenda, alia sunt tantum de necessitate præcepti ad salutem assequendam, seu necessario credenda ne ex violato præcepto gravi obex saluti ponatur : alia sunt etiam de necessitate medii ad justificationem, eaque mediante salutem, consequendam, ita ut talis actus fidei sit *medium,* in justificationem influens, idque *necessarium,* sine quo medio ipsa nequeat obtineri.

Jamvero de necessitate medii est 1) fides de Deo existente, seu in existentiam unius Dei. Ad hanc quidem fidem requiritur aliquis verus conceptus de Deo, tamquam de Ente perfectissimo et independente, supremo omnium Domino ; non tamen obstat inculpabilis error circa aliquod attributum divinum. 2) Fides de Deo justo remuneratore nostro, seu in Deum præmiatorem boni ac consequenter vindicem mali. Ex communi fere sententia non sufficit fides in Deum largitorem bonorum naturalium tantum, sed habenda est fides remunerationis supernaturalis, post hanc vitam præsertim concedendæ. At iterum, sufficit generalis quidam conceptus vitæ cœlestis sine distincta supernaturalitatis notione quam passim vulgares non assequuntur.

Hæc duo fidei puncta esse de necessitate medii constat ex damnatione thes. 22ª ab Innocentio XI : « nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris. » Quæ doctrina Ecclesiæ probatur simul et explicatur ex

celebri testimonio Apostoli, Hebr. XI, 6 : « Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se renumerator sit. » Cf. Ill. Lambrecht, *Verklaring v. d. Mech. Cat., p. 63 ;* Ballerini-Palmieri, t. II, p. 5. Alia duo puncta fidei, sc. mysteria SS. Trinitatis et dominicæ Incarnationis, sunt tantum probabiliter de necessitate medii, ita ut sententia negans sit vere probabilis atque nobis cum multis probabilior videatur. Cf. Bouquillon, *de virt. theol.* n. 171. Imo si pro fide in Incarnationem seu in Christum Deum-hominem ponatur tantum fides in Christum mediatorem ac salvatorem nostrum, sententia affirmans, quamvis melius defendatur, limites probabilitatis non excedit. Etenim textus Scripturæ et Patrum, apud eumdem Bouquillon, n. 160, 161, 169, citati, explicari debent vel possunt de necessitate et efficacia fidei Christianæ, aut de necessitate meritorum Christi, aut tandem de necessitate præcepti. Cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, *Annot. in tract. de Virt. theolog.*, n. 169.

R. Ad alteram partem. *Quoad confessionem præsentem :*

1) Si agitur de articulis fidei certo ex necessitate medii explicite credendis : qui eos ignorant, quod vix unquam contingit, valide absolvi nequeunt : unde ante absolutionem breviter instrui debent ita ut actum fidei de iisdem eliciant, imposita obligatione addiscendi reliqua scitu necessaria, additisque mediis aptis ad ea discenda, ut infra ad 3^{m}.

2) Si agitur de articulis quos tantum probabiliter de necessitate medii diximus: eadem praxis servetur, quum circa valorem sacramenti pars tutior tenenda sit. Casu tamen quo tempus deesset ad docendum pœnitentem moribundum, absolvi posset absque prævia instructione circa puncta probabiliter tantum de necessitate medii : qui casus rarissimus erit, quum generatim ad hanc instructionem pauca temporis momenta sufficiant.

Hanc necessariam instructionem eis regulariter dandam esse in ipso actu confessionis, apparet cuique rem practice consideranti et inculcatur a viris doctis et sanctis, v. gr. a S. Leonardo a Portu Mauritio (in Discursu mystico et morali, n. 26) quem S. Alphonsus (Prax. Confess. n. 22) citat et probat : « Bonum non est consilium dimittere similes ignaros ut ab aliis hæc doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus nisi ut sic ignari remaneant ; ideoque expediens est breviter eos docere prædicta mysteria principalia, efficiendo pariter ut secum efforment actus fidei, spei, charitatis et contritionis, obligando tamen eos ut in posterum perfecte instrui se faciant circa cætera mysteria scitu necessaria de necessitate præcepti. » — Quo melius instructio detur quin pœniteńs offendatur, sæpe expedit ut confessarius, non sicut magister puerum, pœnitentem respondere aut recitare jubeat ; sed quasi in memoriam revocans præcipuos articulos, circa eos pœnitenti actum fidei suggerat. Aliquem loquendi modum proponit idem S. Leonardus : ut nempe dicat confessarius : « Eia eliciamus una simul actus christianos ; dic mecum : Deus meus, quia es veritas infallibilis, et quia sanctæ Ecclesiæ tu revelasti, credo quidquid sancta Ecclesia me docet credere ; credo præcipue te esse unum Deum et tres personas ; credo Filium, quum Deus esset, factum esse hominem, mortuum esse in cruce, resurrexisse et ad cœlos ascendisse, et illinc venturum esse omnes judicaturum, ut boni paradisi gloria fruantur et mali in æterno igne crucientur. » Alio modo poterit confessarius, breviter explicando *signum crucis,* quo mysteria Trinitatis Incarnationis ac Redemptionis profitemur, pœnitenti summam fidei christianæ proponere. Alias tandem convertendo mentem ejus in *imaginem Christi crucifixi,* ubique oculis objectam, fidem ejus excitabit in secundam SS. Trinitatis personam, Filium Dei pro nobis hominem factum et crucifixum.

3) Si agitur de articulis explicite credendis necessitate præcepti tantum, nempe de substantia illorum quæ Symbolo, Decalogo, Oratione Dominica, Sacramentorum doctrina, continentur : absolvi potest pœnitens ante cognitionem illorum adeptam, etiam si ex gravi culpa ignoret ; dummodo, aliunde bene dispositus, vere doleat de sua negligentia habeatque firmum propositum eos quamprimum pro facultate sua addiscendi. Hanc obligationem urgebit confessarius, sed simul pro conditione pœnitentis apta indicabit media implendi obligationem. Ita, quamvis pœnitens sit illiteratus, forsan pueros habet quibus jubere poterit coram se recitare preces, ut ipse discat quin discere videatur ; aut saltem poterit pie et attente audire preces quæ, ex præscripto Statutorum, singulis mensibus sub Missa e suggestu recitantur, etc.

Quoad confessiones præteritas :

1) Si institutæ sunt cum ignorantia Dei Remuneratoris, invalidæ sunt ac repetendæ. — 2) Si institutæ sunt cum ignorantia SS. Trinitatis et Incarnationis non graviter culpabili, probabilius validæ fuere (dummodo cæteræ conditiones adfuerint), et non urget obligatio eas repetendi ; at si hæc ignorantia fuit *actu graviter culpabilis,* seu sine culpæ cognitæ detestatione et sine proposito addiscendi, tamquam invalidæ et sacrilegæ confessiones repetendæ sunt. — 3) Pariter repetendæ, si institutæ sunt cum ignorantia *actu graviter culpabili* articulorum necessariorum necessitate præcepti.

Pro hac altera parte, cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, op. cit., n. 191 ; Lahousse, *de Sacram. Pœnit.,* n. 219.

Θ. E. D.

Evangelia dominicarum

DOM. VI POST PENTEC.

—

Tweede vermenigvuldiging der brooden. Marc. VIII, 1-9. Zie ook Matth. XV, 32-38.

1. Te dien tijde, toen er eene groote schare bij Jesus was, en zij niets te eten hadden, riep hij de leerlingen tot hem, en zei tot hen: 2. Ik heb medelijden met de schare; want zie, zij zijn nu reeds drie dagen aanhoudend bij mij, en hebben niets te eten. 3. En indien ik hen nuchter naar hun huis laat gaan, zoo zullen zij op den weg bezwijken; want sommigen van hen zijn van verre gekomen. 4. En zijne leerlingen antwoordden hem: Van waar zal iemand dezen hier met brooden kunnen verzadigen in eene woestijn? 5. En hij vroeg hun: Hoe veel brooden hebt gij? En zij zeiden: Zeven. 6. En hij gebood de schare neder te zitten op den grond. En hij nam de zeven brooden: en als hij gedankt had, brak hij ze, en gaf ze aan zijne leerlingen, opdat zij die zouden voortzetten; en zij zetteden ze aan de schare voor. 7. Zij hadden ook een weinig vischjes; deze zegende hij ook, en gebood ze voor te zetten. 8. En zij aten, en werden verzadigd; en zij namen den overschot der brokkelingen op, zeven manden. 9. Die nu geëten hadden, waren omtrent vier duizend; en hij zond hen weg.

* * *

Uitleg en Aanmerkingen.

A. *Jesus riep de leerlingen tot hem* « Voluit, priusquam ageret aliquid, negotium cum discipulis conferre, ut verbis ultro citroque datis ad miraculum ipsos redderet attentos. *Vult enim pascere quos curaverat, et ablatis*

debilitatibus, jam sanis offerre cibos, quod notat Hieronymus. » Luc. Brug. « Quod autem Dominus convocatis discipulis exposuit, priusquam miraculum faceret, et suam misericordiam ac voluntatem, et turbarum inopiam et periculum, ob id maxime fecit, ut tentaret eorum fidem, et ex memoria prioris miraculi (zie daarover Matth. XIV, 13-23; Marc. VI, 30-46; Luc. IX, 10-17; Jo. VI, 1-15, en later onze aanmerkingen op *Evang. Dom. IV Quadrag.*) excitaret in eis fiduciam petendi similem inopiæ turbarum sublevationem illi quam aliquando experti fuerant... Simul tamen et his verbis ad discipulos habitis significavit, non ostentationis gratia se ad miraculum hoc prosiliisse, sed coactum justa miseratione. Ob quod etiam non primo aut secundo die, sed tertio die ad miraculum hoc pervenit, quando jam certum habebatur, etiamsi quædam attulissent, omnia tamen tunc fuisse consumpta. Quanquam et ideo etiam in tertium diem miraculum hoc dilatum à Domino intelligatur, quò turbarum constans desiderium dignum tanto miraculo innotesceret » Jans. Gand.

B. *Ik heb medelijden met de schare* « En Pontificem qui suorum miserià tangitur (Heb. 4, v. 15), cui curæ est necessitas etiam corporum eorum qui ipsi adhærent. Alterum itaque hic editur, certissimæ Dei et Christi erga eos qui se sequuntur providentiæ exemplum, (simile enim suprà cap. 14 exhibitum fuit) quod ideirco iteratum est, ut de indeficienti illius cùm potentia tùm benevolentia certiores redderentur, quicumque regnum Dei et illius justitiam ante omnia quærerent. » Luc. Brug.

C. *Zij zijn nu reeds drie dagen aanhoudend bij mij.* « Totos adeò eos rapuit et doctrinæ gratia et miraculorum tum splendor tum utilitas, ut toto triduo nequiverint à Salvatore avelli, ne sublevandæ quidem necessitatis corporum gratia, ut nihil dicam de familiis à quibus

etiam longè aberant quidam eorum. Hic mihi considera, non tantùm populi ardorem, sed et Christi Domini laborem, dies noctesque tres continuos sub dio subitum.. Sanabat clementissimus Dominus omnes corporis morbos : animos verò cælesti sermone pascebat. Hac benefaciendi promtitudine adeo sibi devinciebat animos multitudinis, ut ab eo non posset divelli. Dumque totis animis doctrinæ et miraculis intenti sunt, de corporis victu non cogitant : ita ut, sanatis corporibus, pastis animis, de fame periclitarentur » Luc. Brug. « Mens Deo et divinis operibus intenta, famem non sentit, quia fide et charitate pascitur » a Lapide.

D. *Indien ik hen nüchter naar hun huis laat gaan...* Bij Matth. XV, 32 : *hen nüchter van mij wegzenden en wil ik niet...* « Effectus misericordiæ, quæ non potest non succurrere afflictis, et adhibere etiam cautionem futuris malis » Luc. Brug. — *Zullen zij op den weg bezwijken* « Significat plerosque ita extenuatos inedia esse, ut fieri non possit ut absque cibo sumto iter domum peragant. Extremum igitur exspectavit priusquam subvenit, ut illorum constans fervor redderetur manifestus... » Luc. Brug. « Peccatores, per pœnitentiam conversi, in cursu labentis sæculi pereunt, si absque sacræ doctrinæ pabulo dimittantur » Remigius. « Periclitatur ergo, qui sine cœlesti pane ad optatam mansionem pervenire festinat. Unde et Angelus loquitur ad Eliam (III Reg. XIX, 7) : *Surge et manduca, quia grandem viam ambulaturus es* » S. Hieron. in *Matth.* XV, 30.

E. *Van waar zal iemand dezen hier met brooden kunnen verzadigen?* « Dat de leerlingen, deze zwarigheid makende, niet meer dachten aan die wonderdadige spijsvermenigvuldiging, waarvan zij kort te voren (Hoofdst. XIV : 15-22) getuigen waren geweest ; óf, dat het hun ontbroken zal hebben aan genoegzaam vertrouwen op Jesus' wonderkracht, — geen van beiden

is waarschijnlijk. Neen, zij begrepen, dat het hun paste af te wachten, wat Jesus in dezen nood zou willen doen, en dat het hun niet toekwam *regtstreeks* een wonderwerk van hem te vorderen; en daarom gaven zij in hun antwoord aan Jesus eenvoudig te kennen, dat er geen mogelijkheid bestond om zich daar ter plaatse spijze aan te schaffen voor zulk eene groote menigte» Beelen. Alzoo ook Van Steenkiste: « Verba autem discipulorum: *Unde nobis in deserto panes tantos*... sufficienti ratione explicantur, si animadvertamus eos noluisse alterum miraculum directe rogare, et judicium de ejus opportunitate sapientiæ magistri sui prudenter reliquisse ». Anders Liagre, a Lapide, Jans. Gand., en Luc. Brug. « Sic rudes adhuc erant, parumque profecerant, ut præter creaturarum facultatem et vires nihil expenderent, divinamque Christi virtutem non intelligerent, nec recurrere ad eam nossent, ita obliti priorum quasi nihil umquam tale vidissent. *Non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum:* quod Marcus dixit post prius illud panum miraculum, cap. 6 v. 52. Interea vero, simplex illorum confessio, de inopia facultatis omnis humanæ ad negotium hoc peragendum, illustravit edendum jamjam miraculum ».

F. *Hoe veel brooden hebt gij?* « Dissimulans Christus oblivionem diffidentiamque ipsorum, (ut non oportet morosum esse erga tardos) peragit institutum miraculi negotium, rogatque quot haberent panes » Luc. Brug. « Cum ergo Dominus jam exiguitatem fidei et fiduciæ Apostolorum expertus fuisset, interrogat quot panes haberent, non quasi ignorans, sed ut convenienti ordine ad miraculum procederet, utque miraculi certitudo et magnitudo ex confessione discipulorum notior fieret, propter quod etiam, sicut prius, et turbam jubet discumbere, et per Apostolos cibum turbis apponit » Jans. Gand.

G. *Zeven.* « Nuper quinque panes fuerant et duo pisces; jam adsunt septem et aliquot pisces: unde

discimus non adstringi potentiam Christi mediis adminiculis, nec referre coram ipso parum ne adsit an multum quo suos pascat: sicut de mediocri suo exercitu et ingenti hostium multitudine loquens dicebat Jonathan I Reg. 14, v. 6. *Non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis* » Luc. Brug.

H. *Hij gebood de schare neder te zitten.* « Tanta potentiæ Christi vis et promtitudo erat, ut audito tantum panum numero, multitudinem statim ad epulandum accumbere jusserit, certus apparatum illum tametsi exiguum, in omnes abundè futurum satis, qui et absque prævio ullo apparatu potens non minùs erat eosdem pascere » Luc. Brug.

I. *Den overschot* « Voluit Christus colligi fragmenta et micas, tum in memoriam miraculi, tum ut nihil de donis Dei deperiret, tum ut doceret nos esse frugi et frugaliter Dei creaturis cibisque uti » a Lapide. — *Zeven manden* « Quare autem reliquiarum mensura nunc quidem numero panum, prius vero numero Apostolorum responderit, convenientem reddit Chrysostomus rationem, nempe ut ex hujusmodi diversitate ac diversa correspondentia, discipuli facilè rememorarentur et hujus et illius miraculi, ita ut miracula hæc duo non tantùm sint admiranda, ob id quod post tantæ multitudinis saturationem ex tam paucis panibus multum reliquiarum superfuerit, sed etiam ob id quod tantum utrobique superfuerit reliquiarum, quantum Christus pro suorum utilitate superesse voluit » Jans. Gand.

K. *Omtrent vier duizend* mannen, behalve de kinderen en de vrouwen. Zie Matth. XV, 38.

Slotrede.

1. Jesus' almacht en medelijdendheid dikwijls overwegen. « *Ik heb medelijden...* », en hem gestadig, vertrouwend en kommerloos aankleven.

2. Eerst en vooral het Rijk Gods zoeken, en ons dagelijksch brood als toemate van God verwachten

« *Weest niet bezorgd voor uw leven, wat gij eten zult... Zoekt dan eerst het Rijk Gods en zijne gerechtigheid, en dit alles zal u toegegeven worden* » Matth. VI, 25-33.

3. De zeven brooden waarvan hier sprake is, zijn een treffend zinnebeeld van het Evangelie, dat onzen geestelijken nooddruft teenemaal voldoet. « Id quod Dominus hìc corporaliter fecisse legitur, etiam spiritualiter et fecit, et facit quotidie. Misertus enim hominum ob triduanum eorum jejunium, quod scilicet passi fuerunt et ante legem et sub lege, dimittere eos tertio die, in adventu scilicet suo, jejunos noluit, ne penitus in via hujus vitæ deficerent, sed septem panibus et paucis pisciculis additis pavit quatuor hominum millia, hoc est, universos credentes in quatuor mundi partibus habitantes. In septem panibus... rectè intelligimus Evangelicam doctrinam, propter spiritualis doctrinæ perfectionem quæ est in ea... Tale est convivium Evangelicum, ex pane scilicet constans, et piscibus, nimirùm humile quidem, frugale ac parcum, si speciem tantùm verborum spectes : sed tamen exhibens, et quæ ad vitam sunt necessaria, et quæ fastidium tollere possunt : ac rursùm adeo copiosum et largum, ut et omnibus satiandis sufficiat, et semper abundè supersit quod colligatur à doctioribus. Copia enim et dapsilitas evangelici convivii non est sita in multitudine disciplinarum, veluti ciborum generibus ad fastidium usque multis, aut in condimentis ex omnium humanarum itterarum mixtura confectis, sed in virtute sermonis à Deo traditi ac bona fide dispensati, quem qui fide percipit, non discedit famelicus, sed satiatur, cum aliæ omnes disciplinæ, quamvis variæ et occultæ, mentem hominis satiare nequeant. Quòd turbæ pascendæ à se Dominus præcipit super terram discumbere, mysticè significat quid facere debeat, qui spiritualibus panibus Jesu volet saturari, nimirùm talem omni fastu deposito seipsum debere in terram dejicere, agnoscendo quis sit, et unde prodierit, ac componendos esse affectus ejus,

ut conquiescant in eo carnis cupiditates. Quòd discipuli à Domino acceptos panes et pisces jussi sunt apponere turbæ, admonet quid facere debeant qui panes evangelicos populo sunt propositurì, nimirùm ut à Christo illos accipiant consecratos, et fractos, et ejus jussu populo apponant. Sunt enim qui panem Scripturæ divinæ non secundum voluntatem Jesu populo proponunt, ut qui eam detorquent ad suorum errorum patrocinium, aut ad cupiditates, et gratiam hominum, aut qui sibi vendicant auctoritatem dispensandi verbum Dei, ac pascendi alios. Itaque docemur hîc et quæ sit vis sermonis evangelici, et qualis debeat ejus esse auditor, et qualis ejus dispensator. » Jans. Gand.

4. De medelijdendheid en de liefdadigheid is eene eigenschap van onze Moeder de H. Kerk, en een kentecken van Christus' ware bruid, alsook van zijne echte leerlingen. De H. Kerk *heeft medelijden met het volk* en voedt en verzaadt het met het geestelijk en stoffelijk brood dat het van noode heeft. Zij oefent al de lichamelijke en geestelijke werken van bermhertigheid... Geen wonder dus dat zij bijzonderlijk de armen, de zieken enz. tot haar trekt, en dat de ellendigen hare getrouwigste volgelingen zijn... Wat hebben zij van de baatzuchtige wereld veel te verwachten, hetzij voor hun lichaam, hetzij bijzonderlijk voor hunne ziel? — De goddelooze, hertelooze en ikzuchtige maatschappijbrekers (socialisten) benijden den invloed der H. Kerk op het volk, en haren overgrooten bijval bij de medelijdensweerdigen: zij pogen het volk door lastertaal, gevlei en allerlei valsche beloften, van zijne ware vrienden af te trekken... Maar, God zij geloofd! al hun bedrog, al hun geweld, zal breken op het gezond verstand van ons volk, op de eenvoudigheid van zijn geloof, en op de dankbaarheid van zijn herte!

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

Extremi judicii apparatus

—

Post conflagrationem universi, personabit ad modum tubæ vox Archangeli : « Surgite mortui, venite ad judicium. » — « Tuba mirum spargens sonum, per sepulchra regionum, coget omnes ante thronum. » Ad hanc vocem pavebunt et exhorrescent animæ reproborum, exultabunt vero animæ justorum : ut tunc gaudeas et tu, nunc frequenter de hora judicii cogita, quatenus timore salutari exciteris ad vitandum quidquid a via justorum avertere te valeat.

In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, cujusque corporis cineres congregabuntur et divina virtute omnes resurgemus. « Mors stupebit et natura cum resurget creatura, judicanti responsura. » Qualis erit conditio corporis mei ? An tetrum ac squalidum, an vero pulchrum ac gloriosum ? Hoc pendet ab eo quod per vitam præsentem fecerim illud instrumentum vitii et voluptatis, aut instrumentum virtutis et mortificationis. Cave igitur ne male ames corpus tuum, ei blandiendo et illicita concedendo, ne tunc et in æternum odisse illud cogaris : nunc potius illud castiga ut tunc sit comes gloriæ.

Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, vexillum nempe sanctæ crucis mirando fulgens splendore ; ad hujus aspectum contremiscent inimici crucis, pavebit sacerdos minister Christi, qui Regem suum per viam crucis sequi renuit. Contra *omnes servi crucis, qui se crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum cum magna fiducia.*

Mox enim *videbunt omnes tribus terræ filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.* Apparebit nimirum Christus Jesus, cui dedit Pater *omne judicium facere :* apparebit non jam uti redemptor benignissimus qui venit quærere peccatores et salvare quod perierat ; aut Pastor bonus, qui ovem errantem humeris suis ad ovile reportat ; aut Pater clementissimus qui filium prodigum ad se revertentem ulnis recipit et osculo amoris amplectitur : tempus enim miserendi non erit amplius ; — sed uti judex severus ac inexorabilis, tanquam dominus strictam rationem cum servis positurus atque unicuique secundum opera sua redditurus. Vel solo ipsius aspectu pavebunt impii et confusione replebuntur : « Quantus tremor est futurus, quando judex est venturus, cuncta stricte discussurus ! » Ne et ego tunc timore ac tremore corripiar, nunc pœnitentia futurum judicem placabo ejusque misericordiam in corde contrito et humiliato implorabo : « Juste judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis. »

Tunc exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum. Pastor æternus angelorum ministerio oves ad dexteram, hædos constituet ad sinistram. Tunc *stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt ;* reprobi vero *videntes turbabuntur timore horribili* et exclamabunt confusi : *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis... Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis... Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens.* — Ex qua parte stabo ego ? — An inter oves et electos Christi, an vero inter hædos et impios ? Ut quæstioni huic cum summa probabilitate respondere queam, sufficit videre quibus ex illis similis videor moribus : nam regula generali, *qualis vita, finis*

ita ; mors echo vitæ ; judicium autem echo mortis... Quanta autem tunc erit mea confusio, si ego sacerdos aliorumque pastor, cum hædis in sinistram damnationis loco consistam, aspiciens ad dexteram inter oves stantes plurimos fideles, olim curæ meæ commissos, quibus viam cœli præmonstravi dum ipsemet eam non sum prosecutus ; si, *postquam aliis prædicavi, ipsemet reprobus efficiar...;* si ego, minister Christi, cui officium incumbebat regnum diaboli expugnare, ad partes dæmonis recijiar cum turba impiorum, qui exprobabunt mihi : *Et tu vulneratus es sicut et nos... !*

« Judex ergo cum sedebit, quidquid latet apparebit : (nam) liber scriptus proferetur in quo totum continetur unde mundus judicetur » : fiet nempe manifestatio conscientiarum. « Futurum est enim ut per Dei potentiam cujusque opera mira celeritate a quolibet conspiciantur » (S. Aug.) ; tunc Dominus *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* — Væ tunc sacerdoti hypocritæ, qui *nomen habebat quod viveret, et mortuus erat... ;* qui in altari apparebat ut angelus Domini, veste alba et splendida indutus, dum intus cor gerebat spurcitiis plenum et dæmoni devotum: aperientur jam oculis omnium flagitia ipsius ; revelabunt *cœli iniquitatem ejus et terra consurget adversus eum :* et præ confusione et pudore exclamabit cum impiis : *montes, cadite super nos ; colles, operite nos.*

« O Domine quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ ? quia peccavi nimis in vita mea ! » — « Recordare, Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die. » — « Oro supplex et acclinis, cor contritum quasi cinis, gere curam mei finis. » — « Inter oves locum præsta, et ab hædis me sequestra, statuens in parte dextra. »

—

Examen circa zelum sacerdotalem

Inter qualitates boni ac perfecti sacerdotis profecto haud postremum locum tenet *zelus,* seu ardens studium ac desiderium efficax procurandi gloriam Dei et salutem animarum.

An viget in me zelus vere sacerdotalis; an ardet in corde meo *ignis ille quem Dominus venit mittere in terram et vehementer cupit accendi,* præprimis in anima sacerdotum, suorum cooperatorum et ministrorum?... An igitur illo spiritu apostolico sentio me moveri ac impelli ad laborandum pro viribus ut Deus, infinite perfectus et summe amabilis, magis cognoscatur, honoretur ac diligatur; ut ejus cultus floreat ejusque lex vigeat; — item ad me impendendum ac superimpendendum pro salute fratrum meorum, maxime eorum qui curis meis sunt demandati, ut peccatores convertantur ad Deum atque justi progrediantur in via virtutis et sanctitatis?

An zelus meus vere genuinus est seu debitis qualitatibus ornatus? Ita:

I. An zelus meus est PURUS unice intendens honorem Dei et bonum animarum? Proinde 1) annon in ministerii mei operibus ducor motivo vanæ gloriæ, quærens hominibus placere, eorumque laudes et æstimationem vanam mihi conciliare, meipsum prædicans, non vero Jesum Crucifixum?... Nonne in præparandis ac recitandis concionibus aut instructionibus minus quæro auditoribus prodesse quam placere? Nonne quandoque ob timorem displicendi pœnitentibus omitto eis dare monita debita? — Nonne fastidio opera quæ hominibus videntur humiliora, uti pueros catechizare, coram rusticis et pauperibus prædicare, scholas visitare, etc., ambiens officia oculis hominum altiora et præstantiora? — Annon sum magis sollicitus de successu quam de præparatione debita sive prædicationis sive suscepti

operis, anxie timens ne forte confusio aliqua inde mihi proveniat? — 2) Nonne in exercitio zeli respicio ad lucrum temporale; possumne vero cum Paulo alloqui fideles : *Non quæro vestra sed vos ?* proindeque an æque diligenter conor officia quævis et erga quosvis implere sive inde stipendium aut remunerationem sperare liceat sive non? — 3) Nonne zelus meus aliquatenus invidiosus est ? Nonne unquam contristor de successibus confratrum ; an vero gaudeo ex corde videns aut audiens Christum et ab aliis annuntiari ejusque regnum dilatari..; conciones confratris multum frequentari ; pœnitentes ad ipsius confessionale confluere, indeque bonum animarum procurari ?

II. An zelus meus est PRUDENS? Annon sum ex illis de quibus dicit Apostolus quod *æmulationem Dei habent sed non secundum scientiam ?* — Proinde an nunquam ago temere et absque reflexione, sinens me indolis impetu aut passione impelli ; an contra antequam opus aliquod aggrediar solo coram Deo perpendere finem prosequendum, media ad finem efficaciora, modum aptiorem media et adjumenta adhibendi, libratis simul circumstantiis loci, temporis, personarum ? — Nonne propriis luminibus fidens negligo consilium sumere a sapientioribus eos interrogando aut eorum scripta sedulo perlustrando ? — An prudens sum in CATHEDRA VERITATIS, arguens quidem et increpans, ubi necesse est, sed semper *in omni patientia et doctrina :* an dum vitia impugno sedulo abstineo a persona aliqua nominanda vel tacite designanda ; a proferendo aliquid contumeliose adversus superiores quosvis, unde ii in odium aut contemptum apud populum adducantur, vel ipsi offendantur et a clero alienentur animo ? — Si quid forte dissidium parochum inter et parochianos, ecclesiæ ædituos, administratores mensæ pauperum aut magistratus loci exortum sit, an caveo ne unquam de eo loquar e suggestu ? (Stat. diœc.) — Annon converto

quandoque cathedram veritatis in tribunal ubi propriam meam causam tueor, meorumque jurium aut negotiorum defensionem assumo? — An prudens sum in definiendis obligationibus, nihil exaggerando, opiniones scholæ in certas obligationes, consilia in præcepta, præscriptiones leves in graves non convertendo, aut vicissim? — An prudens sum in CONFESSIONALI: an nunquam impatientia mea aut verbis duris os occludo pœnitenti, aut confessionem ei odiosam reddo; an nunquam indiscreta interrogatione animam pœnitentis lædo; an præsertim cum pœnitentibus sequioris sexus semper valde discretum me exhibeo, ne vel meipsum in periculum conjiciam? — Annon temere et absque sufficienti examine dubia conscientiæ mihi proposita solvere soleo? — An quoque in REGIMINE EXTERNO sive parochiæ, sive communitatis, congregationis etc. semper prudentiam ducem adhibeo, nihil aggrediendo præcipitanter et absque maturo consilio; cavendo (præsertim si sim juvenis) a pruritu reformationis, quo velim innovare omnia quæ meis judiciis et placitis non undequaque respondent; abstinendo a crisi confratrum collaboratorum, ne eorum auctoritatem deprimam aut ministerii fructum impediam?

III. An zelus meus est FORTIS ET CONSTANS? — An fortiter novi superare repugnantias naturæ meæ propriæ refugientis a labore et difficultatibus atque otium amantis? An igitur laboro *sicut bonus miles Christi?* — Annon facile animo deficio, quando successus operi et conatibus meis non arridet, recordatus quia Deus *a me exigit curam non autem curationem?...* (Bern.) Annon facile ab incepto opere desisto ob difficultates et contradictiones? — An spiritu fidei conor obfirmare animum contra persecutiones et obstacula, quæ suscitare solent dæmon et mundus, gratius habens a mundo odio haberi quam ejus adulatione ac laude frui? nam *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem...* An constans sum in

quærenda ove perdita nec quiesco donec illam invenerim et ad ovile reduxerim ?... Annon facile despero de peccatoris emendatione, aut illum, post unam alteramve invitationem et exhortationem infructuosam, sorti suæ miseræ relinquo ?

IV. An zelus meus est UNIVERSALIS, sine personarum acceptione, sese extendens ad omnes, ad pauperes et despectos sæculi, æque ac ad divites et magnates ? — An igitur non negligo curam pauperum aliarumque miserabilium personarum, quarum sane anima tanti valet quanti illa divitum ? Imo an magis cordi habeo pauperes evangelizare quam divites, considerans pauperes Christo præ cæteris dilectos : *Quamdiu fecistis uni ex fratribus his meis minimis, mihi fecistis ;* Ipsumque uti tesseram divinæ missionis suæ indigitasse quod *pauperes evangelizantur ;* præterea pauperes et infirmos constituere portionem gregis mei maxime cura pastorali indigentem ; tandem opera zeli erga istam fidelium classem magis esse meritoria utpote naturæ magis ingrata adeoque majori ac puriori charitate præstari solita ? — An saltem numquam in causa sum cur conquerantur pauperes sese negligi aut minus curari a suis sacerdotibus ?

Denique an mihi persuasum est conditionem zeli genuini et fructuosi esse meam propriam sanctitatem ? — An igitur gnaviter propriæ meæ perfectioni allaboro, atque conor per assiduam orationem, divinæ legis meditationem, sanctumque usum sacramentorum, cor meum igne divini amoris accendere, ut eodem igne aliorum corda inflammare valeam, utque fiam in manu Dei instrumentum aptum in salvationem animarum ?

*
* *

An paratus sum ad mortem ? — Quod si nunc mihi esset moriendum, an possem offerre Domino petenti rationem villicationis meæ fructus uberrimos laborum

in vinea ipsius perfectorum ? Possemne sperare me recepturum mercedem magnam nimis *servo bono et fideli* promissam, an vero timere deberem ne tanquam servus *piger et inutilis ejiciar in tenebras exteriores,* vel etiam ne *postquam aliis prædicavero ipsemet reprobus efficiar ?* — Quid igitur corrigendum in vitæ meæ ratione ut sortem priorem cum fiducia expectare nec alteram timere debeam ?

Fabriques d'église

De l'excédant ou déficit présumé de l'exercice courant

Il est au budget des fabriques d'église deux articles qui souvent embarrassent ceux qui sont chargés de le dresser : ce sont les art. 20 et 52. L'autorité administrative et les auteurs ont indiqué différents procédés pour établir l'excédant ou le déficit présumé; mais dans l'application de ces procédés, on ne se rend pas suffisamment compte des opérations qu'on effectue et de là, bien souvent, on doute de l'exactitude, de la vérité du résultat qu'on obtient.

Notre intention n'est pas de donner une méthode nouvelle ; mais nous croyons faire chose utile en fournissant quelques explications concernant la matière, et en proposant, d'une manière raisonnée, le procédé qui nous semble le plus simple et le plus facile pour fixer les sommes à inscrire respectivement aux n°s 20 et 52 du budget.

1. *Qu'entend-on par excédant ou déficit présumé de l'exercice courant ?*

C'est le reliquat actif ou passif (l'encaisse ou le déficit) qui est présumé devoir exister à la fin de l'exercice courant (1896) et être légué par celui-ci à l'exercice suivant (1897) dont on dresse le budget.

2. Pourquoi doit-on inscrire au budget de 1897 l'excédant ou le déficit présumé de l'exercice 1896 ?

Le budget est un état, dressé par prévision, pour une année déterminée, des recettes que l'on compte réaliser et des dépenses que l'on présume devoir être faites pendant la durée de cette année. Le rôle principal du budget consiste à représenter par anticipation et aussi approximativement que possible l'état des ressources et des charges d'un exercice. Or, l'excédant ou le déficit qui restera à la fin de l'exercice 1896 constituera la première ressource ou la première charge de l'exercice 1897 dont on dresse le budget. Il y a une liaison intime et continue entre les exercices consécutifs : le bilan de l'un fait partie du budget de l'autre. Il importe donc, en dressant le budget de 1897, de tenir compte de ce qui restera à la fin de l'exercice 1896. Seulement, comme cet exercice n'est pas clos à l'époque où on dresse le budget de 1897 (c'est-à-dire, au plus tard, en Juillet 1896), il faut se contenter de faire un calcul approximatif, et de rechercher le reliquat *présumé* de l'exercice courant.

3. Quelle est la méthode à suivre pour fixer l'excédant ou le déficit présumé de l'exercice courant 1896, à inscrire au budget de 1897 ?

Voici, ce nous semble, le procédé le plus simple et le plus rationnel :

On prend, comme point de départ, le reliquat (1) du budget de 1896 ; on y ajoute le reliquat actif ou passif du compte de 1895 ; — et on soustrait de la somme

(1) Ce reliquat ne sera jamais passif : car il est de principe en matière de comptabilité de n'approuver aucun budget qui se clôture en déficit.

l'excédant ou le déficit présumé de l'exercice 1895 inscrit au n° 20 ou 52 du budget de 1896.

Si le résultat obtenu forme un reliquat *actif,* on l'inscrit au n° 20 du budget de 1897 ; si, au contraire, l'opération donne un résultat *négatif,* on l'inscrit au n° 52 ; si le résultat est *nul,* on l'indique en mettant un zéro ou des guillemets aux art. 20 et 52.

Appliquons le procédé à quelques exemples :

1er exemple.

Le budget de 1896 se clôture par un boni de 300 fr. ; le compte de 1895 par un boni de 200 fr. ; et au budget de 1896 est inscrite, comme excédant présumé de l'exercice 1895, nne somme de 300 fr. Quel est l'excédant ou le déficit présumé de l'exercice 1896, à inscrire au budget de 1897 ?

Reliquat du B. 1896 . . .	+ 300 frs
Reliquat du C. 1895 . . .	+ 200 frs
Somme . .	+ 500 frs
Exc. prés. 1895 (à soustraire) =	— 300 frs
Résultat . . .	+ 200 frs :

Exc. prés. 1896 à inscrire au n° 20 du B. 1897.

2e exemple.

Au budget de 1896 le chiffre des dépenses égale celui des recettes, et le reliquat est nul ; le compte de 1895 se clôture par un boni de 100 fr. ; et l'excédant présumé de l'exercice 1895, inscrit au n° 20 du budget de 1896, est 200 fr.

Reliquat du B. 1896 . . .	00 frs
Reliquat du C. 1895 . . .	+ 100 frs
Somme . . .	+ 100 frs
Exc. prés. 1895 (à soustraire) =	— 200 frs
Résultat . . .	— 100 frs :

Déf. prés. 1896 à inscrire au n° 52 du B. 1897.

3e exemple.

Le budget de 1896 clôture par un boni de 100 fr. ; le compte de 1895 avec un déficit de 200 fr. ; et à l'article 52 du budget de 1896 est inscrite une somme de 150 fr. comme déficit présumé de l'exercice 1895.

Reliquat du B. 1896	+ 100 frs
Reliquat du C. 1895	— 200 frs
Somme	— 100 frs
Déf. prés. 1895 (à soustraire) = — (— 150) =	+ 150 frs.
Résultat	+ 50 frs :

Exc. prés. 1896 à inscrire au n° 20 du budget de 1897.

4e exemple.

Le budget de 1896 laisse un excédant de 50 fr. ; le compte de 1895 un déficit de 100 fr. ; et le déficit présumé de l'exercice 1895, inscrit au n° 52 du budget de 1896, est de 50 fr.

Reliquat du B. 1896	+ 50 frs
Reliquat du C. 1895	— 100 frs
Somme	— 50 frs
Déf. prés. de 1895 (à soustraire) = — (— 50) =	+ 50 frs.
Résultat	00 : à indiquer

par un zéro ou des guillemets aux nos 20 et 52.

4. *Donnez l'explication raisonnée du procédé ci-dessus indiqué.*

On prend pour base de l'opération le reliquat du budget de l'année 1896 : c'est là ce qu'en dressant ce budget on avait prévu devoir rester à la fin de l'exercice. Cependant, cette prévision se trouve généralement modifiée par une circonstance que l'on ignorait en dressant le budget, et que l'on connaît aujourd'hui : lors de la formation du budget de 1896, on a inscrit parmi les recettes ou les dépenses, l'excédant ou le déficit présumé de l'exercice en cours (1895), résultat que l'on *présumait, sans le connaître réellement ;*

aujourd'hui, c'est-à-dire au plus tard en Juillet 1896, on connait *réellement* ce résultat : le compte approuvé de 1895 donne l'excédant ou le déficit réel de cet exercice; or, ce résultat diffère presque toujours du résultat présumé. Il faut donc calculer la différence entre le reliquat du compte et le reliquat présumé de l'exercice 1895, et rectifier, au moyen de cette nouvelle donnée, le reliquat prévu au budget de 1896. Or, cela s'obtient précisément par le procédé que nous avons indiqué: ce procédé en effet se reduit à reproduire le reliquat du budget de l'exercice courant (1896) en tenant compte des circonstances qui ont pu modifier cette prévision, notamment de la différence qui aura été constatée entre le reliquat *réel* et le reliquat *présumé* de l'exercice précédent (1895).

C. V. C.

De Catechizandis pueris

(Sequitur. — Cf. p. 143 sqq.)

II.

Methodus catechizandi

Post quædam prærequisita, indicanda sunt : modus memoriter addiscendi catechismi textum ; forma in explicatione adhibenda ; processus sequendi ; et prælectionis cujusdam progressio seu decursus.

A. Prærequisita

PRIMUM PRÆREQUISITUM est *ut pueri, quantum fieri possit, habeant quoddam manuale, quod aliud esse nequit quam catechismus diœccsanus.*

Ratio hujus quadruplex est : *Prima,* quasi juridica, est doctrinam christianam non esse doctrinam uniuscujusque singulique doctoris, sed ipsam illam quam

Deus nobis revelavit, Ecclesiæque suæ integram puramque servandam ac custodiendam mandavit. Totus quantus ergo catechista in tradendo doctrinam christianam dependet ab Ecclesia, cujus nihil aliud est quam minister et delegatus, et sine cujus juridica missione publice docere nequiret. Nullam aliam ergo doctrinam proponere potest quam illam ipsam quam Ecclesia docendam proponit ; hæcque complete, accurate, suis determinatis quandoque ab Ecclesia formulis et expressionibus, tradenda est. Ecclesiæ autem est tum jus tum officium doctrinam a catechistis traditam suo vigilanti examini continuo subjicere. Quæ omnia difficillime fiunt si pueri manuale seu catechismum præ manibus non habeant. — *Altera* ratio est doctrinam christianam positivam esse, dogmata præceptaque positiva complecti ; quæ proinde positive pueris communicari debent, eo vel magis quod dogmata quædam formulis omnino determinatis et ab Ecclesia sancitis exprimuntur. — *Tertia,* necessarium esse ut pueri non tantum dogmata præceptaque intelligant sed per totam vitam suam memoriter teneant. Memoriter autem quid addiscere pueris impossibile est si non in formula determinata et accurata res expressa sit. — *Quarta* tandem est optandum esse ut parentes catechistis auxilio sint pueros adjuvando tum in addiscendo memoriter catechismum tum in ipso identidem repetendo. Hoc autem absque catechismo fieri valde difficile, ne dicam impossibile foret.

SECUNDUM PRÆREQUISITUM est *ut prælectio catechismi optime singula vice præparata sit.*

Pro quacumque prælectione cujusvis scientiæ præparatio necessaria est. Hic autem pro natura et difficultate materiæ docendæ, pro momento effectus obtinendi pro necessitate inspirandi pueris amorem tum doctrinæ tum ipsius religionis christianæ, nemo non videt quantæ necessitatis sit optima et assidua prælectionis præparatio.

Hæc autem triplex sit oportet : theologica nempe, catechetica et pædagogica.

Theologice præparatur prælectio si catechista assidue et pro posse suo theologiæ studio incumbat. In catechesi enim nihil aliud docetur, quamvis modo puerorum intellectui accommodato, quam ipsamet doctrina theologica. Nihil hic de hac præparatione ulterius dicendum.

Catechetica præparatio in hoc consistit ut inquirat catechista quomodo res theologica in data lectione catechismi applicetur, quæque sint theologicæ veritates in hac lectione tractatæ. Pro hac præparatione, quæ remota et proxima esse debet, adjutorio erunt: De Harbe: *Explicatio solida et facilis catechismi catholici* (germanico idiomate, Paderborn); præsertimque Lambrecht : *Verklaring van den Mechelschen catechismus,* quod opus non tantum doctrinam theologicam catechetico modo, optime, solide et accurate tradit, sed, etiam nobis eo utilius et commodius est quod omnia exponat juxta ipsum ordinem catechismi nostri diœcesani.

Pædagogica tandem præparatio postulat ut quærat catechista quomodo doctrinam theologicam modo parvulorum intellectui accommodato tradet.

Ad hoc necessarium est :

1° Ut catechista quærat quanam forma, et quonam processu utetur in tradenda lectione. Infra de forma et processu dicemus.

2° Ut dividat quæstionem et responsionem catechismi in plures breves, simplicissimasque propositiones; et has tum positivo tum interrogativo modo redigat; cujus rei exempla ad singulas quæstiones inveniet apud Sieuw in prælaudato opere « *De Mechelsche Catechismus, uitgelegd aan kinderen die zich tot hunne eerste communie bereiden.* »

3° Ut quærat undenam sive in textu sive in ipsa doctrina nasci possit difficultas pro intellectu puerorum, eo fine ut videat quid sit faciendum ad hanc difficultatem expellendam aut superandam. Hæc difficultas

in textu potest pro causa habere : sive vocem pueris ignotam ; sive terminum abstractum ; sive expressionem nimis generalem ; sive metaphoram aut styli figuram ; sive quoddam pronomen, præsertim pronomen indefinitum ; sive elliptica phraseos constructio ; sive inversio phraseos ; etc., etc. Ad modum autem has res difficiles aliter exprimendi inserviet Sieuw.

4° Ut indigitet catechista quodnam factum historiæ Biblicæ explicandum sit ut dogma aut præceptum rite a pueris intelligatur.

5° Ut paret comparationes quibus doctrina illustratur et clarior fit, aut historiæ ecclesiasticæ vel vitæ sanctorum exempla, quibus tum res clarescat tum attentio puerorum excitetur. Thesaurum harum historiarum habet catechista in Schmidt: *Geschiedkundige catechismus:* et in De Harbe apud quem plurima vere historica exempla pro unaquaque catechismi lectione indicantur.

6° Ut præparet tandem applicationem moralem explicationi adaptatam ; quales unicuique lectioni addidit Sieuw.

Tertium prærequisitum est *ut parochus invigilet utrum magister scholæ parochialis munere, quod ipsi obvenit relate ad doctrinam christianam, bene fungatur.*

Munus autem illud consistit saltem in hoc quod pueris textum catechismi memoriter addiscere faciat, et quidem tempore a parocho indicato ; quod explicet sensum *grammaticalem* textus catechismi ; quod narret pueris historias biblicas quæ fundamentem præbere debebunt explicationi a parocho dandæ ; quod identidem repetat, sed prudenter, explicationes parochi ; quod illas in puerorum memoriam imprimat ; quodque hinc inde circumstantiis, quæ se offerunt, illas applicet.

V. J. C.

(Sequetur).

Ex S. C. Episc. et Regul.

DECRETUM

Circr sorores eleemosynas quæritantes

—

Singulari quidem protectione et auxilio dignas semet exhibent mulieres illæ, quæ in piis religiosisque Institutis Deo se devovent ut in proximorum bonum longe lateque opera misericordiæ exerceant nedum directe, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quæritantes, atque egregiam eapropter humilitatis, patientiæ, charitatis aliarumque virtutum laudem præ se ferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium præ muliebri quæritantium indole ac hodierna humanæ societatis conditione periculis haud vacet, nisi opportunis cautelis communiatur, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium nonnullis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, hæc quæ sequuntur statuit ac decrevit.

I. In votorum simplicium Institutis opus quæritandi eleemosynas alumnæ non aggrediantur nisi in spiritu fidei, quod stipem non sibi quærant sed ipsi Christo Jesu, memores verborum ejus: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Præterea Ordinarios locorum, etiamsi eorum territoria pertranseant, obsequio, reverentia et devotione prosequantur tamquam parentes et patronos, quos adeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac præsidio in qualibet necessitate.

II. Iisdem votorum simplicium Sororibus non liceat eleemosynas quærere sive intra diœcesim in qua ipsæ resident, sive extra sine licentia Ordinarii loci respectivæ residentiæ.

III. Stipem quæsituræ extra diœcesim respectivæ residentiæ licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci in quo eleemosynas quæritare desiderant.

IV. Nihil tamen impedit, quominus Superiorisæ, nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel Operum, quibus præsunt inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte

oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur.

V. Ordinarius loci, in quo extat domus Sororum quæritare volentium, licentiam eis non concedet, 1º si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet ; 2º si quæritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitate occurri valeat per quæritationem in loco, in quo Sorores resident, vel intra propriam diœcesim, Ordinarius licentiam eisdem non impertiatur eleemosynas colligendi extra diœcesim.

VI. Utraque licentia tradatur gratis et in scriptis, in qua quilibet Ordinarius leges et conditiones imponere poterit, quas pro locorum, temporum et personarum adjunctis magis opportunas in Domino judicaverit. Licentia vero Ordinarii piæ Sororum domus contineat litteras vel commissorias ad parochos aliasve prudentes personas pro Sororibus quæritantibus intra diœcesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum diœcesium pro Sororibus extra propriam diœcesim quæritantibus. In litteris commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera præsto sint Sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum resciverint, statim ipsi Ordinario referant. In commendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque diœcesi Sorores ad quæritandum admissas protegat ac adjuvet ac si sibi subditas eas haberet.

VII. Quisque loci Ordinarius Sorores ex aliena diœcesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eædem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero hujusmodi licentiam exhibentibus ipse suam, si lubeat, impertiatur licentiam quæritandi in propria diœcesi. Ubi autem Sorores, etiamsi utraque licentia præditæ, in eleemosynarum quæstu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius jubeat, opportunisque etiam mediis si opus fuerit compellat.

VIII. Superiorissæ, præsertim extra locum ubi domus habent, numquam ad eleemosynas quærendas mittant Sorores, nisi binas, ætate et animo maturas, intra diœcesim

non ultra mensem, extra diœcesim non ultra duos menses, et semper ea pecuniæ summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quæritantes semper et ubique ea qua decet modestia eniteant, virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas aliaque loca incongrua evitent; nec in domibus longiorem moram faciant, quam sit necessarium pro expectandis eleemosynis. Singulæ nunquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea; sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant, neque ad alium perveniant. De suo adventu futuro præmoneant illum, cui datæ sunt Episcopi litteræ; eique cum pervenerint se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium fœminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, nunquam vero in domo ubi possint in aliquod periculum offendere. Matutinas ac vespertinas preces non omittant: quotidie de mane aliquam ex vicinioribus ecclesiis petant, ibique Sacro assistant: singulis hebdomadis Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentis reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quæritent. Elapso tempore ad quæritandum eis præfixo, sine ulla mora ad propriam Superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas numquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum Operum exposita inopia, si quid sponte offertur accipiant, secus patienter divinæ Providentiæ confidant. Alias normas opportunas, quæ a propria Superiorissa dari poterunt, adamussim observent.

Datum Romæ ex Secretaria memoratæ S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 martii 1896.

J. Card. Verga, *Præf.*
A. Can. Boccafogli, *Sub-Secr.*

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

Reliquiæ antiquæ. quarum Litt. authentiæ non amplius habentur. conservandæ sunt in eadem veneratione in qua hactenus fuerunt.

Episcopus Jacensis in relatione status suæ Ecclesiæ sequens postulatum exhibuit Sacræ Congregationi Concilii die 27 aprilis 1894, quod ab eadem Sacra Congregatione ad hanc Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam transmissum fuit, nimirum: — Sunt plures Reliquiæ in pretiosis argenteis thecis inclusæ, fere in omnibus Ecclesiis Diœcesis, etsi pauperrimis, quarum authenticæ non habentur, nec notitia habetur eas olim extitisse, nec tempus cognoscitur a quo illæ Reliquiæ possidentur. Numerus earum, præsertim in Ecclesia paroch. vulgo Siresa, quæ per aliquod tempus residentia fuit Episcoporum Oscensium tempore invasionis mahometanorum, est considerabilis, et quamvis thecæ antiquitatem redoleant, in archivis tamen parochiarum, vel in historiis nullum extat certum documentum earumdem authenticitatem comprobans. — Magna tamen pietate a populis coluntur, ita ut nequeat sine scandalo his cultus prohiberi. Cum igitur antiquissimæ sint, ita ut ipsa antiquitas possit constituere argumentum sufficiens ad certitudinem moralem gignendam, et apud omnes in maxima semper fuerint et sint veneratione, opinatur Episcopus orator hujusmodi cultum permitti posse: ad omnem tamen anxietatem tollendam, implorat quoad hoc judicium S. V.

Quibus præfata Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, omnibus perpensis, ita respondendum censuit die 20 Januarii 1896: « Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse ».

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die et anno uti supra.

A. Card. Steinhuber, *Præf.*
V. Archiep. Nicopolit., *Secret.*

Jurisprudence administrative

I

Du traitement des desservants provisoires des cures, succursales ou chapelles

Il existe dans notre législation trois arrêtés relatifs au traitement des ecclésiastiques chargés de desservir provisoirement une cure, succursale ou chapelle vacante :

1° *Arrêté du Prince souverain Guillaume d'Orange du 15 Mars 1815.*

Art. 1. Les ecclésiastiques auxquels sera confiée l'administration provisoire des cures et succursales vacantes, obtiendront les traitements dont jouissaient les titulaires, à charge du trésor public, et ce jusqu'au remplacement définitif de ceux-ci.

Art. 2. Cette disposition n'aura d'effet que pendant les trois mois qui suivront, soit le décès, soit la démission, soit le changement de destination des curés et desservants.

Art. 3. Elle n'est pas applicable aux prêtres qui sont attachés aux églises, en qualité de vicaires, attendu que, par la nature de leurs fonctions, ils sont appelés à aider les curés et desservants, et à les remplacer au besoin.

2° *Arrêté royal du 30 Mars 1836.*

Art. 1. Les traitements des membres du clergé catholique romain payés par l'Etat, continuent à être réglés par trimestre ou par semestre, conformément aux dispositions existantes.

Art. 2. Néanmoins, lorsqu'une place devient vacante, le traitement du mois pendant lequel la vacance a commencé est seul payé à l'ancien titulaire ou à ses héritiers.

Art. 3. L'ecclésiastique nommé à la place vacante, soit provisoirement, soit définitivement, a droit au traitement attaché à cette place à partir du premier du mois qui suit sa nomination.

Art. 4. Le desservant provisoire de la cure, succursale ou chapelle, a droit au traitement attaché à la place vacante jusqu'au premier jour du mois qui suivra la nomination du nouveau titulaire.

Toutefois, s'il reçoit un traitement de l'Etat à raison d'une autre place de curé, de desservant ou de chapelain, il n'a droit à l'intégralité du traitement attaché à la place vacante que pendant les trois mois qui suivent sa nomination. Après ce terme, il jouit de la moitié de ce traitement.

Art. 5. L'article 3 de l'arrêté du 15 Mars 1815 est rapporté.

Le vicaire chargé de desservir provisoirement une place de curé, de desservant ou de chapelain vacante dans l'église à laquelle il est attaché, cesse, pendant ce temps, de toucher le subside que l'Etat lui paie, à raison de ses fonctions de vicaire.

3° *Arrêté royal du 27 Août 1837.*

Art. 1. Le second paragraphe de l'article 4 de l'arrêté précité (du 30 Mars 1836) est rendu applicable aux vicaires.

Art. 2. Le second paragraphe de l'article 5 du même arrêté est rapporté.

De l'ensemble des dispositions précitées, il résulte que:

1° L'ecclésiastique, qui ne reçoit aucun traitement de l'Etat, et qui est chargé de desservir provisoirement une place de curé, de desservant ou de chapelain, a droit à l'intégralité du traitement attaché à cette place, à partir du premier jour du mois qui suit sa nomination jusqu'au premier jour du mois qui suivra la nomination du nouveau titulaire.

2° Le desservant provisoire d'une cure, succursale ou chapelle, s'il reçoit un traitement de l'Etat à raison d'une autre place de curé, de desservant, de chapelain ou de vicaire (même dans l'église vacante), continue de toucher le subside que l'Etat lui paie à raison de ses fonctions ; et, en outre, il a droit à l'intégralité du traitement attaché à la place vacante, pendant les trois mois qui suivent sa nomination. Après ce terme, il ne jouit plus que de la moitié de ce traitement.

Nota. Il importe donc de compléter et de modifier dans ce sens le n. 1074 (T. II, p. 333 et s., edit. 5ª) du *Compendium juris canonici* de feu Mgr De Brabandere, Evêque de Bruges.

II

Fabriques d'église — Restauration de monuments — Demandes de subsides

—

Par circulaire en date du 20 Novembre 1895, le Ministre de l'agriculture et des travaux publics a décidé que, en présence du nombre, toujours croissant, des demandes de subsides imputables sur le crédit de cent mille francs, inscrit au budget des beaux-arts, en vue d'aider à la restauration des édifices religieux classés comme monuments, les allocations de cette nature ne pourront, à l'avenir, dépasser le montant de celles accordées pour le même objet par le département de la justice, ni être supérieures à un sixième de la dépense totale.

En conséquence les administrations intéressées sont invitées, avant d'adresser leurs requêtes au Gouvernement, à s'assurer un chiffre de ressources qui, ajouté au montant du subside de la province, représente au minimum les deux tiers de la dépense à couvrir.

Les travaux devront être classés, dans les avis, par ordre d'urgence et de nécessité.

Monitum

Petita fuit formula *Flandrice* concepta orationis *Concede nos famulos* etc., quæ, juxta recentiora S. C. Rituum decreta (1), addi debet litaniis Lauretanis : quare subsequentem formulam Ill^mus^ ac Rev^mus^ D. Episcopus Brugensis approbavit atque in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis suæ diœceseos recitari mandavit.

LAAT ONS BIDDEN.

Verleen, bidden wij, o Heer God, dat wij, uwe dienaren, eenen gedurigen welstand naar ziel en lichaam mogen genieten, en, door de heerlijke voorsprake van de H. Maria altijd Maagd, van de tegenwoordige droefheid bevrijd worden en met de eeuwige blijdschap begunstigd.

Door Christus, onzen Heer. Amen.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. I, p. 32 sq.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cf. supra p. 269.)

Sectio I

Ascensus mentis ad Deum, viribus naturæ prout a Deo condita fuit integra.

12. Triplex animæ facultas, quoniam activa est et ad agendum nata, gradatim et ordine exit in actum. Prima et infima vegetat corpus et organizat sensus ; secunda et media utitur sensibus ad cognitionem sensibilem appetitumque sensitivum, in ordine ad conservandam vitam animalem ; tertia et summa, intellectualis, pervenit mediante sensu ad cognitionem et vitam intellectualem ac moralem.

Igitur, quando homo pervenit ad plenum usum sensuum, facultas summa est etiam expedita ad acquirendam rerum cognitionem intellectualem. Et hæc cognitio, ut infra explicabimus, fit mediante sensu et incipit a sensibilibus objectis, intellectualiter apprehensis, per quæ ascendit ad suprasensibilia et spiritualia, et per hæc tandem ad summum Deum.

13. Et rursum triplex est ad Deum cognoscendum ascensus seu gradus : primo enim intellectus apprehendit Deum, seu pervenit ad ejus notionem, deinde ad cognitionem existentiæ ejus, et tertio ad agnitionem Dei. Aliis verbis, primum est intelligere aliquo modo seu apprehendere *quid sit* Deus, secundum est cognoscere *quod sit,* et tertium est Deum agnoscere.

Ubi adverte statim, quod infra patebit, ea quæ immediate apprehendimus, ut sensibilia, apprehendi

primum ut entia existentia seu quod sint ; quæ vero mediate tantum, ut Deum, primum apprehendi notione aliquali seu quid sint, cujus deinde notionis objectivam realitatem inquirimus seu an sint.

Item adverte tertium gradum seu agnitionem Dei esse proprium soli Deo cognoscendo : attento nempe hoc, quod Deus sese manifestat per opera sua ut agnoscatur ac laudetur ab homine, humanus intellectus, existentia Dei cognita, jam actu quodam reflexo, propter Dei reverentiam metaphorice per creaturas loquentis seu sese revelantis, ipsum, interveniente voluntate, tanquam Deum suum acceptat, seu Deum, assensu intellectus voluntate firmato, ut existentem, ut principium et finem suum reverenter homo agnoscit.

14. Tandem quod maximi momenti est, attende quænam sit connexio, quænam vero non sit, inter primum gradum notionis Dei apprehensæ, et secundum cognitionis existentiæ Dei.

Nam, conceptus divinitatis alius est initialis, ad quem sufficit apprehendere quodcumque prædicatum soli Deo proprium, et hunc primum gradum in cognitione Dei diximus, qui omnino requiritur sed plane sufficit ad solvendam quæstionem *an Deus sit ;* alter vero conceptus est expolitior, *quis et qualis sit Deus,* attributa Dei complectens, et hoc sensu præcedit cognitio *quod Deus sit* hanc notionem pleniorem *quid sit.*

Deinde *modus* quo Dei notio primo in mente nostra progignitur, a nobis exponendus quidem est, adeoque et quæstio salebrosa de origine idearum, juxta ea quæ nobis vera videntur, tractanda, at vero cognitio et demonstratio existentiæ Dei ab illo modo pendere nequaquam putanda est. Quocumque modo notio primum acquiratur, etiam solo audito nomine Dei, per doctrinam seu traditionem aliorum hominum, notionis hujusmodi realitas objectiva independenter a modo acquisitæ notionis ejusdem demonstratur. Quod qui-

dem mirum cuique esse non debet : sunt enim plures aliæ veritates immediate evidentes, puta existentia corporum, quamvis non eadem certitudo habeatur de modo quo corpora mente apprehendimus. Et hoc quidem sedulo notandum est ne, præter alia illud incommodum et sane gravissimum incurramus, ut naturales demonstrationes existentiæ Dei, plane obviæ et evidentes, obvolvantur obscuritatibus ac difficultatibus, ita ut vim suam et efficaciam amittere videantur, cum tamen nihil intersit magis universi generis humani, quam quæ supremum Numen ejusque existentiam spectant.

Hisce præhabitis, cum ex dictis primum sit, in Deo cognoscendo, aliqualem notionem Dei apprehendere, jam inquiremus de modo quo ratio, quæ habetur ut integra, suis viribus et independenter a doctrina seu verbo vel signo extrinsecus acceptis, naturaliter Deum primum apprehendat .

ARTICULUS I.

De acquirenda prima notione Dei.

15. Ut rem exponamus complete ac distincte, necesse erit primum naturam cognitionis humanæ ex philosophicis disciplinis breviter referre, deinde ordinem humanæ cognitionis usque ad summi Dei notionem apprehensam percurrere.

§ I.

De natura cognitionis humanæ.

16. Sola indicabimus, quam dilucide possumus, principia.

I. *Cognitio in genere* merito comparatur generationi : provenit enim ex objecto cognito et subjecto cognoscente tanquam ex uno principio, per unionem utriusque

vi cujus objectum sive per se, sive per imaginem sui determinat activitatem subjecti, eique per quamdam assimilationem inexistit.

Cognitio igitur objective est vitalis imago objecti, subjective est efformatio imaginis vitalis objecti.

Consideranda ergo sunt in cognitione subjectum, objectum et unio utriusque.

Ex parte subjecti, cum modus essendi et agendi sequatur esse, modus cognoscendi sequitur naturam subjecti cognoscentis. Ita sensus sensibiliter, intellectus intellectualiter tantum cognoscit, et aliter humanus intellectus, aliter angelicus. Ex parte subjecti, eo perfectior est cognitio, quo perfectius est subjectum cognoscens.

Ex parte objecti, cum objecta cognoscibilia sint vel sensibilia, vel suprasensibilia, cumque objectum cognitum sit in cognoscente secundum modum cognoscentis, sensibilia cognoscuntur a sensu sensibiliter, ab intellectu intellectualiter, suprasensibilia a sensu cognosci non possunt, mere spiritualia ab intellectu humano non mere spiritualiter. Ex parte objecti, eo perfectior est cognitio, quo objectum est altius seu perfectius.

Ex parte unionis objecti cum subjecto, quo perfectius modus essendi utriusque conveniunt, adeoque perfectius se manifestat subjecto objectum, eo intimior est unio utriusque, eoque perfectior cognitio in ratione cognitionis ; ita perfectius, secundum hanc rationem, cognoscit sensus sensibilia quam intellectus humanus, spiritus purus spiritualia quam homo.

Eo perfectior absolute est cognitio, quo tum subjectum cognoscens et objectum cognitum sunt perfectiora, tum magis inter se conveniunt modus essendi utriusque.

17. II. *Cognitioni nostræ intellectuali* hæc applicemus, de qua sola nunc agitur.

Subjectum est anima humana, scilicet substantia spiritualis, forma substantialis corporis. Modus cogno-

scendi, cum sequatur modum essendi, necessario implicabit elementum sensuale et elementum spirituale, et cum inter spirituales substantias infimum locum teneat anima humana, utpote cum materia magis conserta, ejus cognitio intellectualis erit omnium entium spiritualium magis imperfecta.

Ex quibus jam habemus operationem intellectualem in homine præviam operationem sensus requirere, et primum objici intellectuali activitati sensibilia ; sicut ordine reali temporis activitas sensuum activitatem intellectus antecedit, ita in ordine logico nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu. Ea est natura intellectus sensibus ut in præsenti vita conjunctus, ut suprasensibilia nonnisi cum relatione aliqua ad sensibilia cognoscere possit; attamen, sicut non dependet a materia in suo esse, ita nec actio ejus ad sensibilia, ad materiam ejusque phenomena individuantia restringitur ; et, sicut existere potest abstracta a materia, ita et in operatione abstrahere potest ab individuantibus phenomenis et sensibili materia, quod est cognoscere universale (directum) in re particulari, seu intelligibile in re sensibili.

Unde ad *objectum* quod spectat, jam concludere ex dictis licet non modo sensibilia sed et suprasensibilia et spiritualia esse objectum materiale intellectus humani, seu omne ens, in quantum cum vero convertitur ; finis enim seu terminus intellectionis est verum. Verum quidem perfecte non est nisi in cognitione perfecta seu judicio, quod prædicatum aliquod affirmat vel negat de subjecto ; sed judicium duos terminos prævie apprehensos exigit, et de initiali cognitione seu notione percipienda hic potissimum agimus, in ordine ad primam Dei notionem explicandam.

Præterea, objectum erit in intellectu secundum modum intellectus cognoscentis, adeoque spiritualiter sed non sine respectu ad sensibile ; et sensibile quidem

objectum erit in intellectu nobiliori modo quam in se est, nemppe intellectualiter ; objectum suprasensibile mere spirituale, modo minus nobili quam in se, scilicet spiritualiter sed cum relatione ad sensibile.

Deducitur tandem ex dictis objectum formale intellectus, seu rationem sub qua ens apprehendit, immediatum et proprium esse essentiam (universale directum) rerum sensibilium.

18. Sed præcipua quæstio est de *unione objecti cum subjecto,* qua simul præcedentia ulterius declarabuntur, scilicet quæritur quomodo fiat ipsa intellectio seu prima objecti alicujus perceptio.

Intellectus cum non sit in actu sed in potentia ad talem vel talem cognitionem, oportet ut ad actum determinetur aliquo modo per objectum ; cum tamen sit potentia vitalis, determinari nequit ab objecto sensibili externo, sed ab aliquo proveniente ab illo objecto quod sit ipsi intrinsecum. Nec sola objecti imago sensibilis a sensu percepto seu phantasma sufficit, quamvis requiratur. Requiritur quidem, quia secus nulla fieri posset unio objectum inter et intellectum ; non sufficit, quia imago sensibilis sola phenomena externa individuantia objecti refert, non vero essentiam, quæ, ut vidimus, objectum proprium est intellectus. Unde phantasma solummodo materiam affert, tamquam objectum quoddam prærequisitum in quo suum proprium objectum reperiat et percipiat intellectus.

Posito igitur phantasmate, anima humana, in quantum intellectualis, sese determinat: ab una enim parte, eadem est anima sentiens et intelligens ; ab altera vero parte, agit intellectus, sicuti est, independenter a materia, abstrahens ab individuantibus phenomenis, adeoque percipiens objectum, non ut sensus illud percipit prout est in sensibili rerum natura, sed separans ab individuo sensibili et phenomenis quod immutabile, intelligibile est, illud ita reddens intelligibille in actu, quod dicitur

abstrahere, et hæc est prima functio intellectus, qui eatenus vocatur *intellectus agens* seu vis abstractiva. Deinde illud intelligibile percipit, utpote per illud abstractionis productum determinatus, et eatenus dicitur intellectus passivus seu *possibilis*.

19. En igitur brevissime series actuum, quibus anima humana primam notionem seu conceptum intellectualem efformat objecti sensibilis.

Sensus (externus) objecti impressionem in materiali organo recipit, quam dein sensus (internus) ut suam experitur, et ita distinctum a se objectum percipit, oriturque repræsentatio seu species sensibilis, quod etiam phantasma dicitur, præsertim quando reproducitur in imaginitiva facultate a memoria sensitiva.

Posita sensatione et orto phantasmate, anima qua intellectiva se determinat ad actum.

Intellectus nempe agens, primo præscindit a facto subjectivo sensationis, et per hoc ulterius a facto objectivo, existentiæ videlicet objecti quod eum afficit, et proin ab individualibus phenomenis. Sic oritur species intelligibilis impressa, quæ imprimitur in intellectu, qua possibilli, quæque est objectum *quo,* ut ajunt, quo nempe intellectus possibilis sese determinat. Hæ omnes præcisiones, ut patet, non voluntariæ, sed naturales sunt, sicut tota cæterum intellectio.

Tandem per speciem intelligibilem impressam, tamquam per speculum, percipit intellectus possibilis ipsum objectum ut objectum suum proprium, absolute quod in sensu relative, essentiam seu universale directum. Et hoc in se exprimit verbo mentis, estque primus intellectionis terminus, qui etiam vocatur species intelligibilis expressa, intentio intellectualis, conceptus, idea. Libentius tamen Scholastici conceptum in mente nostra vocant, ideam vero archetypam Dei.

20. Hanc brevem de humani intellectus operatione tractationem, postea complendam exponendo ordinem

cognitionum quibus ad Deum summum usque apprehendendum conscendit, mediam interrumpere nos plane cogit admirationis gratique animi sensus in Deum creatorem et illuminatorem intellectuum. Ex dictis enim jam apparet, magisque ex dicendis elucebit « mirabilis ac plane divina vis intellectus producendi in se actus et habitus, hoc est vivas imagines omnium rerum quæ sunt in mundo et etiam aliarum quæ non sunt in mundo. Cognoscendo vero omnia intellectus quodammodo fit omnia et trahit ad se perfectionem omnium rerum... Mirabilis est etiam vis voluntatis, qua amando omnia bona, præsertim honesta, fit bona omni bonitate. Hinc est, ut homo præcipue per intellectum sit microcosmos, quia quot species rerum sunt in mundo, tot possunt poni intentionaliter in intellectu ; sit etiam imago Dei : quia sicut Deus est pelagus omnis entitatis et perfectionis, in quo primo est omnis entitas et perfectio ; sic intellectus est pelagus secundarium, in quod a Deo confluunt omnes perfectiones objectorum et rerum » (1).

(1) Sylv. Maurus, q. 4.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti aut Septembris (1)

I

Explana I Reg. II, 25 : « Et non audierunt vocem patris sui : *quia volebat Dominus occidere eos.* »

II

Explica Luc. I, 17 : *Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ : ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.*

III

Dic quid sit creatio, explicando responsum.

IV

Quisnam est *actus proprius* virtutis infusæ PRUDENTIÆ, et quænam sunt *vitia prudentiæ opposita ?* Breviter explica responsum.

V

Da notionem juris strîcti seu rigorosi.

VI

Quid in jure ecclesiastico statuitur circa sepulturam eorum qui seipsos occidunt vel in duello moriuntur?

(1) « Mensibus Augusti et Septembris unica sufficit collatio. » Supra p. 8 sub III.

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Maii propositas

I

Q. Expone *Rom. XII, 19, 20 :* « Non vosmetipsos « defendentes, charissimi, sed date locum iræ ; scriptum « est enim : Mihi vindicta : ego retribuam, dicit « Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : « si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones « ignis congeres super caput ejus. »

R. *Non vosmetipsos defendentes,* græce εκδικουντες, *vindicantes,* i. e. a privata vindicta abstinete : « Præcipit Apostolus ne si quando læsi ab aliquo fuerint, illatam injuriam *ipsi* ulciscantur » Beelen. Paulò ante, v. 17, vindictam prohibuerat, dicens : *Nulli malum pro malo reddentes ;* « id verò nunc repetit, ut alia deinceps addat eodem pertinentia, ad rem difficilem efficacius persuadendam. Propter quod etiam adjecit illud, *carissimi.* Græce αγαπητοι, *dilecti,* scilicet, ut hac blanda appellatione magis moveat » Estius. — Ceterum *defendere* pro *vindicare* etiam alibi vertit noster Interpres, ut Judith I, 12 ; II, 1. Defensio enim, sive depulsio injuriæ, duplici affectu fieri potest : vel ad tutelam sui, vel ad vindictam. Prius prohibitum non est, sed posterius.

Sed date locum iræ, scilicet divinæ adversùs eum qui vobis injuriam intulit. « Vult *ut Deo vindictam permittant ;* nam hoc, in præsenti quidem loco, valent verba ista : δοτε τοπον τη οργη. Idque probatur cum ex sensu antithetico qui illis verbis subesse debet, tum etiam ex sacræ Scripturæ testimonio quod Apostolus statim adducit ad confirmandum id quod dixerat δοτε τοπον τη οργη *datum locum iræ.* Itaque ἡ οργη vox nude posita

Dei *iram* hoc loco significat, quemadmodum et supra Cap. V, 9 et I Thess. I, 10. Ceterum ἡ ὀργὴ Θεοῦ, *ira Dei,* per anthropopathiam dicitur pro condemnatorio Dei judicio aut pœna divinitùs infligenda » Beelen.

Scriptum est enim: Mihi vindicta (competit): *ego retribuam, dicit Dominus.* Citat Paulus Deuteron. XXXII, 35, ubi hebraïce habetur: *mihi vindicta et retributio,* subaudi *competit.* « Addit Apostolus de suo, *dicit Dominus,* ut intelligatur ex cujus persona proferantur ea verba. *Sensus est:* Ad me spectat officium ulciscendi injurias, qui sum judex omnium hominum; *Ego Deus ultionum, Psalm. 93.* Atque hoc meum officium exsequar, quando mihi videbitur. Exsequitur autem Deus non solùm per se, sed etiam per eos quos administros suæ justitiæ in terra constituit; quemadmodum luculentè docetur cap. sequenti. Perfecta tamen exsecutio solius est omnipotentis et omnia scientis Dei » Estius.

Sed si esurierit... super caput ejus; id est: « imo, si inimicus tuus inopia prematur, tu illi succurras; quod si feceris, acutum quempiam illi intuleris dolorem ex pudore natum; quo fieri poterit ut resipiscat. — Nexus hujus orationis cum antegressà hic est: Non tantum non sumenda est privata vindicta ab eo qui te læserit, sed contra, si inimicus tuus necessitate aliqua prematur, subveniendum illi est; quod si facias, acutum quempiam dolorem ex pudore natum illi inferes, quo fieri potest ut, superatus tuis beneficiis, cedat suamque inimicitiam deponat. — Notandum autem est, Apostolum hoc loco non suis verbis uti sed verbis Scripturæ; nam quod heic dicit, sumtum est ex Proverbiorum Capite XXV, v. 21, ubi sic legitur: *Si esurierit is qui odio te habet* (osor tui), *ciba illum pane; et si sitiverit, pota illum aquâ; nam prunas* (carbones ardentes) *congeres super caput ejus, et Jehova rependet tibi,* puta, pro beneficio quod inimico tuo impenderis. *Prunæ in* cujuspiam *caput aggestæ* proverbialiter dicuntur de *acerbo dolore*

quo quis afficitur ; et hoc quidem loco intelligendus est dolor qui nascatur ex pudore ; quo pudore veluti ustus læsor tui, forsitan resipiscet eumque illatæ injuriæ pœnitebit » Beelen.

« Evangelica planè est doctrina hæc, qua non solùm diligendus, sed et juvandus inimicus docetur, juxta illud Christi : *Benefacite iis qui vos oderunt* (Matt. V), et illud veteris legis : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum* (Exod. XXIII)... Notandum parum esse probabile... Sapientem hîc loqui de prunis pœnarum, et incendii infernalis, ut indicetur hîc ratio qua quis se ulcisci possit de inimico suo, nempe quia per præstita illi beneficia, illum obstinatè persistentem in inimicitia, graviori supplicio obnoxium faciet apud Deum, quemadmodum quidam intelligunt. Sic enim Paulum hæc verba non intellexisse satis patet ex eo quod sequitur : *noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Ut omittamus parum convenire Scripturæ divinæ, ut suggerat ideo benefaciendum inimico, ut per exhibita beneficia perditionis ei materia subministretur. Quod et ipse Sapiens satis insinuat id se noluisse significare, cum subdit : *Et Dominus reddet tibi.* Unde patet per *congregare prunas super caput inimici* significari collationem alicujus beneficii, quod Dominus sit remuneraturus » Jans. Gand. Cnf. Van Steenkiste.

Non desunt tamen Interpretes (Chrysost., Theodoret., Theophyl., Photius, Jac. Stapul. etc.) qui verba : *hoc enim faciens... caput ejus* in malum exponant hoc pacto : « Ita fiet, ut cumuletur et crescat ei pœna apud Deum, ac si dicat Apostolus : id si fecerls, reddes eum graviori vindictæ obnoxium in judicio Dei : velut si coacerves ardentes carbones super caput ejus. Quod intellige, nisi resipiscat » Estius. Hanc expositionem satis probabilem reddunt argumenta ab Estio allata, ejusque duritiem non parùm emollit ejusdem Auctoris conclusio : « Non ergo qui *hanc* tradunt expositionem

sentiunt eo fine benefaciendum inimico, ut cumuletur ei vindicta apud Deum : quod non esset benefacere, sed malè, (Hunc enim sensum in suis commentariis disertè excludunt) verùm simpliciter esse benefaciendum illi quamvis inimico ; nec tamen eum nostro beneficio evasurum justam ultionem, si perseveret in malitia ; sed futurum, ut sic etiam graviores in judicio Dei pœnas luat, quòd nec affectus beneficiis, ab odio et nocendi voluntate destiterit. Hæc enim dicuntur ad consolandum et animandum fideles in afflictionibus et persecutionibus quas injustè patiuntur. Unde Cyprianus in *epist. ad Demet.* de iisdem loquens : *Patientes,* inquit, *facit de secutura ultione securitas.* » — Omnibus tamen perpensis, præplacet nobis prior sententia, quæ est Hieronymi, August., Thomæ, a Lapide, Jans. Gand., Beelen, Van Steenkiste, etc.

G. V. D. P.

II

Q. Ex ipsa agendi ratione Judæorum demonstra, eos de veracitate Apostolorum resurrectionem Christi attestantium haud serio dubitasse.

R. Apostoli publice prædicabant Jesum a mortuis vere resurrexisse, adeoque verum esse Messiam divinitus promissum ac missum, ab ipsa gente sua repudiatum atque occisum. — Pariter ore et scripto (Matth. XXVIII, 11-14) palam testabantur a principibus sacerdotum pecunia copiosa subornatos fuisse custodes sepulchri ad mentiendum Christi discipulos nocte venisse, eumque furatos esse, custodibus dormientibus.

Hæc porro Apostolorum prædicatio atque criminatio nata erat Evangelii propagationem insignite promovere, gentemque judaicam multiplici titulo infamare. Judæos vero, atque inprimis principes eorum, Evangelii propagationi adversissimos, necnon famæ suæ tuendæ studiosissimos fuisse, nemo est qui dubitet.

Jam verò, nisi Judæi de Apostolorum veracitate plane convicti fuissent, eos profecto juridice accusassent, examinassent, mendacii, imposturæ atque calumniæ arguissent, summisque ex hoc capite suppliciis affecissent : hoc enim fuisset medium omnino obvium, facillimum æque ac efficacissimum ad impediendam propagationem Evangelii et vindicandam famam Synagogæ : homines vero, quando serio volunt aliquem finem, non negligunt medium facillimum atque efficacissimum.

Atqui Judæi medium hoc neglexerunt.

Ergo de veracitate Apostolorum haud serio dubitarunt.

Idem liquet ex absurda ratione qua Apostolorum auctoritatem elevare conati sunt (Matth. XXVIII, 11-14). Nam, præterquam quod omnino improbabile est custodes sepulchri ad unum omnes dormiisse, Apostolosque voluisse aut potuisse corpus Christi clam auferre, jam desperatæ causæ manifestum indicium est, adversus ingentem multitudinem testium *de visu* testes adducere *dormientes*. Præterea, si Judæi vere credidissent milites dormiisse, non iis pecuniam numerassent securitatemque promisissent, sed eos proditi turpiter officii accusassent. Pariter, si suspicati fuissent Apostolos corpus Christi vere furatos esse, eos sane in judicium vocassent, eosque ceu perniciosissimos fraudatores arguissent, ac severissime punivissent ; quæ tamen ne tentarunt quidem. Ergo.

G. V. D. P.

III

Ex Matth. XXVIII, 19 : *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος), demonstra revelatum esse mysterium SS. Trinitatis, scilicet : esse tres personas divinas in una natura divina.

R. His verbis revelatur mysterium SS. Trinitatis si ibi revelatur : 1° *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* esse tres personas distinctas ; 2° Illos esse tres personas divinas ; 3° Illos non habere nisi unam eamdemque naturam divinam.

Atqui his verbis revelatur : 1° *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* esse tres personas distinctas ; 2° Eos esse tres personas divinas ; et 3° Eos non habere nisi unam eamdemque naturam.

Ergo his verbis revelatur mysterium SS. Trinitatis.

Demonstratur minor per partes : 1° His verbis revelatur *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* esse tres personas distinctas.

Nam : a) Ille qui vocatur *Pater* necessario est persona distincta ab illo qui vocatur *Filius,* siquidem vocabulum *Patris* designat personam, quæ non tantum est causa et origo illius qui vocatur *Filius,* sed etiam quæ sub hoc respectu *opponitur* illi qui vocatur *Filius,* et proïnde ab ipso distinguitur. Atqui in verbis istis enumerantur duo quorum alter vocatur *Pater* et alter *Filius.* Ergo in his verbis enumerantur duo qui sunt duæ personæ distinctæ.

b) Quando duæ voces substantivæ, quæ indicare possunt personas diversas, adhibentur interposito et repetito articulo, saltem si hæ voces sint usitatæ in casu obliquo (genitivo, dativo vel ablativo), hæ voces indicant duas personas distinctas. Contra, si unam personam indicare volumus duplici vocabulo, non repetimus ante alterum vocabulum articulum. Sic etiam in S. Scriptura, ibi *unius* personæ prædicata junguntur, articulus non repetitur, ex gr. : ad Tit. II, 13 : Ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. cfr. etiam 2 Cor. I, 3 ; Eph. I, 3 ; Phil. IV, 20 ; Coloss. II, 2 ; III, 17 ; 1 Thess. III, 11, 13 ; 2 Thess. II, 16 ; 1 Tim. I 17. Atqui voces substantivæ *Patris* et *Filii* possunt indicare personas

diversas, et hic græce construuntur in casu obliquo (genitivo scilicet), cum repetito ac interposito articulo : τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. Ergo hic voces *Patris* et *Ftlii* indicant duas personas distinctas.

c) *Spiritus Sanctus* in his verbis prorsus eodem modo jungitur *Patri* et *Filio* quo *Filius* jungitur *Patri*. Atqui *Filius* jungitur *Patri* tanquam persona distincta a *Patre*. Ergo *Spiritus Sanctus* jungitur *Patri* et *Filio* tanquam persona ab ipsis distincta.

Ergo *Pater* et *Filius* et *Spiritus Sanctus* hic revelantur ut tres personæ distinctæ.

2° His verbis revelatur *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* esse tres personas divinas.

a) *Pater* enim certe est persona divina. Atqui in his verbis *Filius* et *Spiritus Sanctus* nominantur cum *Patre* et in unum honoris ac dignitatis consortium Ipsi adjunguntur. Ergo et *Filius* et *Spiritus Sanctus* personæ sunt divinæ.

b) Juxta doctrinam Scripturæ Sacræ, ille, in cujus nomine baptizamur est a) ille qui nos regenerat, qui nos mundat a peccatis, qui nos sua gratia sanctificat (Vide ad Tit. III, 5), quod solus Deus facere potest; et b) ille cui per baptismum consecramur et devovemur tali consecratione quæ tantummodo Deo fieri potest. (Vide ad Rom. VI, 3, 13 ; 1 Cor. I, 12 et ss. ; III, 21 et ss ; ad Gal. III, 27). Ergo ille, in cujus nomine baptizamur, Deus est. Atqui in his verbis dicitur nos baptizari in nomine tum *Patris,* tum *Filii,* tum *Spiritus Sancti*. Ergo tum *Pater,* tum *Filius,* tum *Spiritus Sanctus* sunt Deus, et siquidem sunt personæ distinctæ, sunt tres personæ divinæ.

3° His verbis tandem revelatur *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* non habere nisi unam eamdemque naturam.

Nam a) quando dicimus in singulari numero et præposito articulo : τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ

τοῦ ἁγίου πνεύματος, significamus hoc nomen esse unicum ipsumque pertinere tum *Patri,* tum *Filio,* tum *Spiritui Sancto.*

Inde autem argumentamur vel : α) atqui ubi unicum nomen, ibi unica natura ; nam ubi plures naturæ, ibi plura nomina. Ergo hic significatur unicam esse naturam, eamque tum *Patri,* tum *Filio,* tum *Spiritui Sancto* pertinere.

Vel etiam : β) atqui solemne est in S. Scriptura, si agitur de Deo, *nomen* significare ipsam rem nominis, ipsum Numen divinum, ipsam naturam divinam. Vide Ex. XX, 21 ; Deut. XII, 5, 11 ; XXVIII, 58 ; 3 Reg. VIII, 20, 29 ; Ps. V, 12 ; IX, 11 ; XVII, 50 ; XIX, 2, 6, 8 ; XXXII, 21 ; XXXIX, 5 ; XLIII, 9, 21 ; LX, 6 ; LXVIII, 37 ; LXXXVIII, 25 ; CX, 9 ; CXVIII, 132 ; Is. XXVI, 13 juxta LXX ; Coloss. II, 9. Ergo hic significatur unicam esse naturam *Patris, Filii* et *Spiritus Sancti.*

b) Græce dicitur hic non *in nomine* sed *in nomen,* εἰς τὸ ὄνομα, sicuti etiam Act. Ap. VIII, 16 ; XIX, 5 ; 1 Cor. I, 12 et ss. ; III, 21 et s. ; ad Gal. III, 27, ita ut significetur nos per baptismum consecrari et devoveri *nomini Patris* et *Filii* et *Spiritus Sancti.* Atqui juxta doctrinam totius Scripturæ sacræ ita consecramur et devovemur per baptismum uni soli Deo. Vide textus citatos sub 2º b. Ergo illi tres quorum nomini baptizamur sunt unus solus Deus.

Ergo (CONCLUSIO GENERALIS) verbis citatis revelatur *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* esse tres personas distinctas ; easque divinas ; easque unam eamdemque habentes naturam divinam ; id est, revelatur mysterium SS. Trinitatis.

V. J. C.

IV

Q. Theodorus, sacerdos sæcularis et parochus civitatis Brugensis, pro tempore commoratur Parisiis: dic generatim quibusnam legibus ecclesiasticis ibidem teneatur ; addendo rationem.

R. Distinguendum inter leges communes et leges particulares : itaque

I. Quoad leges COMMUNES. — Theodorus, dum Parisiis degit, debet servare omnes leges communes, quæ ibi sunt in usu, etsi forte in diœcesi Brugensi vi legitimæ consuetudinis aut privilegii sint abrogatæ.

Dico 1) *debet servare leges communes :* quia ubique terrarum omnis christianus subditus est juris communis seu R. Pontificis, qui juris communis est auctor.

Dico 2) *quæ ibi sunt in usu ;* nam si lex quædam generalis vi privilegii aut consuetudinis localis ibidem cessaverit aut suspensa sit, omnes qui in loco consistunt a lege ista eximuntur : hæc enim est natura privilegii aut consuetudinis localis, quæ importat exemptionem ab onere communi, ut afficiat locum et consequenter extendatur ad omnes in loco commorantes.

Quodsi forte Theodorus *destinato consilio* Parisios iverit ad fruendum hujusmodi commodo, applica dicenda ad II, sub 2°), B.

Dico 3) *etsi forte in diœcesi Brugensi* etc. ; ob similem rationem: quia cum privilegia et exemptiones a jure communi, quæ in certis diœcesibus aut provinciis obtinent, afficiant loca, non potest quis extra privilegiata loca consistens eisdem frui.

II. Quoad leges PARTICULARES. — Hic inquirendum:

1°) Utrum Theodorus debeat servare leges particulares seu statuta propria sive diœcesana sive provincialia quæ PARISIIS vigent ?

Præsuppono Theodorum nondum per sex menses Parisiis habitasse nec habere intentionem tamdiu ibi manendi ; secus, ratione quasidomicilii contracti, esset

subditus Archiepiscopi Parisiensis ejusque legibus stare deberet : supposito igitur Theodorum esse vere *peregrinum :*

Dicendum juxta sententiam vere probabilem, regula generali ipsum non teneri istis legibus seu statutis. Ratio est quia lex fertur communitati, proindeque lex particularis loci lata est pro membris communitatis in illo loco sedem suam habentis. Atqui peregrini, cum ibidem non habeant domicilium aut quasi-domicilium, non sunt membra illius communitatis. Ergo per se non ligantur legibus illi communitati propriis.

Dico A) *juxta sententiam vere probabilem :* quia non desunt qui contrariam sententiam propugnent, propter rationes, quas scite proponit ac uti gravissimas imo et cogentes habet Cl. Bouquillon *(Theol. fundam.,* edit. 2ª, n. 148) ; quibus tamen minime convincimur. (Vid. nostrum *Tract. de legibus,* n. 109).

Dico B) *regula generali.* — Etenim a) *vi juris naturæ* tenetur Theodorus observare omnes leges et statuta particularia Parisiis vigentia, quæ hic et nunc non posset negligere aut violare quin scandalum præbeat vel alias nocumentum afferat ; — b) *vi juris communis* (Cap. ult. *De foro competenti)* foro superioris localis subjicitur etiam peregrinus ratione sive delicti, sive contractus, sive rei in territorio sitæ ; ast, inspecta moderna Ecclesiæ disciplina in nostris præsertim regionibus, cuivis consideranti patebit ex hac parte vix locum dari speciali obligationi qua Theodorus noster afficeretur. — (1).

(1) Contra nonullos AA. censemus minime excipiendas esse leges particulares quæ etiam vigent in diœcesi Brugensi ; quia, uti infra probabitur, Theodorus non ligatur dictis legibus loci proprii ratione absentiæ suæ ; neque iisdem legibus Parisiis existentibus, quia, ut diximus, non est istius diœcesis subditus. — Nec magis excipiendum ducimus casum quo Archiepiscopus Parisiensis condendo hujusmodi leges declarasset voluntatem suam obligandi etiam peregrinos : quia stante præsenti controversia, minime certa est jurisdictio superioris localis in peregrinos, ergo nec certa est obligatio peregrinorum ei parendi ; ergo practice non possunt uti obligati haberi.

2°) Utrum Theodorus, dum parisiis degit, debeat servare ecclesiasticas leges et statuta particularia quæ BRUGIS vigent ?

Respondetur: A) certo tenetur legibus quæ respiciunt ipsius officium aut beneficium quatenus parochus est, v. g. statutis diœcesanis circa conciones et instructiones catecheticas in ecclesiis parochialibus habendas diebus dominicis et festis de præcepto ; — item circa residentiam et alia hujusmodi : Etenim quoad istas leges Theodorus etsi physice absens reputatur moraliter præsens : ibi enim actio censetur posita vel omissa ubi omitti vel poni debuisset (1).

B) Quoad cæteras leges, juxta communem DD. sententiam, illis non tenetur, saltem si non exierit præcise animo se ab earum obligatione subducendi. — Ratio est, quia superioris localis jurisdictio non sese extendit ultra limites sui territorii, quod sic constituit quasi suæ activitatis sphæram, extra quam actio ipsius inefficax est : confirmatur cap. 2, *De Constitut.* in VI, ubi : *extra territorium jus dicenti non paretur impune.*

Dicimus : *saltem si non exierit præcise animo etc.;* in hac enim hypothesi, certo non posset Theodorus Parisiis absolvi a peccato in diœcesi Brugensi reservato, juxtà Clementis X const. *Superna* 21 Junii 1670. — Seposito hoc casu, *probabilius* videtur Theodorum non ligari istis legibus particularibus etiamsi ea de causa diœcesim reliquerit ut illarum imperium effugiat. Plures quidem id negant nixi tum cap. 15, *De rescriptis* ubi : *Fraus et dolus alicui patrocinari non debent ;* tum allata Clementis X dispositione, quam habent uti

(1) Non est cur, cum pluribus Conferentiis, hic mentionem habeamus legum *personalium,* ut explicemus quomodo Theodorus, etsi Parisiis commorans, debeat divinum officium recitare juxta calendarium diœcesis Brugensis : hoc enim obtinet vi juris communis. — Ceterum hæc denominatio *legis personalis* valde impropria est, cum de essentia legis sit eam ferri *communitati ;* ad differentiam *præcepti* quod datur *personæ*, ideoque eam ubique comitatur et ossibus adhærere dicitur.

regulæ generalis applicationem. — At priori rationi respondetur, juxta regulam juris 55 ff. *De reg. jur., nullum censeri dolo facere qui jure suo utitur;* atqui Theodorus exeundo utitur jure suo; lex enim non obligat subditos ut in territorio maneant, sed ut in territorio existentes quod ea præscribitur observent: postquam autem egressus est, ei patrocinatur non dolus, sed conditio loci ubi degit. — Ad alteram vero rationem reponitur, minime certam esse istam decreti Clementini interpretationem, cum alii censeant illud pro isto præcise casu fuisse latum, atque esse exceptionem auctoritate pontificia appositam jurisdictioni confessarii diœcesis alienæ.

H. V. D. B.

V

Q. Charitas, qua diligimus principaliter Deum, secundario proximum et nosmetipsos, nulla ex parte videtur dici posse *amor amicitiæ,* seu amor benevolentiæ mutuæ in communione bonorum fundatus. Etenim a) Deus propria sua bona creaturæ non communicat; b) proximus sæpe nos nullatenus redamat; c) ut in Breviario (Comm. Evangelist.) legimus ex S. Gregorio: « Nemo proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectio in alterum tendit ut charitas esse possit. » — Has difficultates solve.

R. ad a) Deus propria sua bona creaturæ non communicat. *Dist.:* in ordine naturali, seu creaturæ qua tali in naturalibus relictæ, *Conc.;* in ordine præsenti supernaturali, seu creaturæ per gratiam elevatæ ad consortium naturæ divinæ, *Nego.*

Explicatur. Pulcre dixit S. Thomas, q. disput. unica de charit., a. 2 ad 15m: « charitas non est virtus hominis in quantum est homo, sed in quantum per participationem gratiæ fit Deus et filius Dei...» Revera, in ordine naturæ, Deum inter et hominem, aut angelum, non esset amor amicitiæ. Quamvis enim homo in

naturalibus aliquam remotam divinæ perfectionis similitudinem referat, non est tamen particeps propriæ bonitatis ac vitæ divinæ, propriorum Dei bonorum, ideoque fundamento veræ amicitiæ caret. Atvero in ordine præsenti, Deus ineffabili ratione nobis communicat suam propriam bonitatem ac vitam, qua est per visionem et amorem sui infinite beatus. Hanc quidem bonitatem communicat in cœlo consummate per gloriam, sed jam in terra inchoate per gratiam, gloriæ semen, seu per dona supernaturalia quibus vita æterna præparatur et inchoatur in nobis (cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, Annot. de virt. theol. n. 389). Deus enim *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ* (2 Petr. I, 4), participatione formali et physica, licet analogica ; ita ut simus *vocati in societatem Filii ejus Jesu Christi* (1 Cor. I, 9) atque ipsi *filii Dei* adoptivi *nominemur et simus* (1 Jo III, 1). Itaque jam *nunc filii Dei sumus* (ibid. 2) : *si autem filii, et heredes ; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (Rom. VIII, 17), Nonne Deum inter et divinæ consortes naturæ, filios et heredes Dei, perfecte adest illa communio bonorum in qua fundatur amicitia? Unde in ipsa justificatione homo, ex servo per naturam et inimico per peccatum, fit amicus Dei per gratiam, dilectus a Deo ac Deum diligens amore amicitiæ stricte dictæ : adeo ut justificatis omnibus aptentur verba Christi ad Apostolos (Jo. XV, 15) : *jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo* (etiam profunda Dei) *nota feci vobis* (per fidem, præambulam ad Visionem beatam).

R. ad b) Proximus sæpe nos nullatenus redamat : at semper mutuum amorem præbet ipse Deus, quem principaliter charitate diligimus et propter quem secundario diligimus proximum.

Rem explicat S. Thomas, 2-2, q. 23, a. 1, dum ad obj. 2^{m} — « Amicitia non est sine reamatione. Sed

charitas habetur etiam ad inimicos... Ergo charitas non est amicitia. » — ita respondet : « Amicitia se extendit ad aliquem dupliciter. Uno modo, respectu sui ipsius : et sic amicitia nunquam est nisi ad amicum. Alio modo se extendit ad aliquem respectu alterius personæ : sicut, si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, sive filios sive servos sive qualitercumque ei attinentes. Et tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amantur hi qui ad ipsum pertinent etiam si nos offendant vel odiant. Et hoc modo amicitia charitatis se extendit etiam ad inimicos, quos diligimus ex charitate in ordine ad Deum ad quem principaliter habetur amicitia charitatis. »

R. ad c) « Nemo proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur » : consideratam sub communi ratione amicitiæ, *Conc.;* sub propria ratione charitatis theologicæ, quæ est principaliter ad Deum et consequenter ad omnia quæ sunt Dei adeoque ad ipsum subjectum habens charitatem, *Nego*. Unde dilectio qua nosipsos diligimus propter Deum vera est charitas, quia vere « tendit in alterum » nempe Deum.

Explicationem rei iterum audiamus à S. Thoma, 2-2, q. 25, a. 4 in corp.: « Cum charitas sit amicitia quædam... dupliciter possumus de charitate loqui. Uno modo, sub communi ratione amicitiæ. Et secundum hoc dicendum est quod amicitia proprie non habetur ad seipsum, sed aliquid majus amicitia : quia amicitia unionem quandam importat.., unicuique autem ad seipsum est unitas, quæ est potior unione.. Alio modo possumus loqui de charitate secundum propriam rationem ipsius, prout scilicet est amicitia hominis ad Deum principaliter et ex consequenti ad ea quæ sunt Dei. Inter quæ etiam est ipse homo qui charitatem habet. Et sic inter cetera quæ ex charitate diligit quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum (ut amicum Dei, prout notat Cajetanus) ex charitate diligit ».

O. E. D.

VI.

Q. Proba succursalistas hodiernos esse veros parochos, sed amovibiles.

Prænotanda.

Prævie monendum est hodiernos succursalistas prorsus differre ab iis qui in jure hoc nomine intelliguntur : in jure enim communi ecclesia succursalis est ecclesia filialis, id est adjutrix seu pars ac membrum parochiæ, pro commodiori curæ exercitio ac sacramentorum administratione, ita ut cura et jus parochiale sint penes ecclesiam matricem, et hæc sola dicatur parochialis ecclesia ; atque is qui curam in succursali exercet, parochi ecclesiæ matricis vicarius sit, ideoque non propio sed alieno nomine curam exerceat. Sed alia prorsus est conditio ecclesiarum succursalium et succursalistarum in nostris regionibus ab initio hujus sæculi existentium ; praxi enim notissimum est, eos, de quibus nunc loquimur, succuralistas esse rectores ecclesiarum in quibus curam animarum exercent sine ulla dependentia ab aliquo parocho tamquam earumdem principali rectore cujus essent vicarii.

Quum autem quæstio illa de vera hodiernorum succursalistarum conditione ex historia præprimis solvenda sit, arbitrati sumus nos haud confecturos operam omni utilitate vacuam, exhibendo brevem aliquam notitiam de ecclesiarum succursalium origine.

In concordato anni 1801, quod Pius VII ratum habuit per bullam *Ecclesia Christi,* statutum fuit quod episcopi in sua quisque diœcesi novas parochias circumscriberent, quæ circumscriptio suum non sortiretur effectum nisi postquam consensus gubernii accessisset (a. 9); et quod jus ad parochias nominandi ad episcopos pertineret, qui tamen personas non seligerent nisi gubernio acceptas (a. 10). Cardinalis Caprara, legatus *a latere,* vi facultatum amplissimarum ipsi per bullam *Qui Christi Domini* factarum, decreto executoriali 9 Aprilis 1802 antiquas parochias perpetuo suppressas fore declaravit, et mandavit ut futuri episcopi novam parochiarum circumscriptionem quam cito facerent. Verum, in citatis documentis non fit mentio nisi de unica specie parochiarum, earum scilicet quibus præficiendi erant parochi gubernio accepti et

quibus, ex Concordato, solvenda erat a gubernio decens ad sustentationem pensio; ne mininum quidem verbulum occurrit de alia specie parochiarum quæ *succursales* dictæ sunt.

Sed gubernium, ut quam arctissime fieri poterat restringeret limites obligationis dotandi parochos, in *Articulis Organicis* quos perfide Concordato addidit, decrevit ut una tantum ecclesia *parochialis* in qualibet *Justitia pacis* erigeretur, et insuper tot constituerentur *succursales* (sine dotatione) quot necessitas expetere posset (art. 60 coll. art. 68); statuit etiam ut rectores succursalium ecclesiarum, ab episcopo nominati et approbati, ministerium suum sub inspectione et directione parochorum exercerent, et essent, non secus ac vicarii, ad nutum episcopi revocabiles (art. 31 coll. art. 63). Ex quo liquet gubernium intellexisse succursalistas quales in jure habentur, eosque vicariis, non parochis, assimilasse.

Observandum omnino est Cardinalem legatum nomine S. Sedis reclamasse contra *Articulos Organicos* non solum in genere, sed etiam contra nonnullos in specie, litteris 18 Augusti 1803 ad gubernium datis, sed non esse protestatum contra supra citatas dispositiones ; quinimo, supposita succursalistarum constitutione, protestatus est contra art. 61 quo statuebatur ut episcopi, *audito Præfecto,* moderarentur numerum et extensionem succursalium.

Episcopi vero, metuentes ne magnum inde spirituale detrimentum sequeretur si unicus tantum haberetur parochus in singulo *Justitiæ pacis* territorio, servaverunt quidem eam articuli 31 partem qua succursalistæ dicebantur amovibiles ; sed neglexerunt alteram hujus articuli partem vi cujus succursalistæ sub directione et dependentia parochorum ponebantur, et ipsos quoque tanquam veros seu proprio nomine rectores suarum ecclesiarum considerarunt. Ipsummet quoque gubernium suum articulum intellectnm voluit eo sensu quo agendi modo episcoporum consonaret.

His præmissis.

R. I. Succursalistæ sunt *veri parochi.* Hanc conditionem ipsis inde ab initio fuisse factam et usque continuatam, luculenter probant tum decreta erectionis novarum parochiarum, tum litteræ institutionis succursalistarum, tum variæ litteræ pastorales ab episcopis

datæ, tum denique statuta conciliorum provincialium in Gallia et ordinationes diœcesanæ in Belgio.

Addi potest succursalistas, non secus ac alios parochos ad professionem fidei teneri, et jussu episcopi a decano in realem, actualem et corporalem possessionem ecclesiæ suæ immitti, et ideo tanquam rectores proprios institui. Accedit quod, si non essent veri parochi, vix intelligeretur adeo gravem ortam esse de eorum inamovibilitate controversiam, et ad illam sedandam Gregorium XVI dedisse responsum mox citandum. Cæteroquin succursalistæ ea omnia habent quæ in veris parochis essentialiter requiruntur. Merito igitur ab omnibus generatim auctoribus tanquam veri parochi habentur; et quum nulla de hoc moveatur controversia, huic immorari supervacaneum ducimus.

R. II. At gravior jam se offert difficultas. Scitum est, et ex supra citatis documentis ac praxi quotidiana manifeste constat episcopos ceu *amovibiles* habuisse et adhuc habere rectores ecclesiarum succursalium. Jamvero, licet, ex variis documentis canonicis et doctrina gravissimorum doctorum, neque juri communi ante Tridentinam synodum vigenti, neque Tridentinis sanctionibus (cfr. *sess. XXIV*, c. 13 de ref.) adversetur curam animarum per rectores amovibiles exerceri, et quamvis inamovibilitas non pertineat ad essentiam muneris parochialis, pertinet tamen ad ipsius naturam et ex jure adesse debet nisi speciali titulo sive fundationis, sive concessionis pontificiæ, sive consuetudinis immemorialis legitime desit. Quæritur ergo sitne legitima praxis ab episcopis inducta et usque servata ; et si legitima, quo peculiari titulo talis sit ?

Nonnulli auctores censent disciplinam amovibilitatis succursalistarum *illigitime* fuisse *inductam*. Cfr *Mél. théol.*, sér. 3, p. 1 ss.; *Rev. théol*, sér. 1, p. 521, et sér. 4, p. 154 ; *Acta S. Sedis*, T. XIV, p. 181 ss. Alii vero plures opinantur praxim illam inde *ab initio* legitimam

fuisse. Horum opinionem, licet non iisdem argumentis innixi, amplectimur ; et nobis affirmandum videtur amovibilitatem succursalistarum ab initio fuisse legitimam, et quidem propter pontificiam concessionem seu indulgentiam, quam adfuisse sequentia sufficienter suadent. a) Ex Concordato et ex bulla confirmationis Pii VII eruitur voluntatem S. Sedis fuisse ut totum illud negotium erectionis novarum parochiarum, non tantum quoad territorialem circumscriptionem, sed etiam quoad personas assumendas, fieret ab episcopis cum consensu gubernii, tum ob dotationem a gubernio faciendam, tum etiam ut tranquillitas eo magis in tuto esset. Quum autem gubernium voluerit ut unicus tantum parochus perpetuus constitueretur in quacumque *Justitia pacis,* quod certo animarum bono maxime nocivum fuisset ; episcopi, ut bono animarum consulerent et simul voluntati gubernii obsecundarent, aliam viam non habebant quam constitutionem parochorum amovibilium, cui cæteroquin gubernium consentiebat. b) Aliunde, merito episcopi conjicere seu præsumere potuerunt fore ut hæc via S. Sedi placeret, vel saltem ut S. Sedes hunc agendi modum non ægre ferret ; considerare enim debuerunt ex una parte S. Sedem proprios ecclesiarum rectores præferre succursalistis in sensu juris intellectis et ex altera parte, spectatis circumstantiis, inamovibilitatem rectorum ecclesiis succursalibus præponendorum fieri posse valde periculosam, tum propter suppressionem seminariorum et imperfectam cleri institutionem, tum præsertim propter qualitatem eorum quos gubernium succursalibus præfici voluit (art. 68 org.), et simul propter leges civiles non agnoscentes potestatem coercitivam episcopis competentem. c) Tandem praxis illa fuit inducta omnino *publice* per litteras pastorales, et *generaliter,* idque *quando Parisiis degebat Card. Legatus,* plenissimis munitus facultatibus et ad quem episcopi actorum

documenta transmittere debebant. Et *neque tunc* per Card. Caprara, *neque postea unquam,* contra dictam praxim *reclamavit Sedes Apostolica*. Quæ quidem sunt ejusmodi ut non solum legitimam præsumptionem, sed etiam firmam persuasionem præbeant, ob circumstantias tunc existentes, indulsisse S. Sedem ut parochi ecclesiarum succursalium essent amovibiles.

Sententiam nostram roborant plura concilia provincilia Galliæ, in quibus diserte affirmatur ab initio legitimam hanc praxim fuisse ex indulgentia Sedis Ap. cet.; Romæ autem in hoc nullam correctionem subierunt. Notatu etiam dignum est S. C. C. constanter abstinuisse a quacumque animadversione, quando in episcoporum de statu ecclesiarum suarum relationibus sermo erat de parochis amovibilibus.

Adversarii vero movent objectionem ex verbis « *benigne annuit* » in rescripto Gregorii XVI ad Ep. Leodiensem occurrentibus, contendentes illam dictionem continere dispensationem *nunc primum* datam. Sed verba illa nequaquam illud in casu important, et optimam habent explicationem ex eis quæ statim dicta fuerunt : videlicet, benigne annuit Pontifex ut in praxi illa, ex benigna indulgentia S. Sedis propter circumstantias inducta, « nulla immutatio fiat donec aliter a S. Sede statutum fuerit. »

Cæterum, quidquid sit de quæstione an disciplina revocabilitatis legitime vel illegitime fuerit *inducta,* et num *antea* episcopi potuerint vel etiam debuerint disciplinam istam relinquere, *certum omnino* est, *hodierna* saltem ætate, hanc praxim legitime servari, imo et servari debere.

Hoc tenent auctores ad unum omnes, et indubitanter colligitur tum ex rescripto Gregorii XVI ad Ep. Leodiensem (1), dato die 1 Maii 1845, tum ex responso

(1) Recte notant Bouix, *De parochis,* edit. 3, p. 242, et opus periodicum *La correspondance catholique*, an. 1895, p. 573, rescriptum Gregorii XVI minime pendere ab illa adnotatione finali quam. Ep. Leodiensis quæsito

Pii IX ad Ep. Ebriocensem die 5 Octobris 1864, in quibus decernitur disciplinam vigentem non posse immutari, et quæstionem de ejus abrogatione S. Sedi esse reservatam. « Et ideo nunc neque episcopis licet eam deserere, et rectores succursalium obedire in conscientia obligantur cum removeantur a respectivis ordinariis. » *Acta S. Sedis,* T. XIV, p. 188.

Hoc ulterius confirmant plures S. C. C. resolutiones quibus, in casu recursus a succursalistis a sua parochia remotis ad S. Sedem directi, regulariter decernitur locum non esse redintegrationi. Firmam autem esse in hac re S. C. C. sententiam probant formulæ quibus in responsis suis utitur : ad dubium enim utrum succursalistæ amoti sint relinquendi in sua parochia vel ad eam redintegrandi, postquam pluries simpliciter responderat : *Negative* (cfr v. g. decreta 23 Martii 1878, apud *Acta S. Sedis,* T. XI, p. 382 ss. ; 24 Aprilis et 29 Maii 1880, *ibid.,* T. XIV, p. 172 ss.), in causa recentiori, 27 Martii 1886 respondit : *Negative et amplius* (1) (apud *Acta S. Sedis,*. T. XIX, p. 53 ss.) ; et tandem recentissime, *in Nanciensi,* succursalistæ qui e parochia sua discedere detractavit et ad R. P. confugit, sequens dedit responsum : « *Lectum,* (2) et orator episcopo suo humiliter se subjiciat ejusque pareat mandatis ; et in posterum non audeat similibus de causis S. Sedem adire. » Cfr. *La correspondance catholique,* an. 1895, p. 621. Hæc, ni fallamur, sufficient ut omnibus persuasum sit quæstionem de amovibilitate succursalistarum

suo adnexiit: *cæterum,* etc. Responsum enim dedit Pontifex « gravibus ex causis animum suum moventibus »; præterea legibus non apponuntur conditiones vagæ et indeterminatæ, quæ juridice probari nequeunt, quæque necessario januam aperirent conflictibus et inextricabilibus litibus, qualis foret conditio « *dummodo haud frequenter, prudenter ac paterne fiat* » ; tandem idem rescriptum, in aliis prorsus adjunctis et sine ulla restrictione, nonnullis etiam Galliæ episcopis fuit transmissum, v. g. ad Ep. Ebriocensem in responso citato.

(1) Hæc formula significat causam in posterum proponendam non esse.

(2) *Lectum,* id est, non admissum ; quod flandrice diceremus : *Goed voor de scheurmande.*

in dubitationem adducere jam fas non esse (1).

Conclusio. Ex præmissis sequitur succursalistas locis suis moveri posse quin causæ et formæ a jure præscriptæ serventur, imo eos etiam sine causa *valide* amoveri.

Æquitatis tamen ratio et boni regiminis disciplina postulant ut aliqua justa et rationabilis causa, licet a jure non contemplata, intercedat, utque remotiones nec ad purum libitum, nec nimis frequenter, sed prudenter et paterne fiant.

Episcopus autem causam remotionis pandere non tenetur parocho remoto ; sed eam prodere debet Romano Pontifici vel S. C. C., ad cujus tribunal recursus instituitur.

Recursus autem succursalistis patet quotiescumque remotio ex ira, odio vel malevolo animo (quod absit) fieri videtur, vel si in ea non fuerit consultum honori ac famæ amoti, vel notabile ipsi damnum, ab amissione parochiæ diversum, illatum fuerit ; sed interim tenentur episcopo suo obedire, et si existiment se esse in casu legitimi recursus, ipsis incumbit hoc probare apud S. Sedem. Quod si præstare valeant, nonnunquam redintegratio a S. Sede præcipitur.

Cfr Feije, Tract. autogr. *De parochis,* n. 115 ss. coll. n. 102 ; Van den Berghe, *De parochis,* n. 183 ss. coll. n. 21 ; De Angelis, *Prælectiones juris canonici,* T. I, part. 2, p. 55 ss.; Bouix, *De parochis,* edit. 3, p. 224 ss. coll. p. 416 ss.; De Brabandere, *Comp. jur. can.,* n. 492 ss.; *Mél. théol.* (2a edit.), 2ie sér., p. 324, 412, 548 ss. ; 3ie sér., p. 1, 194, ss. ; *Rev. théol.,* 1ie sér., p. 178, 325, 509 ss. ; 4ie sér., p. 66 ss. ; *Analecta juris pontificii,* 2ie sér., col. 1609 ; *La correspondance catholique,* an. 1895, p. 562 et p. 617 ss. C. V. C.

(1) Sunt, rarissimi tamen, qui in responsis conferentiarum sequentia protulerunt : « Certum est æquali libertate defendi posse, et de facto defendi alterutram ex sequentibus propositionibus : 1° Hodierni succursalistæ sunt veri parochi, sed amovibiles ; 2° Hodierni succursalistæ sunt veri parochi, adeoque inamovibiles. Utraque propositio gaudet sua probabilitate. »

Utrum hæc opinamenta probabilitate gaudeant, et quid de illis sentiendum sit, benevoli lectoris judicio relinquimus.

Evangelia dominicarum

DOM. X POST PENTEC.

—

De gelijkenisse van den Pharizeër en den Tollenaar. Luc. XVIII, 9-14.

Te dien tijde 9 zei Jesus tot sommigen, die henzelven voor rechtveerdig hielden, en de anderen verachtten, deze gelijkenisse : 10. Twee menschen gingen op in den tempel om te bidden, de eene een Pharizeër, en de andere een Tollenaar. 11. De Pharizeër staande, bad bij zijn zelven aldus : O God ! ik dank u, dat ik niet en ben gelijk de andere menschen, roovers, onrechtveerdigen, overspelers, of ook gelijk deze Tollenaar. 12. Ik vaste tweemaal ter weke ; ik geve tienden van alles wat ik bezitte. 13. En de Tollenaar, van verre staande, en wilde zelfs de oogen niet opheffen naar den hemel, maar sloeg op zijnen borst, zeggende : O God ! wees mij zondaar genâdig ! 14. Ik zeg ulieden : Deze trok af naar zijn huis, gerechtveerdigd meer dan die. Want alwie hemzelven verheft, zal vernederd worden, en die hemzelven vernedert, zal verheven worden.

* * *

Scopus.

« Præmiserat Lucas parabolam qua docetur orationis perseverantia. Itaque commodè jam subjicit parabolam qua docetur etiam *humilitas in oratione servanda. Dixit* autem hanc Dominus non ad Discipulos, sed *ad quosdam qui in se confidebant tamquam justi, et* præterea *aspernabantur ceteros.* Sic enim Pharisæos notare voluit Evangelista, duplici nomine peccantes. Primùm quòd propter externa quædam opera confidebant se esse justos, cùm non essent justi... Secundò, in eo pecca-

bant, quòd sic sibi justitiæ nomine placerent, ut cæteros aspernarentur tanquam injustos et peccatores. Et quidem hujusmodi contemptus aliorum, consequitur ex temeraria illa justitiæ confidentia, cum contrà qui humiliter se in Domino justos esse confidunt, ut Dei gratiam agnoscunt, ita simul indignitatem suam et imperfectionem in multis agnoscunt, ut non possint alios præ se contemnere, sed peccatoribus condolentes precentur illis eamdem Dei gratiam quam se accepisse humiliter confidunt. Unde rectè Divus Gregorius *homilia 34 super Evangel.* Vera, inquit, justitia compassionem habet, falsa dedignationem, quamvis et justi soleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Proinde in his Pharisæis licet observare quatuor arrogantiæ species, quas idem Gregorius pulchrè enumerat *lib. 23 Moral. capite septimo :* Quatuor, inquit, sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. Cùm bonum aut à semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certè cum jactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt quod habent. Contra hujusmodi ergo Dominus parabolam hanc proponit, qua eorum notat arrogantiam, et simul consolationem suggerit peccatoribus ex animo pœnitentibus, proposito exemplo quo et quàm noxia sit arrogantia, et quam efficax apud Deum humilitas ostenditur » Jans. Gand.

Notationes.

I. *Quomodo oraverit Pharisæus.*

Pharisæus stans « pro more quidem orantium tunc recepto, sed tamen ipso habitu corporis animi confidentiam et elationem præ se ferens. Nam etsi etiam Publicanus stetisse dicatur, tamen à longè dicitur

stetisse, et oculis in terram flexis, quod curvaturam ejus significat, ut ex oppositione intelligamus significatum istum stetisse juxta altare, et stetisse non solùm corpore erecto, sed et animo. » Jans. Gand.

Hæc apud se orabat « hæc erat ejus oratio, orationis loco hæc loquebatur in corde suo » Luc. Brug. « Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare : noluit Deum rogare, sed se laudare » S. Aug. *Serm. CXV, 2.*

Deus, gratias ago tibi... « Omnia quæ Pharisæus dicit superbiam spirant. Nam ut fingamus eum quas in se prædicavit virtutes habuisse, magnæ fuit superbiæ cæteros sine discrimine homines tanquam peccatores sibi tanquam justo postponere... *Diceret saltem*, inquit Aug. *(serm. 36 de verbis Domini secundum Lucam), sicut multi homines. Quid est cæteri homines, nisi omnes præter ipsum ? Ego, inquit, justus sum, cæteri peccatores.* Secunda species superbiæ fuit, quod solas virtutes suas commemoraverit ; de vitiis, quibus utique non carebat, nullam mentionem fecerit. Tanquam si æger non quid morbi, sed quid sanitatis habeat, medico exponat... Tertia est, quod eas fortasse virtutes jactaverit, quas non habebat, quemadmodum ejusmodi fatuis hominibus solet accidere, qui dum neglectis, aut dissimulatis vitiis, solas in se virtutes considerant, eas sibi, etiam quas re ipsa non habent, habere videantur. Quarta quòd Deo simulatè gratias egisse credendum sit ; ita enim loquitur, ita tota sibi oratione placet, ut minimè obscurum sit, cum sibi eas virtutes attribuisset, quasi sua illis diligentia esset consecutus, nec Deo gratias egisse, ut gratias illi ageret, sed ut se laudaret. Sibi ergo, non Deo gratias agebat. Hoc aliud superbiæ artificium est : Sæpe ut nos laudemus, gratias Deo agimus : Deum laudo, quod nunquam hoc, nunquam illud fecerim ; quod semper hoc, semper illud fecerim. Quinta fuit, quòd tanto studio et aliorum vitia, et

virtutes suas enumeraverit. Non est tam ingeniosa, et subtilis humilitas : nec aliorum vitia, nec virtutes suas videt » Maldon. — *Raptores,* aliena vi rapientes, *injusti,* fraude dolove aliena sectantes ac retinentes, *adulteri,* « subaudit : *et cetera :* nam quibusdam criminibus enumeratis, reliqua intelligenda relinquit. Sentit reliquos homines sceleratos et criminibus obnoxios esse, hos illis, alios aliis : à quibus quod ipse immunis sit, Deo gratias agit » Luc. Brug. « Non dicit autem, gratias tibi ago quòd non sum raptor, adulter : sed non sum sicut alii : quo manifestè singularitatis vitium in se notavit, cujus est seipsum præferre, et sibi placere ex relatione ad alios. Hoc autem vitium quo eximeret Paulus, scribens Galatis (VI, 4, 5) dicit : *Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit* » Jans. Gand.

Velut etiam (græce : *aut etiam sicut*) *hic publicanus.* « Intolerabilis superbia cum temerario judicio conjuncta. » Luc. Brug. « Non satis illi fuit in genere se præferre peccatoribus, sed et eum qui secum ascenderat orandi causa publicanum aggressus est, condemnans eum cujus cor non novit, imò in quo pœnitentiæ et correctionis signa advertere potuisset, quia vidit templum Dei ingredientem, externisque gestibus pœnitentiam præ se ferentem, ut ob id meritò non solùm à condemnatione ejus abstinere debuisset, sed et provocari ad spem correctionis ipsius, et communem pro ejus correctione et Dei indulgentia precationem. » Jans. Gand.

Jejuno bis in sabbato.... « Abjudicatis à se vitiis, opera sua bona celebrat. Singulis hebdomadibus, ait, bis, etiam ubi lex nullum jejunium præscribit, egò jejuno. Pariter non eorum tantum, quorum vulgus decumas solvere consuevit, sed omnium, quæcumque possideo decumas solvo » Liagre. « Hic observandum,

qualia sint ob quæ hic Pharisæus, et qui huic similes sunt, sibi justitiam vendicant, nimirum externa tantum, et magis humanorum mandatorum quam divinorum observationes, cùm ante omnia curanda sint quæ ad mentem pertinent; pietas, misericordia, humilitas, et id genus cæteræ virtutes, et quæ Deus præcepit, priori sint habenda loco. » Jans. Gand.

II *Quomodo oraverit Publicanus.*

« Sequitur de Publicano, in quo tres notantur suo ordine conditiones, omni verè, et dignè pœnitenti necessariæ, et sufficientes, quarum prima est propriæ indignitatis agnitio, et quæ ex illa nascitur suiipsius dejectio, et erubescentia. Hæc enim notatur cum dicitur stetisse à longè, procul, scilicet, ab altari semotus, ut qui indignúm se reputabat propius accedere ea loca in quibus Deo sacrificaretur, et velut præsens coleretur. Rursum idem notatur per id quod sequitur, *nolebat nec oculos ad cœlum levare,* censens scilicet eos indignos visione supernà, ut qui maluissent bona terrena spectare, et quærere, agnoscensque se indignum, qui eò converteret intuitum, ubi is suam habet sedem, quem se cognovit offendisse... Secunda conditio, est serius de commissis peccatis dolor, qui in isto notatur, cum dicitur percussisse pectus suum, præ contritionis scilicet dolore, et veluti reprehendens cor suum, quod admissorum criminum origo illi fuisset et causa. Pectoris enim percussio, interioris pravitatis seria est redargutio... Cæterum ut peccator veniam assequatur, non satis est agnoscat suam indignitatem, seseque dejiciat, ac ex animo doleat, sed ne ex indignitatis consideratione in desperationem prolabatur, et abundantiore tristitia absorbeatur, adjungere prædictis conditionibus debet et bonam de divina benignitate confidentiam : hæc enim si illis desit, pertrahetur per illas homo in desperationem : si autem sola adsit sine humilitate et contritione, pariet præsumptionem, nec

impetrabit remissionem. Dicit enim Propheta, *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (Ps. L), significans eum despecturum cor non contritum, nec humiliatum. Hæc autem fiducia Publicano adfuisse notatur, cum et orasse et paucissimis orasse dicitur. Neque enim orasset, si de Dei erga se indulgentia confisus non fuisset : nec tam paucis oraset, si non multùm confisus fuisset: non enim credidit se exaudiendum in multiloquio, more Ethnicorum. *Deus,* inquit, *propitius esto mihi peccatori*. Oratio sane brevis in verbis, sed efficax et magna sensu... In qua observandum quod Publicanus nihil aliud quam misericordiam petit, et talem misericordiam, qua Deo reconcilietur. Nulla enim prætendit merita, nullas adfert excusationes in peccatis, sed liberè se peccatorem confitetur : et dum sibi Dei implorat propitiationem, hoc est, placabilitatem, significat id maximè animum ipsius torquere, quod Deum offensum haberet, nihil magis optare, quam ut illum habeat placatum et amicum... Notandum et illud in oratione ista, quod non dicit, nobis peccatoribus, sed *mihi peccatori*. Superbia enim Pharisæi effecit, ut respiceret se comparatum ad alios : humilitas autem Publicani effecit, ut seipsum in sese respiceret, et non compararet se ad alios pejores aut æquales, sed de sese loqueretur quasi solus fuisset peccator. » Jans. Gand.

III *Quid utrique precanti obvenerit.*

Dico vobis... ab illo. « Non est comparatio proprie dicta, qua vel justitia vel injustitia utrique communis, sed gradibus differens, denotetur ; nec enim Pharisæus tanta cum arrogantia justus, nec publicanus post tantæ humilitatis et pœnitentiæ argumenta injustus pronuntiari potuit : sed comparatio est impropria, quia scilicet Pharisæus specie solùm externa et opinione sua, publicanus autem re vera ac Deo propitio justificatus descendit » Luc. Brug. « In hac autem Domini sententia observandum, et quanta sit Dei

benignitas, qui tam brevi oratione, tamque parva pœnitentia superatus mox pœnitentem in gratiam recipit : et rursum quanta sit apud Deum humilitatis vis : ac contra quam noxium sit arrogantiæ malum » Jans. Gand. « Meliora sunt peccata cum humilitate, qnam innocentia cum superbia » Optat. Milevit., *l. 2 contra Donat.*

Conclusio.

Quia omnis... exaltabitur. « Hoc exemplo et ratione hac, corripuit Jesus eos, qui in se confidebant tamquam justi, et adspernabantur ceteros, quòd essent aliquando, justo Dei judicio humiliandi, deprimendi, rejiciendi, à Dei donis repellendi, denique aliis omnibus, etiam publicis peccatoribus, postponendi : quemadmodum alibi ait, *publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei,* Matth. 21, v. 31 » Luc. Brug. « *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria : et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur* » Job XXII, 29 « *Superbum sequitur humilitas: et humilem spiritu suscipiet gloria* » Prov. XXIX, 23. « Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* » Jac, IV, 6; I Petr. V, 5. « *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* » I Petr. V, 6. « *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: et donec propinquet, non consolabitur : et non discedet, donec Altissimus aspiciat* » Eccli. XXXV, 21. Cnf. Matth. XXIII, 12 ; Luc. XIV, 11. *(Evang. Dom. XVI post Pentec.).*

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De judicio extremo. — Duplex sententia.

Repræsentem mihi illud solemne nimis spectaculum judicii universalis : sedet Christus, *judex vivorum et mortuorum,* in nube cœli, gloria et majestate fulgens, angelorum exercitu circumdatus... Ad dexteram ipsius, electorum *turba magna quam dinumerare nemo potest ex omnibus gentibus et tribubus et populis et natione,* in aere elevati, mira claritate conspicui, gaudio inenarrabili exultantes... Ad sinistram vero, reproborum copia in terra consistentes vultu horrendi, in rabiem acti et confusione operti...

Cunctorum conscientiis revelatis ac omnibus manifestatis, subsequitur mox sententiæ supremæ prolatio ; cujus formulam meditando perpendam, speciatim quatenus spectat ad sacerdotes.

I. Primum sese convertet Christus ad electos et cum ineffabilis dulcedinis voce dicet ad eos : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

Venite, sacerdotes mei : misi vos in vineam meam ; sollicite vineam meam custodistis atque diligenter excoluistis ; ibatis et flebatis, mittentes semina vestra, nunc merito exultatis portantes manipulos vestros ; transierunt tempora laboriosa, *venite* ad requiem sempiternam ! Congregavi vos sub vexillo meo ad expugnandum mecum regnum peccati, regnum diaboli ; bonum certamen certastis, *venite* jam, coronabimini et nemo rapere poterit coronam vestram ! — Constitui vos ministros meos et dispensatores mysteriorum meorum ; *quia super pauca fuistis fideles, super multa vos constituam,*

venite et intrate in gaudium Domini vestri — Venite, amici mei, qui fecistis omnia quæ præcepi vobis ; *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis,* venite jam *ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo,* utque meæ propriæ beatitudinis participes sitis.

Benedicti Patris mei, qui *benedixit vos in omni benedictione spirituali in cœlestibus,* per gratiæ communicationem, nunc autem benedictione gloriæ suæ vos benedicet, *ut benedictionem hæreditate possideatis.* — Elegerat vos et præelegerat præ millibus ut essetis *adjutores* mei in opere salvationis hominum : ecce *labor vester non fuit inanis in Domino ;* jam hora est retributionis, quæ erit magna nimis.

Possidete regnum, regnum meum, hæreditatem filiorum Dei, eis a constitutione mundi paratum ac destinatum. Pro regni mei dilatatione in mundo gnaviter laborastis, strenue dimicastis ; mihi compassi estis, mecum conglorificabimini ; mecum sustinuistis, mecum conregnabitis ; certamen habuistis in terris : vicistis, ideo *dabo vobis sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus.* — Dixi vobis : *Ubi ego sum, illic sit et minister meus :* mecum fuistis in labore et in cruce, *amen dico vobis, hodie mecum eritis in paradiso.*

II. Tunc vultu irato convertet se ad sinistram et proferet in impios hanc terrificam sententiam : *Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

Discedite, sacerdotes prævaricatores, qui alios docebatis viam virtutis, dum ipsimet sectabamini viam iniquitatis. — Discedite a me, qui vos elegeram in pastores gregis mei et qui uti viles mercenarii, non oves sed vosmetipsos curastis et pavistis. — Discedite a me, cujus corpus impuris manibus tractastis, cujus sanguinem pollutis labiis potastis, cujus sacramenta sacrilege dispensastis ? — Discedite, ministri infideles,

a me Rege vestro cujus causam prodidistis, cujus bona dissipastis. — Discedite, filii perditionis, a me Patre vestro amantissimo cujus amorem ingratitudine et offensione rependistis ; a me supremo bono, quod contempsistis ut curreretis post sæculi nugas !

MALEDICTI : ecce novum nomen vestrum, quo commutabuntur tituli et honores quibus in domo et familia mea decorati fuistis. In mundo *reverendi* vocabamini, jam eritis nomine et re ipsa *maledicti* præ culpa vestra : etenim « dilexistis maledictionem et veniet vobis, noluistis benedictionem et elongabitur a vobis, et induetis maledictionem sicut vestimentum, et intrabit sicut aqua in interiora vestra et sicut oleum in ossibus vestris.» Maledicti eritis in corpore et sensibus ejus, in anima et facultatibus ejus... Maledicti a Deo vestro cujus nomen et sacerdotium inhonorastis ; maledicti ab hominibus quos pravis exemplis scandalizastis ; a fidelibus præsertim curæ vestræ quondam commissis, quorum salutem neglexistis, imo quos in ruinam vobiscum traxistis !

IN IGNEM ÆTERNUM, in ignem devorantem quem *accendi in furore meo* et qui *ardebit in sempiternum,* unde igitur nulla unquam vobis speranda redemptio ; in ignem æternum *qui paratus est diabolo,* cui serviistis, *et angelis ejus*, quorum agmini vos sociastis vesani !

Ex duabus illis sententiis una *in me* pronuntiabitur : quænam autem ? Illa quam in hac vita elegero : nam « Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui... Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. »

—

Examen circa orationem sacerdotalem.

—

I. An persuasum habeo orationem mihi sacerdoti *maxime necessariam* esse, tum quia teneor ad perfectionem altioris gradus et proinde uberiori gratia divina indigeo ; tum quia constitutus sum mediator Deum inter et populum fidelem... ; tum quia in ministerio sacro *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus?...*

An igitur oro frequenter ac libenter, ut in me foveam orationis spiritum, qui est spiritus ecclesiastici elementum primordiale ? An sæpe illum orationis spiritum a Deo expostulo, dicens cum Apostolis : *Domine, doce me orare ?*

Quo modo orare soleo ? An cum HUMILITATE, recogitans infinitam majestatem Dei, quem alloquor, meam vero vilitatem, indignitatem ac summam indigentiam ? — An cum REVERENTIA tum *externa,* observans decentem ac modestam corporis compositionem, vitans oculorum divagationem... ; tum *interna,* cum animo recollecto, non indulgens voluntarie distractionibus... ? — An cum FIDUCIA, recordatus me agere cum Patre omnipotente et benevolentissimo, qui promisit mihi concedere quidquid rogavero bonum ac salutare... ? — An cum PERSEVERANTIA, sciens quia Deus, cujus omnes viæ sunt amor et bonitas, nonnisi ob rationes sapientissimas, quandoque differt postulata concedere ?

An soleo antequam incipiam orare me aliquantulum colligere ; Deum præsentem cogitare ; devote non autem festinanter et deformiter me signare signo crucis ? — An dum inter orandum patior frequentes distractiones aut animæ desolationem et ariditatem, inde me humilio coram Deo, ingenue confitens quia non sum ex meipso potens qui valeam vel paululum

vigilare cum Domino, nec dignus qui gustem divinam consolationem ; simul suspirando ad Deum: « *Miserere mei, Domine ;* equidem *non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus; sed et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum* » ?

II. An specialis mihi cura est de rite persolvendo penso quotidiano *Breviarii,* persuasum habens « unum ex præcipuis acquirendæ et conservandæ sanctitatis sacerdotalis medium, ab Ecclesia institutum, esse piam et ordinatam divini officii recitationem » (Stat. diœc.) ? — An igitur omne studium adhibeo ut recitem horas canonicas *digne, attente* ac *devote ?* videlicet :

Digne *Deo,* quem alloquor et apud quem legationis munere fungor ; — digne *Christo,* qui me elegit in ministerium orationis, ut cum ipso et per ipsum mediatoris officium populum inter et Deum adimpleam; — digne *Sanctis,* quorum virtutes et victorias recolo et celebro ; — digne *sacris eloquiis* quæ ore profero ; — digne *Ecclesia,* cujus apud Deum legatum ago.

Attente a) quoad *verba* ea debite pronuntiando, proindeque cavendo a præcipitatione quæ periculum adduceret multa verba truncandi vel etiam omittendi ; — b) quoad *sensum* verborum et sententiarum, ut orem cum intellectu et affectu.

Devote, corde fovendo affectus conformes iis qui formulis recitatis exprimuntur, juxta monitum Augustini: « Si orat psalmus, orate : si gemit, gemite : si gratulatur, gratulamini ; si sperat, sperate : si timet, timete ; omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. »

An utor piis quibusdam industriis ut facilius attentionem ac devotionem congruam servare queam? quales sunt: recitare lente et attente orationem præparatoriam *Aperi, Domine..;* — mihi proponere aliquam intentionem specialem, sive *pro meipso,* v. g. ad obtinendam gratiam particularem quam uti fructum meditationis matutinæ

a Deo postulavi ; sive *pro aliis* v. g. pro conversione cujudam parochiani aut pœnitentis...; paulo lentius, attentius ac affectuosius recitare aliquas invocationes e. g. *Deus in adjutorium...* — item benedictiones ante nocturnorum lectiones ; doxologiam *Gloria Patri... ?*

An soleo divinum officium recitare *tempore opportuno,* illud absque justa ratione nunquam remittendo ultra horas præscriptas ?

III. An non solum orationi vocali sed et mentali seu *meditationi* sedulo vacare soleo ? — An persuasum mihi est nihil esse meditatione utilius tum ad vitia evellenda, tum ad virtutes acquirendas, amorisque divini ignem in animo accendendum ; imo praxim meditationis esse vere necessariam ad perfectionem sacerdotalem consequendam ? (Cfr. stat. diœc. P. I, Cap. I, art. IV.) — Nonne sum de illis qui vanos proferunt prætextus ut sese a meditatione quotidiana excusatos habeant, prætendentes vel quod *non possunt meditari,* cum tamen appareat nihil facilius esse sacerdoti, fidei veritates edocto, quam circa has veritates memoriam, intellectum ac voluntatem exercere, aut illas libello consignatas attente legere atque ex eis recogitatis pios affectus ac sancta proposita elicere ; — vel quod per meditationem *continuis distractionibus et mentis evagationibus sunt obnoxii* proindeque tempus illi impensum inutiliter deperdi : cum interim forte nihil agant ad sese recolligendos, atque probe sciant distractiones *involuntarias* orationis merito non nocere, easque insuper optimam esse occasionem exercendæ humilitatis (vid. supra)... ; — vel quod *tempus ad meditandum non suppetit,* cum tamen plerumque abundans tempus expendant recreationibus non necessariis, diariorum lectioni ; vel etiam plus æquo somnum protrahant ? — An igitur, sepositis hujusmodi vanis prætextibus, superato etiam quovis tædio, quotidie sancto meditationis exercitio semihoram aut saltem horæ quadrantem

impendo ? — An mea meditatio non est merum studium seu speculativa quædam contemplatio, estne vero exercitium vere *practicum,* quo mihimetipsi applicem veritates consideratas, atque ex iis deducam conclusionem seu fructum meis propriis et actualibus necessitatibus aut utilitatibus accomodatum, quem sub fine orationis et identidem de die (putà in gratiarum actione post missam, in visitatione ad Sanctissimum, sub recitatione Breviarii etc.,) Deo enixe commendem ?

* * *

Sumne paratus ad mortem ? — Numquid præsens mea vivendi ratio talis est qualem eam fuisse in hora mortis desiderabo ? Nonne forsan tunc remordebit me acriter orationis neglectus, Breviarii recitatio valde imperfecta ? — Quid igitur mihi faciendum ut evadam vere *homo Dei, vir orationis,* sicque mihi præparem bonam ac sanctam mortem, siquidem *qui recte novit orare, recte novit vivere* (Aug.), qui vero recte vivit, non potest male mori ?

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Juillet — Examen et vote du budget

Aux termes de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique doivent se réunir en session ordinaire le premier Dimanche du mois de Juillet.

Comme nous l'avons déjà fait remarquer (*Collationes,* I, p. 205), c'est à la réunion de Juillet que le conseil

examine le budget qui doit être, avant le 15 Août (1) transmis en quadruple expédition et avec toutes les pièces à l'appui, au conseil communal (art. 1 de la loi du 4 Mars 1870) (2).

Nous croyons inutile d'insister sur l'importance du budget et de montrer combien sont graves les conséquences qui découlent de la bonne ou mauvaise formation de ce document administratif, qui constitue la base de la comptabilité ; nous préférons donner quelques principes généraux et quelques observations pratiques qui en faciliteront la confection régulière.

1. Les allocations des budgets, ne constituant que de simples prévisions, ne donnent pas le droit de faire la dépense à laquelle elles s'appliquent, lorsque cette dépense exige par elle-même une *autorisation* spéciale. Ainsi, par exemple, pour pouvoir effectuer aux églises des travaux de reconstruction, de grosses réparations ou de décoration, ou y placer des meubles à perpétuelle demeure, il ne suffit pas de porter au budget la somme destinée à en couvrir la dépense ; les travaux de ce genre ont besoin d'une autorisation spéciale, et « les crédits de cette nature ne seront admis au budget que si l'autorisation exigée a été accordée. » Circ. minist. du 15 Mai 1885 et du 31 Mars 1894.

---

(1) « Etiamsi fieri nequeat ut computus anni proxime elapsi et budgetum anni proxime futuri debite conficiantur, ni computus anni penultimi et budgetum anni currentis definive approbati ad manum sint, optamus tamen, ad vitandum majoris confusionis periculum, ut tam computus quam budgetum, præfixis a lege temporibus, taliter qualiter conficiantur et ad communalem administrationem dirigantur. » *Decr. Congr. prosyn.* 31 Maii 1882, n. 3.

(2) « Si la circonscription de la paroisse ou de la succursale comprend plusieurs communes ou plusieurs parties de communes, un double du budget et du compte est communiqué, aux époques déterminées par les articles 1 et 6 à *chaque* commune intéressée et les conseils communaux en délibèrent respectivement.

« Les pièces de la correspondance sont transmises par l'intermédiaire de l'administration de la commune siége de l'église. » Art. 14 de la loi du 4 Mars 1870.

De même, « si la recette prévue est susceptible d'une autorisation préalable de la Députation permanente ou du Roi, les conseils de fabrique devront mentionner si cette autorisation a été sollicitée. La recette ne sera admise au compte que si la sanction de l'autorité supérieure a été obtenue. » Circ. du Gouv. de la Flandre Occid., 31 Décembre 1882. Dans cette catégorie il faut comprendre, par exemple, les emprunts, les donations, les remboursements de rente, etc. Les opérations de ce genre ont besoin d'une autorisation spéciale.

2. On doit, autant que possible, prévoir au budget toutes les ressources et tous les besoins (1) de la fabrique, en ayant soin de ne pas dissimuler les premières et de ne pas exagérer les seconds. Cette précaution est surtout nécessaire, lorsqu'il s'agit de faire au conseil communal une demande de subvention, qu'il serait sans cela difficile de justifier et de soutenir.

On doit donner le montant exact des recettes et des dépenses qui sont fixes de leur nature. Quant à celles dont la quotité varie, on ne peut les évaluer qu'approximativement, en prenant la moyenne des recettes et des dépenses de même nature, effectuées pendant les cinq dernières années.

3. Les dépenses doivent être proportionnées aux recettes. Les dépenses ordinaires ne doivent jamais dépasser les recettes ordinaires ; et on ne doit pas s'engager dans des dépenses extraordinaires, avant de s'être assuré de fonds suffisants pour y faire face.

4. C'est un principe admis en matière de compta-

(1) Il se peut que par suite de circonstances imprévues la fabrique soit amenée à faire une dépense pour laquelle le budget ne prévoit qu'une allocation insuffisante ou ne prévoit même aucun crédit. Il y aura lieu, dans ces cas, d'appliquer les règles 2, 3 et 4, relatives aux crédits spéciaux et aux transferts, que nous avons indiquées dans les *Collationes*, I, p. 82, sq.

bilité, de n'approuver aucun budget qui se clôture en déficit.

Lors donc que les ressources dont dispose la fabrique ne suffisent pas pour couvrir toutes les dépenses inscrites à son budget, il faut, si l'on veut éviter la suppression ou la réduction de certains articles, s'assurer du concours de la commune, et porter en recette un subside suffisant pour équilibrer le budget. Une démarche personnelle auprès du chef ou d'un membre influent de l'administration communale n'est jamais inutile en pareille circonstance.

Du reste, ce concours de la commune aux frais du culte est obligatoire, en cas d'insuffisance constatée des revenus de la fabrique (art. 92, § 1 du décret de 1809 et art. 131, § 9 de la loi communale). Cette preuve d'insuffisance doit être faite, soit à la feuille d'observations, soit, mieux encore, dans une délibération spéciale, prise à cet effet par le conseil de fabrique et jointe au budget.

Les fabriques doivent s'attacher à ne faire aux conseils communaux que des demandes sincères, c'est-à-dire bien fondées et bien motivées, afin de n'en pas compromettre le succès. La preuve d'insuffisance de revenus ne sera pas admise à moins qu'il ne conste que la fabrique tire partie de *toutes* les ressources que la loi met à sa disposition, et qu'elle se borne aux dépenses légales et *obligatoires*.

La commune n'est pas tenue d'intervenir, si le déficit résulte de dépenses *facultatives,* comme sont celles inscrites aux articles 36, 37 et 38 du budget. En conséquence, si la commune appelée, dans ce cas, à intervenir en vue d'équilibrer le budget, donne un avis défavorable, les autorités chargées d'approuver le budget ne mientiendront pas le crédit inscrit à l'article 17 comme « *Supplément de la commune* », mais elles supprimeront ou réduiront préalablement les crédits

inscrits aux articles ci-dessus mentionnés. Voir p. ex. les arr. roy. du 29 Janvier 1889, du 25 Juin 1890, du 21 Janvier 1891, du 22 Juillet 1893, du 15 Novembre 1895 ; et le très récent arrêté du 21 Mars 1896, qui réduit le supplément de traitement du desservant en vue de rétablir l'équilibre du budget.

Note. Lorsque le déficit prévu n'est pas très considérable, et que l'on espère pouvoir en réaliser le montant en économisant sur certaines allocations portées en dépenses, le conseil de fabrique est autorisé à inscrire à l'article 28, sous la rubrique : *Somme à réaliser par économie — Som bij spaarzaamheid te verwezenlijken,* la somme nécessaire pour équilibrer le budget.

5. Au budget qui sera dressé pour l'année 1897, on doit inscrire dans la colonne à ce destinée, en regard des diverses allocations budgétaires, les chiffres figurant au compte de 1895. (1) Ces chiffres, mentionnés à simple titre de renseignements, serviront de comparaison aux allocations nouvelles ; et les observations consignées par les conseils de fabrique en tête des budgets « doivent contenir l'explication de toutes les modifications de quelque importance proposées au budget sur les recettes et dépenses des comptes antérieurs ». Circ. minist. du 15 Mai 1885.

Chaque observation doit porter en tête le numéro de l'article auquel elle s'applique.

6. « Lorsque des augmentations de traitement sont accordées aux clercs ou employés de l'église, le conseil de fabrique devra joindre à l'appui du budget la délibération motivée qui aura été prise en vue de cette augmentation. Si ces augmentations n'ont pas été prévues et justifiées au budget, on ne peut les inscrire

(1) Les chiffres du compte, à porter au budget qu'il s'agit de soumettre à l'approbation, doivent être inscrits tels qu'ils ont été réglés et arrêtés par l'autorité supérieure, et non pas tels qu'ils avaient été proposés par le conseil de fabrique.

au compte correspondant sans une autorisation spéciale de la Députation.

« Lorsque les fonctions de clerc, de sacristain et d'organiste sont exercées par une même personne, il y a lieu de mentionner le traitement collectif au nº 16, en indiquant dans la colonne d'observations les diverses fonctions exercées. » *Ibid.*

7. « Toute dépense qui ne concerne pas la célébration du culte, dans le sens restreint de ce mot, ne peut être inscrite dans le chapitre Ier. Néanmoins, la Députation permanente ne peut *réformer* les crédits ou dépenses qu'il contient. » *Ibid.*

On peut inscrire à l'article 6 de ce chapitre les frais occasionnés par la distribution des SS. Huiles (1).

8. « Les crédits inscrits au budget sous les articles 27 à 35 devront être appuyés de renseignements suffisants pour permettre d'apprécier si ces dépenses sont réellement nécessaires, et si elles incombent bien à l'église en ce qui concerne les articles 39 et 31 ». Circ. du 15 Mai 1885.

Quant à l'entretien de l'horloge (art. 34), la même circulaire observe qu' « il ne s'agit ici que de l'horloge appartenant à la fabrique. »

9. Plusieurs inscrivent dans la colonne destinée aux *crédits alloués au budget,* le réliquat du dernier compte approuvé. C'est une erreur ; car, en agissant ainsi, ils font figurer deux fois la même somme, vu que le réliquat du dernier compte approuvé constitue un des éléments qui servent à déterminer l'excédant ou le déficit présumé de l'exercice courant (2).

L'excédant ou déficit du dernier compte (1895), dont il est fait respectivement mention aux articles 19 et 51, doit donc être porté, à titre de renseignement, dans la colonne réservée aux *sommes portées au compte* de 1895,

(1) Voir decr. Congr. prosyn. 14 Maii 1870, n. 9 (*Coll. epist. pastoral.*, T. XII, p. 97).

(2) Voir *Collationes*, I, p. 309, ss.

et nullement dans celle destinée aux allocations budgétaires pour l'exercice 1897. Voir circulaire de Mgr Malou, 17 Mars 1856 (*Coll. epist. pastoral.*, T. VIII, p. 309 et 311); et circulaire minist., 10 Août 1870.

10. Les auteurs des formules des budgets et des comptes ont réservé, à la suite de chaque subdivision, un espace pour y transcrire, par ordre de littéra, les recettes et les dépenses de la même catégorie qui n'y sont pas spécialement libellées.

Notamment dans le chapitre II des dépenses, il a été laissé, aux articles 50 et 61, des blancs destinés à recevoir celles qui n'ont pas été classées sous des rubriques déterminées; et, aux termes de la circulaire du 15 Mai 1885, « il conviendra de réserver l'un de ces alinéas à la *musique,* qui forme souvent un poste important de la comptabilité des églises urbaines. Il en est de même du *chauffage* (1) de l'église (et de la sacristie). Les frais de *processions* (2), des *solennités religieuses* (3), ceux faits pour les *services funèbres* (tentures, ornements extraordinaires, main d'œuvre, etc.) et les *dépenses imprévues* (4) y trouveront également leur place. Il en sera également des frais des *Te Deum* (circulaire du 17 Juillet 1884), des *services* pour les *Souverains-Pontifes,* les *Evêques,* les *membres de la fabrique,* les *bienfaiteurs* de l'église, suivant les instruc-

(1) Le charbon ou le bois pour le chauffage de l'église et de la sacristie pourrait aussi être compris sous la dénomination de *Objets de consommation* dont il est fait mention au chapitre Ier des dépenses.

(2) Ces frais doivent être compris parmi les dépenses *obligatoires* dans lesquelles la commune est tenue d'intervenir en cas d'insuffisance des ressources de la fabrique. Arr. roy. du 15 Novembre 1895 (*Moniteur*, p. 4495).

(3) Ces solennités sont déterminées, soit par l'usage, soit par les statuts diocésains ou d'autres prescriptions émanées de l'autorité ecclésiastique; tels sont les jubilés, les missions, l'adoration perpétuelle, le mois de Marie, etc. Cfr. decr. Congr. prosyn. 16 Junii 1871, n. 7 (*Coll. epist. pastoral.*, T. XII, p. 44).

Les *honoraires des prédicateurs* peuvent aussi être portés à l'article 39.

(4) Voir *Collationes*, I, p. 82 sq.; et circulaire de Mgr Malou, 17 Mars 1856 (*Coll. epist. pastoral.*, T. VIII, p. 311).

tions de l'autorité diocésaine ou l'usage des lieux. »

Ces divers crédits devront être inscrits au n°s 50 ou au n° 61, d'après qu'il s'agit d'une dépense ordinaire ou d'une dépense extraordinaire.

On doit inscrire encore à l'article 50 les *aumônes* (1) et les *fondations de prix de catéchisme*.

Les *sommes rejetées* du dernier compte approuvé (1895) et sujettes à rappel, doivent figurer au budget de 1896 (à l'article 52bis ou à l'article 61), pour être ensuite portées au compte de cet exercice. (2)

11. Les diverses expéditions des budgets doivent être en tout point conformes entre elles.

12. Quant aux pièces justificatives qui doivent accompagner l'envoi du budget, elles ne sont guère très nombreuses. Nous avons signalé les principales dans les observations faites ci-dessus, sous les n°s 1, 4, 6 et 8. Les chiffres du compte précédent, portés en regard des allocations nouvelles, fournissent le meilleur moyen d'apprécier les chiffres du budget ; la feuille d'observations contient d'ailleurs l'explication de toutes les modifications de quelqu' importance apportées au budget antérieur.

Comp. Vouriot, *Manuel des conseils de fabrique,* p. 8 ; Leroy, *Instructions pratiques sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'églises,* p. 7 ss.; Moulart, *Des fabriques d'églises,* 8e édit., p. 592 ss. ; Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique,* p. 121 et p. 432. ; Mgr De Brabandere, *Compendium juris canonici,* 5e édit., p. 357 et p. 487 ss.

C. V. C.

(1) Dans l'état actuel de la jurisprudence, les fondations d'aumônes, antérieures à la loi du 3 Juin 1859, continuent à être administrées conformément aux actes d'autorisation, et les clauses relatives à la distribution de ces aumônes doivent être observées. Le bureau de bienfaisance n'a pas le droit de réclamer la gestion de ces fondations, et les distributions charitables doivent être faites par les personnes que les fondateurs ont désignés. Voir dépêche ministérielle du 1 Mai 1885 ; arr. roy. du 9 Novembre 1886, du 29 Mars et du 6 Juillet 1889, du 29 Août 1891, etc.

(2) Voir *Collationes*, I, p. 86.

Ex S. Rom. et Univ. Inquis.

In casu stipitis intermedii ex duobus inter se iterum in 2° gradu consanguineis, tria habentur et debent declarari impedimenta.

Beatissime Pater,

Non raro contingit in Gallia matrimonio jungi sponsos in secundo æquali consanguinitatis gradu devinctos, quorum subinde soboles, post secundam generationem, easdem iterum in eodem gradu prohibitas nuptias appetit contrahere; ex quo fit ut, in hoc posteriori casu, sponsis duplex communis stipes originis existat, unus quidem principalis et remotior, in quarto gradu, alter vero intermedius et proximus, in secundo.

Jamvero, in his circumstantiarum adjunctis, non una est auctorum sententia circa numerum impedimentorum eaque declarandi necessitatem.

Alii enim unicum putant dari in casu dirimens impedimentum consanguinitatis, nimirum in secundo æquali gradu, nec ulterius, tacto semel stipite proximiori, esse attendendum ad stipitem remotiorem quarti gradus, eo quia, ajunt, prohibet canonica jurisprudentia quominus stipes idem bis in enumeratione impedimentorum adhibeatur.

Alii e contra, præter impedimentum præfatum secundi gradus, de quo nulla esse potest controversia, duplex aliud haberi contendunt quarti gradus æqualis impedimentum, necessario, sub periculo nullitatis declarandum; unum quidem, dum sponsi linea per avum, et linea sponsæ per aviam, usque ad communem stipitem quarti gradus protenditur, alterum autem, dum, inversa ratione, ad eumdem gradus quarti stipitem ducitur linea sponsi per aviam, atque per avum linea sponsæ: nec isti auctores læsam reputant allatam superius regulam quæ vetat utique ne utraque linea simul per eamdem personam transeat, minime vero impedit transitum per duas diversas, mariti et uxoris (avi et aviæ) personas, intermedium stipitem constituentes.

Quidam demum utramque sententiam existimant in jure probabilem, nec ad validitatem matrimonii referre utrum prima (de unico impedimento) an posterior (de triplici impedimento) adhibeatur in praxi.

His positis, quandoquidem in dies crescit lugendus sane numerus matrimoniorum inter consobrinos, ad compescendos angores conscientiæ, Episcopus Cenomanensis ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus, humiliter postulat sequentis dubii solutionem :

In casu stipitis intermedii (secundi gradus) ex duobus inter se iterum (in secundo gradu) consanguineis constituti, utrum unicum existat et declarari debeat in libello supplici dispensationis impedimentum consanguinitatis, videlicet illud solum quod ex hoc proximiori stipite intermedio procedit ;

An insuper duo alia habeantur et declaranda sint impedimenta, provenientia ab remotiori stipite communi (quarti gradus) per lineas in stipite intermedio conjunctas.

Fer. IV. die 11 martii 1896.

In Congne genli S. .Rom. et Univ. Inquis., proposita suprascripta instantia, E^{mi}, ac R^{mi} D^{ni} Cardinales Inqres Genles, præhabito R^{morum} Consultorum voto, respondendum decreverunt :

Negative ad 1um, Affirmative ad 2um.

Sequenti vero fer. V, 12 d^{i}, SS^{mus} D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII, in audientia r. p. D. Adsessori S. O. impertita, relatam subi Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare dignatus est.

J. Mancini Can. Magnoni, *S. R. et U. I. Not.*

Ex sacra Congregatione Rituum

I.

SENOGALLIEN.

Rector cujusdam Ecclesiæ Parochialis intra fines Diœceseos Senogalliensis, de consensu sui Ordinarii, sequens dubium enodandum Sacræ Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum : An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiæ fiunt, tam præsente, quam absente cadavere, exponi valeat ejusdem defuncti imago; et quatenus negative, an saltem tolerari possit hujusmodi usus, ubi viget.

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, reque accurate perpensa, rescribendum censuit :

Ad dubium : *Negative quoad primam partem ; et quoad alteram: Curandum ut eliminetur abusus.*

Atque ita rescripsit, die 30 Aprilis 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Præf.

L. † S. A. Tripepi, *Secretarius.*

II.

VALVEN. ET SULMONEN.

R^mus^ D^nus^ Tobias Patroni Episcopus Valven. et Sulmonen. timens ne, sub specie pietatis erga defunctos, sensim subrepant abusus decorem Domus Dei temerantes, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime postulavit, nimirum :

An deceat in parietibus Ecclesiæ vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit : *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Præf.

L. † S. Aloisius Tripepi, *Secretarius.*

III.

URBIS.

Nonnulli Calendariorum redactores a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem supplicibus votis efflagitarunt, nimirum :

I. An in officiis votivis inter se concurrentibus Vesperæ dividi semper debeant juxta peculiarem Rubricam, vel considerari potius debeat ratio dignitatis juxta decretum *Evulgato* diei 14 Augusti 1894 ?

II. An privilegium, quod Rubricæ Generales Breviarii tribuunt Octavis Festorum Domini et Deiparæ, ut nempe illæ cedant tantum in concursu duplicibus secundæ classis, istæ vero solis duplicibus majoribus, intelligendum sit de solis octavis ad Festa primaria pertinentibus, an de octavis quibuscumque ?

III. Dies octavi Festorum primariorum, Archangelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, et Ss. Apostolorum, suntne judicandi digniores in ordine ad prælationem, in concursu cum aliis duplicibus minoribus ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. et II. *Affirmative* quoad primam partem, *Negative* quoad secundam.

Ad III. *Affirmative*.

Atque ita rescripsit, die 22 Mai 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Præf.

L. ✝ S. A. Tripepi, *Secretarius*.

IV.

RUTHENEN.

E^mus et R^mus D^nus Cardinalis Christianus Ernestus Bourret, Episcopus Ruthenen. Sacram Rituum Congregationem pro sequentis dubii solutione enixe rogavit, nimirum :

Utrum, post Decretum generale die 9 decembris 1895 editum *De Missa conformi Officio Ecclesiæ vel Oratorii publici* (1), Calen-

(1) Vide *Collationes* pag. 90 ; Cfr. etiam pag. 259.

dario loci, an vero celebrantis respondere debeant Missæ, quæ celebrantur in Capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, reque maturo examine perpensa, proposito dubio respondendum censuit : Dummodo agatur de Capella principali, quæ instar Oratorii publici ad effectum memorati Decreti habenda est, *Affirmative* ad I, *Negative* ad II.

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Præf.

A. Tripepi, *Secretarius*.

L. † S.

Jurisprudence administrative

Etablissements publics — Vente d'arbres ; émoluments des notaires.

Nous recommandons aux administrations fabriciennes de ne pas perdre de vue la circulaire de M. le Gouverneur, en date du 11 Novembre 1895, contenant les dispositions prises par la Députation permanente en vue de régler les émoluments dus aux notaires qui prêtent leur ministère à des ventes d'arbres, pour compte des établissements publics. L'application du tarif élaboré par la Députation permanente aura pour résultat de mettre un terme à certains abus qui ont été constatés et de concilier les intérêts des établissements publics et ceux des notaires.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

Habitæ die XIX Maii 1896, in Palatio Episcopali, Brugis.

I.

Auctoritate apostolica Nobis concessa, omnibus parochis diœcesis nostræ subdelegamus facultatem : « Dispensandi super occulto impedimento primi, nec-« non primi et secundi, ac secundi tantum gradus « affinitatis, ex illicita carnali copula provenientis, in « matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata « sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab « Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque « periculo gravis scandali, differri queat : remota sem-« per occasione peccandi, et firma manente conditione « quod copula habita cum matre mulieris, hujus nativi-« tatem non antecedat ; injuncta in quolibet casu « pœnitentia salutari. »

Facultas, quam parochis subdelegamus, pro *foro conscientiæ* ac *in actu sacramentalis confessionis* dumtaxat exercenda, ab ipsis in usum deduci potest, etsi pœnitens *multiplici,* at *occulto,* ligetur impedimento affinitatis illicitæ, v. g. si quis cum duabus sororibus sponsæ peccaverit, vel cum persona *multipliciter* sponsæ suæ consanguinea. (Dec. S. Pœnit., de die 30 Julii 1873).

Bene attendantur hujus concessionis verba :

1. Dicitur *parochis ;* omnibus enim confessariis subdelegari hæc facultas nequit. Attendant igitur confessarii *non parochi* ut nonnisi salvo in omnibus sigillo, remittant pœnitentes hujusmodi ad proprium parochum. Si periculum qualecumque sit violationis sigilli, recurrat confessarius ad episcopum, ut antea.

2. *Super* OCCULTO *impedimento* (non autem OMNINO OCCULTO, id est, quod probari nequit saltem per duos testes, in foro externo) ; proin dispensari potest super impedimento, si illud paucis tantum notum sit, uti quinque vel sex personis in oppido, septem vel octo in civitate, dummodo ex qualitate personarum et aliis circumstantiis periculum divulgationis non oriatur.

3. *Quando tamen omnia parata sint ad nuptias,* etc. Regulariter loquendo, non ante tres circiter hebdomadas obtinetur dispensatio a S. Pœnitentiaria.

4. *Remota semper occasione peccandi,* carnaliter scilicet cum consanguineo vel consanguinea partis insontis.

5. *Firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat ;* ne quis scilicet exponatur periculo nubendi propriæ filiæ.

6. *Injuncta in quolibet casu pœnitentia salutari ;* v. g. quotidiana, per octiduum, recitatione quinquies *Pater* et *Ave,* vel recitatione quinque decadum Rosarii, etc.

Sedulo notandum quod si, una cum *impedimento occulto affinitatis illicitæ,* concurrat *impedimentum publicæ honestatis,* ortum ex sponsalibus validis licet occultis, aliudve impedimentum, recurrendum erit ad Episcopum, qui ipse, si nihil obstiterit, dispensationem super utroque impedimento concedet, vi indulti pontificii, quo gaudet, dispensandi dum *impedimenta* aut *gradus* multiplicari contigerit.

—

N. B. Ad executionem dispensationis quod attinet, confessarius, postquam pœnitentem absolverit a censuris et peccatis, imposita et acceptata pœnitentia, de qua sub 6, addat sequentia :

« Et insuper, Auctoritate apostolica, mihi subdelegata, dispenso tecum super impedimento affinitatis illicitæ... *(indicetur gradus),* ut, eo non obstante, matrimonium publice, servata Concilii Tridentini forma, contrahere et in eo postmodum remanere licite

valeas. In nomine † Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. »

Si pœnitens absolutionem sacramentalem accipere nequiverit, confessarius, peracta confessione, dispensationi præmittat absolutionem a censuris, his verbis :

« Auctoritate apostolica, mihi subdelegata, absolvo te a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, quibus innodatus forsan existis, ad effectum præsentis gratiæ tantum consequendum, et dispenso tecum, etc. » *(ut supra)*.

—

II.

Ampliantes decretum in Congr. prosynodali anni 1878, Art. X, latum, omnibus confessariis in diœcesi nostra admissis concedimus facultatem absolvendi a quibusvis casibus, sive Nobis sive Apostolicæ Sedi quomodolibet reservatis (excepto casu *Falsæ denuntiationis*, per Bullam Benedicti XIV : *Sacramentum Pœnitentiæ* specialissime reservato) :

1. Operarios in alienam regionem laborandi causa, quovis anni tempore, profecturos, qui infra quindenam quæ eorum discessum præcedit, confitentur ;

2. Eosdem operarios, qui, prima vice a suo regressu in patriam, ad confessionem accedunt.

*
* *

Eamdem facultatem iisdem concedimus confessariis, in gratiam pœnitentium, qui cupiunt ad sacram Mensam accedere, die qua congregatio aut sodalitas, cujus sunt membra, *communionem generalem* instituit.

III.

Missæ fundatæ in una ecclesia, celebrari nequeunt in alia, tum intra, tum extra diœcesim, nisi de consensu Episcopi, qui, vi indulti pontificii, id, justis accedentibus causis, permittere potest.

IV.

Ad tramites decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium, de die 17 Decembris 1890, quod « Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ diœceseos, « in quibus mulierum communitates existunt, idoneos « sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos « pro Sacramento Pœnitentiæ recurrere eæ facile « queant », designamus confessarios omnes pro monialibus approbatos, modo et moniales et confessarius ad eumdem pertineant decanatum.

V.

Nullus convictus *(penssionnat)* sive juvenum, sive puellarum, erigatur absque prævio Episcopi consensu.

VI.

Specialiter advigilent parochi ut tempestive renoventur indulgentiæ plenariæ, quas, ad præfinitum tempus, in eorum ecclesiis lucrari possunt fideles, uti sunt indulgentia de *Portiuncula,* indulgentiæ pro certis Octavis Sanctorum concessæ, etc. Ne autem, elapso concessionis tempore, fideles in errorem inducantur et his subsidiis spiritualibus priventur, præcipimus ut indulgentiæ hujusmodi, addita die qua cessant, adnotentur in tabella in sacristia appendenda.

VII.

Consensum ordinarii, requisitum ut gaudeat quis privilegiis et facultatibus concessis sacerdotibus, qui pio operi Propagationis Fidei curam impendunt, (quæ videre est in *Florilegio* Ampl. Dni De Schrevel, edit. alter., pp. 287, sqq.), omnibus et singulis diœcesis nostræ sacerdotibus, pro tempore quo conditiones requisitas adimpleverint, impertimur.

VIII.

Quum per sacros canones vetitum sit ne bona immobilia ecclesiarum vendantur, permutèntur, ultra triennium elocentur, etc., nisi legitima de causa et accedente

beneplacito Apostolico ; quumque consensus, nomine pontificio, præstandi licentia Nobis facta sit per indultum S. Congregationis Concilii, de die 27 Septembris 1895, « constito in singulis casibus de evidenti utilitate aut necessitate contractus », ideo :

1. Omnibus parochis in mentem revocamus, tribus mensibus ante elocationem bonorum ecclesiæ suæ, ad Nos transmittendum esse dictorum bonorum elenchum, juxta modum assignatum in litteris circularibus venerabilis Decessoris nostri Joannis-Baptistæ Malou, de die 25 Maii 1860 *(Collec. epistol. pastor.,* tom X, p. 186); idque ut elocatio proposita, a Nobis, mutatis, si oportuerit, mutandis, approbetur.

2. Ubi evidens ecclesiæ necessitas aut magna utilitas boni alicujus immobilis suaserit alienationem, permutationem, etc., ne desuper deliberent consiliarii Fabricæ, ac multo minus deliberationem concilii ad auctoritatem civilem transmittant, quin prius totam rem ad Nos detulerit parochus, eaque sedulo examinata, licentiam, si ita Nobis visum fuerit, ulterius procedendi obtinuerit.

IX.

Taxa pro ærario cleri, quæ mense Octobri hujus anni venit solvenda, solvetur ineunte mense Januario proximo, quod solutionis tempus deinceps servabitur.

Quod *rem socialem* attinet, juxta programma ab Episcopis Belgii editum, vota emissa sunt et a Nobis sancita de quibusdam operibus instituendis aut fovendis, quorum erectio aut incrementum, inspectis circumstantiis, in diœcesi nostra tum magis urgere, tum universalius seu plerisque in locis obtineri posse videtur.

Deliberationi præmissæ sunt animadversiones quædam maximi momenti.

Animadversio I. Curandum est ut in parochiis, præsertim majoribus, *diversa opera religiosa ac socialia inter se connectantur,* ita ut sine intermissione ab infantia

ad senectutem usque homines prosequamur, tum temporalibus auxiliis, tum salutari religionis influxu ; et sic omnia in eumdem finem, nempe salutis civitatis et Ecclesiæ, convergant.

ANIMADVERSIO II. *Influxus religionis* maxime exercetur *per institutionem christianam* puerorum, et *per pias associationes,* congregationes, patrocinia, cujuvis nominis. Ideo, cum res sit summi momenti, non possumus non revocare in memoriam quæ de re scholari recenter ad dilectum clerum nostrum scripsimus. Quod autem pias associationes spectat, enixe oramus et adhortamur sacerdotes cunctos ut omnibus viribus atque opibus eas foveant ac evolvant, et, ubi forte nondum existerent, eas quæ adjunctis magis aptantur quantocius erigere satagant.

ANIMADVERSIO III. Tam spiritualis boni quam temporalis felicitatis hominum, præcipue operariorum, infensissimos inter hostes hodiernos est pestis *alcoolismi* et nimiæ compotationis, cui opponenda habemus præsidia *sobrietatis* et *parcimoniæ*. Igitur, opportune et importune, publice et per domos, commendemus sobrietatem et parcimoniam, præter alia hac in re præstanda, de quibus statim.

Hisce præmissis notationibus, jam de operibus quæ strictiore sensu socialia appellant, sint sequentia :

I. PRO PUERIS. In scholis, jam ab infantia excitentur pueri ad amorem sobrietatis, v. g. adscriptione (masculorum saltem) *operi anti-alcoolismi ;* item ad amorem parcimoniæ per participationem arcæ parcimoniæ *(Spaarkas).* — Ne autem degeneret parcimonia in avaritiam, vigilantes magistri et magistræ facile impedient, suadendo parvulas eleemosynas solitas pro S. Infantia, etc., et sæpius inculcando eleemosynam numquam peperisse paupertatem.

II. PRO ADOLESCENTIBUS. In scholis dominicalibus et adultorum, in congregationibus et conservatoriis,

simili modo continuetur utrumque opus anti-alcoolismi et arcæ parcimoniæ.

Præterea, pro puellis, nihil forte efficacius ad eumdem finem boni temporalis ac spiritualis operariorum, quam scholæ quas vocant *écoles ménagères,* « huishoudscholen », quibus fit ut filiæ postea fiant bonæ matresfamilias, et, tum virum a tabernis contineant, tum filios suos rite instituant. Has proinde scholas in majoribus præsertim parochiis florere libenter et non sine spe maxima salutis in re sociali ubique videremus.

Denique, pro juvenibus ad militiam vocatis, opus summe laudandum est quod dicitur conscriptorum *(conscrits),* quo invigilatur his juvenibus tum in die sortitionis et concilii militiæ, tum in profectu ad exercitum et in ipso præsidio ubi degunt, servando amicale commercium, dando litteras commendatitias eleemosynario militum, curando adscriptionem circulo, ut aiunt, militari, etc.

Idem fere dicendum de curandis operariis, exteram regionem petentibus, laboris exercendi causa, de quibus vide scripta in periodico « Collationes Brugenses, » n° mensis maii, tom. I, pag. 260 et sqq., ibique cit. Opusc. *Reisboekje voor de « Franschmans.* »

III. Pro viris et mulieribus, præcipue patribus ac matribus familias. Opus sociale valde efficax et facilioris ac universalioris applicationis est quod mutuorum auxiliorum vocant, *société de secours mutuels,* « onderlingen bijstand, » quod, tum pro operariis, tum pro agricolis, ad varios fines constitui potest, et cui annecti possunt aliæ plures institutiones, assecurationis, mutui, etc. (*assurance, caisse de crédit, de prêts*).

Quacumque ratione constituatur hujusmodi opus, notanda summopere sunt sequentia :

1° Ut annectatur hoc opus alicui associationi piæ seu religiosæ, S. Francisci Xaverii, S. Familiæ, aliusve cujusvis nominis. Secus enim periculum est ne hujus-

modi opus, quod simile est gladio ancipiti, in adversam detorqueatur partem.

2° Quodsi necesse videatur, aliquibus forte in locis, hujusmodi aliamve laicalem societatem respicientem finem directe temporalem erigere independenter ab associatione pia, vel quia plures jam inveniuntur qui huic adscribi non consentirent vel propter alias circumstantias, tum sedulo attendatur ne influxus religionis omnino desit. Minimum autem quod hac in re salvum manere debet, hoc est ut *a*) opus sit parochiale, *b*) constitutum sub patrocinio alicujus Sancti, cujus festivitas celebretur, *c*) aliquis e sacerdotibus sit e concilio operis vel ecclesiasticus ejus præpositus, *d*) ut funera membrorum, dummodo sint religiosa, ex ære communi solvantur.

3° Curandum ut concilium operis coalescat ex membris activis, simul et ex protectoribus. Quod quidem inter alia plura commoda pro ipsa societate, et hoc commodum non spernendum habebit, ut videlicet arctior conjunctio inter classes humani convictus servetur et foveatur.

4° Non admoveatur manus ad opus, nisi petito consilio superiorum ecclesiasticorum, necnon virorum, qui hujus rei periti atque experti sint.

Tandem IV. Pro senibus, pauperibus aliisque miserabilibus personis speciatim, summopere commendamus erectionem et incrementum operis numquam laudandi satis *Conferentiarum S. Vincentii a Paulo.*

* * *

Hæc sunt, reverendi Domini ac dilectissimi cooperatores, quæ in cœtu prosynodali tractavimus et decrevimus, quæque observanda et exequenda, summa cum fiducia, zelo vestro sacerdotali committimus.

Obsequentissimus famulus vester in Christo.

† G. J., Episc. Brugen.

Brugis, 8 Junii 1896.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

I

Ex I Reg. XXIII, 10-13 proba Deum habere scientiam quam vocant *mediam,* seu certo cognoscere futura libera conditionata.

II

Explana Luc. I, 68, 69: *Benedictus Dominus, Deus Israël, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ: Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.*

III

Quænam sunt diversæ opiniones catholicorum circa dies creationis?

IV

Quo sensu bona temporalia dicuntur ex jure naturæ *omnibus communia?*

V

Ostende *proprietatem privatam* in præsenti ordine esse necessariam.

VI

Un curé fait inhumer, sans autorisation préalable de l'officier de l'état civil, et dans un compartiment non bénit du cimetière, un enfant mort-né et non baptisé. Comment appréciez-vous, au point de vue de la législation civile, cette manière d'agir?

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Junii propositas

—

I

Q. Distincte propone rationes propter quas S. Paulus I Cor. charitatem omnibus charismatibus virtutibusque excellentiorem existimat.

R. S. Paulus charitatem omnibus charismatibus virtutibusque excellentiorem existimat:

1. Propter ejus *absolutam necessitatem,* ita ut cetera omnia, sive charismata sive bona opera, absque ea nihil prosint ad salutem. Lege I Cor. XIII, 1-3.

2. Propter ejus *miram efficaciam,* qua bona quæcumque pariat, mala quævis cohibeat. Lege ibid. vv. 4-7.

3. Propter ejus *intrinsecam perfectionem,* ob quam, ceteris omnibus cum hac vita cessantibus, utpote natura sua imperfectis, ipsa sola sit in æternum permansura. Vide ibid. vv. 8-13.

G. V. D. P.

II

Q. Indica septem discrimina inter Apostolos eorumque successores Episcopos; necnon tria discrimina inter jurisdictionem universalem Petri et jurisdictionem universalem aliorum Apostolorum.

R. A. *Septem discrimina inter Apostolos eorumque successores Episcopos:*

1. Apostoli, qua tales, erant testes *de visu* resurrectionis Christi. Non ita Episcopi.

2. Apostoli immediate a Christo Domino vocati et electi sunt ad munus suum. Secus Episcopi.

3. Apostoli jurisdictionem suam immediate a Christo acceperunt. Episcopi vero jurisdictionem suam probabilius immediate a Romano Pontifice, adeoque nonnisi mediate a Christo accipiunt.

4. Singulorum Apostolorum missio ac jurisdictio universalis erat. Non ita missio ac jurisdictio singulorum Episcoporum.

5. Apostoli immediate a Deo edocti sunt universam revelationem christianam, adeoque primi exstiterunt doctrinæ christianæ promulgatores. Secus Episcopi.

6. Singuli Apostoli erant infallibiles in proponenda doctrina christiana. Non ita Episcopi, nec singuli, nec omnes simul seorsum a Romano Pontifice sumpti.

7. Apostoli habebant charisma miraculorum, quo sibi doctrinæque suæ certam fidem conciliarent. Non ita Episcopi.

R. B. *Tria discrimina inter jurisdictionem universalem Petri et jurisdictionem universalem aliorum Apostolorum :*

1. Jurisdictio universalis Petri erat *ordinaria,* seu ad successores ejus, Romanos Pontifices, transitura : jurisdictio autem universalis aliorum Apostolorum erat *extraordinaria*, seu cum morte eorum cessatura.

2. Jurisdictio universalis Petri se extendebat non solum in fideles, sed etiam in omnes et singulos ejus coapostolos : jurisdictio vero aliorum Apostolorum se non extendebat in eorum collegas.

3. Jurisdictio universalis Petri erat independens ac suprema : jurisdictio autem aliorum Apostolorum, sive singulorum, sive omnium simul sumptorum, erat dependens ac jurisdictioni Petri subordinata.

G. V. D. P.

III

Q. Expone et demonstra Deum Filium procedere a Patre per generationem ?

R. Verba *expone* et *demonstra,* significant hic agi de

duplici consueta quæstione : de quæstione scilicet *an sit* cum sua demonstratione, et de quæstione *quomodo sit.*

Ergo primo demonstratur Filium procedere a Patre per generationem et secundo inquiritur quonam modo hæc generatio efficiatur.

I. Filius procedit a Patre per generationem.

Demonstratur. Ille 1) qui vocatur *filius* alicujus patris; 2) qui vocatur *filius proprius* illius patris ; 3) qui in ipsa ratione filiationis opponitur ut *filius naturalis* aliis qui sunt filii sed tantum per adoptionem ; 4) qui dicitur *filius unigenitus ;* 5) de quo dicitur Deum Patrem ipsum *genuisse ;* ille certe procedit ab illo patre, sicut filius naturalis a patre naturali, id est, *per generationem.*

Atqui secunda persona SS. Trinitatis, seu Deus Filius, frequentissime in Sacra Scriptura : 1) vocatur *Filius* Dei Patris; 2) vocatur *Filius proprius* Dei Patris; 3) opponitur in ipsa ratione filiationis ut *filius naturalis* tum angelis, tum sanctis hominibus, qui adoptione tantum filii sunt ; 4) dicitur *filius unigenitus ;* 5) et de ipso dicitur Deum Patrem *ipsum genuisse.*

Ergo secunda persona SS. Trinitatis, seu Deus Filius, ut filius naturalis a patre suo naturali procedit, id est per generationem.

Demonstratur minor per partes :

1) Deus Filius dicitur *Filius Dei Patris.* Nam innumera sunt loca Sacræ Scripturæ in quibus secunda persona SS. Trinitatis, vocatur *Filius Dei ;* ut v. g. in Ps. II, 7 : « *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu* ». Hæc enim verba, tum ex indole totius istius psalmi, tum testante ipso Sancto Spiritu in epistola ad Hebræos I, 5, de Deo Filio dicta esse certum est. Ergo secunda persona SS. Trinitatis dicitur *Filius Dei.*

2) Deus Filius dicitur *Filius proprius* Dei Patris. Scribit enim sanctus Paulus ad Romanos VIII, 32, de

secunda persona SS. Trinitatis : « *proprio Filio suo non pepercit Deus.* » Ergo secunda persona SS. Trinitatis dicitur non tantum Filius sed et Filius *proprius* Dei.

3) Deus Filius opponitur in ipsa ratione filiationis ut *filius naturalis* tum angelis tum sanctis hominibus qui adoptione tantum filii sunt;

Nam : a) nomen *Filius Dei* prædicatur de Deo Filio et de aliis ita ut evidens sit Deum Filium *diverso modo* Filium esse Dei ac illos alios. Nunquam enim in ratione filiationis Deus Filius sese confundit cum aliis. Nam, quando loquitur de Dei Patris paternitate, nunquam sese simul sumit cum aliis ita ut unico et communi vocabulo Deum vocet : *Patrem nostrum ;* sed semper sese ab aliis separat et duplici nomine aut voce dicit : *Patrem meum* et *Patrem vestrum,* uti apud Joann. XX, 17, quando dicit : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Hic autem modus loquendi nullam rationem haberet si eodem modo esset Filius ac sancti angeli et homines. Ergo diverso modo Filius Dei est ac illi qui tantum adoptivi sunt.

b) Nomen Filius Dei ita prædicatur de ipso ut evidens sit illum *eminentiori modo* Filium esse Dei quam alios ; nam α) vocatur Filius Dei simpliciter, alii vero cum restrictione. β) Vocatur Filius *dilectus,* alii non. γ) Vocatur ὁ υἱὸς cum articulo, alii non. δ) Vocatur Filius *numero singulari,* alii vero vel in numero plurali id est, *confuse,* vel, si in numero singulari, aut *indefinite* aut *collective* aut *typice.* Ergo *eminentiori modo* Filius est ac illi qui adoptivi tantum sunt.

c) Scriptura Sacra clare indicat eminentiam hujus modi esse præcise in hoc quod ipse sit *Filius naturalis,* alii vero adoptivi tantum ; nam α) alii dicuntur *facti esse* filii et quidem per ipsum. Ipse vero dicitur simpliciter esse Filius, uti apud Joannem I, 12 « *dedit eis potestatem filios Dei fieri* » ; β) ad Hebræos I, 5, negatur *alios esse* filios, Ipsum vero solum hoc nomine gaudere

dicitur ; •) quando in Sacra Scriptura comparatur hominibus, qui sanctitate eminent, vel angelis, dicitur Ipsum his omnibus majorem esse præcise ex eo quod illi sint famuli et servi tantum, Ipse vero *Filius Dei vivi* (Matth. XVI, 16 et 17), *unicus Filius carissimus,* (Marc. XII, 6), *Filius quem Pater genuit* (ad Hebræos I, 4, 16), *Filius in domo sui Patris* (ad Heb. III, 6).

Ergo secunda persona SS. Trinitatis est non tantum *Filius* et quidem *proprius* sed et *naturalis.*

4) Apud Joannem I, 14, 18 ; III, 16, 18 et in 1ª Joann. IV, 9 dicitur *Filius unigenitus ;* et 5) de ipso dicitur in Ps. II, 7 et CIX, 3 Deum Patrem ipsum *genuisse.* In Ps. II enim legitur : *Ego Hodie genui te* ». Atqui ipsa indoles Psalmi, ipseque S. Spiritus ad Hebr. I, 5, testantur hæc verba de Deo Filio a Deo Patre dicta esse.

Ergo secunda persona SS. Trinitatis non tantum dicitur *Filius* Dei Patris et quidem *proprius* et *naturalis* sed et *genitus* a Deo Patre.

Ergo procedit a Deo Patre per generationem.

II. Exponitur propositio seu indicatur *quomodo sit* hæc generatio.

Hæc generatio seu processio fit per operationem intellectus. Filius enim pluribus locis S. Script. vocatur *Verbum.* Ergo generatio Filii est elocutio Verbi divini. Quum autem Filius in ipso Patre ab æterno sit, Verbum istud est internum et mentale ; et quidem ab omni æternitate expressum. Verbum internum autem et mentale quid est aliud quam idea ? Quum autem ab omni æternitate Deus Pater nihil aliud mente concipere potuit quam semetipsum, sequitur hanc ideam esse illam qua Pater semetipsum cognoscit, qua semetipsum exprimit. Verbum ergo illud, quod est Filius Dei, est idea a Patre concepta et Ipsum Patrem repræsentans, ita ut Deus Filius sit repræsentatio seu imago intellectualis substantiæ Patris, proindeque *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* (Hebr. I, 3). « Cur Verbum ?

« dicit Basilius (Hom. XV, n. 3), Ut perspicuum « sit processisse ex mente. Cur verbum ? Quia sine « passione genitum est. Cur verbum ? Quia imago « est Genitoris, totum in se Genitorem ostendens. » — « Tanquam seipsum dicens, scribit Augustinus « de Trinitate, l. XV, c. XIV, Pater genuit Verbum « sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integre « perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius « esset in ejus Verbo quam in ipso. Hoc summe illud « agnoscitur *Est, est ; non, non* (Matth. V, 37) ; et ideo « Verbum hoc vere veritas est, quoniam quidquid est in « ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est. Et « falsum habere aliquid hoc Verbum nunquam potest ; « quia immutabiliter sic se habet, ut se habet de quo « est. »

Quod autem processio Filii per operationem intellectus fiat, adhuc ostendi potest ipsa ratione theologica. Omnis actio enim et proinde processio in Deo actus est vitalis et operatio immanens. Operatio vero immanens in spiritu alia non existit nisi operatio intellectus et operatio voluntatis. Quum autem nihil sit volitum nisi cognitum, operatio intellectus natura et ordine saltem præcedit operationem voluntatis ; et quum Fides nos doceat processionem Filii primam esse, sequitur processionem Filii esse per operationem intellectus, per conceptionem ergo alicujus ideæ, quæ conceptio merito generatio appellatur. Ex quo sequitur processionem Filii seu generationem Verbi posse intelligi ad modum quo intelligimus generationem seu conceptionem idearum apud nos, mutatis tamen mutandis, notando scilicet :

1° Hanc ideam, quam Deus Pater habet de semetipso, id est, Verbum, esse ejusdem omnino naturæ ac Pater non tantum *specie* sed et *numero*.

2° Hanc ideam seu Verbum non esse in Deo Patre aliquid accidentale tantum, sed tantæ perfectionis ut

sit figura perfectissima et substantialis subsistens ipsius substantiæ Patris.

3° Hanc ideam seu Verbum esse ideam infinite comprehensivam totius Patris, ita ut in se exprimat non tantum naturam Dei qua in se una est, sed etiam qua in tribus personis subsistit et qua ad extra imitabilis est. Exprimit ergo, seu potius generando Filium Deus Pater intelligit, tum essentiam divinam, tum personas divinas, tum res finitas saltem ut possibiles. (1)

4° Tandem Deum Patrem, quum sit actus purus, non tantum generando cognoscere, sed ab omni æternitate esse actu cognoscentem et ab omni æternitate Filio cognitionem actu communicantem, ita ut apud Deum Patrem actus cognitionis nequaquam generationis actum præcedat.

V. J. C.

IV

Q. Quænam est moralitas actus *ex objecto boni* ad *finem malum* relati ?

R. Distinguendo :

I. Si actus ex objecto bonus eligatur ut *merum medium* utile ad finem malum consequendum, adeo ut finis malus sit *totalis et adæquata* causa eum ponendi, actus absque dubio est *totaliter malus*. Ratio est quia in hujusmodi casu, voluntas in illud quod secundum se bonum est tendit sub ratione mali : honestas objecti nullo modo appetitur ratione sui, sed assumitur præcise quatenus est medium pravi finis assequendi, et ideo nullam potest bonitatem in actum refundere. Sit exemplum illius qui vult dare eleemosynam præcise

(1) Dicitur *saltem* ut possibiles; quia plures sunt auctores qui tenent res creatas, quæ in aliqua temporis parte existentiam obtinent, ad hanc cognitionem divinam qua Filius procedit non pertinere. Hanc tamen sententiam rejicimus.

propter vanam gloriam : in hoc actu, objectum formale voluntatis non est eleemosyna ut quid honestum, sed ut purum medium ad malum et instrumentum mali, secundum quam rationem est malum ; unde formaliter in ratione objecti attacti ab hac volitione non est bonum objectum, sed malum. Ita docet S. Thomas, 1-2, q. 19, art. 7, ad 2 ; item in 2, dist. 38, q. 1, a. 4, ad 4 ; et auctores communiter.

II. Si actus ex objecto bonus non eligatur ut merum medium ad finem malum, sed etiam propter propriam ipsius operis honestatem (vel propter alium finem bonum) appetatur, adeo ut pravus finis non sit nisi *causa partialis* eum ponendi, actus ille, juxta sententiam quæ nobis præferenda videtur, *aliquando* est *partim bonus, partim malus, aliquando totaliter malus* (1).

Et quidem A. Actus est *partim bonus, partim malus,* si finis in actum influens tanquam causa partialis, sit tantum *venialiter* malus ; et præsertim si finis iste malus se habeat per modum motivi allicientis.

Imprimis, quamvis repugnet ut *unus* actus, si accipiatur prout est *in genere moris,* simul sit bonus et malus (S. Th., 1-2, q. 20, a. 6), et quamvis similiter impossibile sit ut bonum et malum, si sumantur prout actum *absolute et simpliciter* denominant, in eodem actu qui *in esse physico* est unus numero, simul reperiantur ; ex hoc tamen non sequitur non posse simul in eodem actu, ex diversis principiis, conjungi bonitatem aliquam et malitiam moralem. « *Nihil prohibet,* inquit S. Thomas, *actioni habenti unam prædictarum bonitatum* (scilicet ex objecto, vel ex circumstantiis, vel ex fine) *deesse aliam : et secundum hoc contingit actionem, quæ est bona secundum speciem suam, vel secundum circumstantias, ordinari ad*

(1) Juxta nonnullos, v. g. Salmanticenses, *De bonit. et malit. act. hum.*, disp. VI, dub. I, ille actus est semper totaliter malus ; juxta alios, est semper partim bonus, partim malus. Cfr Suarez, *De bon. et mal. act. hum.*, disp. VIII, sect. 1 ; Billuart, *De act. hum.*, diss. IV, art. 4, § 2.

finem malum, vel e converso (1-2, q. 18, a. 4, ad 3). Idem habet in 2, dist. 36, q. 1, a. 5.

Si ulterius quæratur quomodo in eodem actu possit simul adesse aliqua bonitas et malitia moralis, hoc intelligi potest ex eo quod bonitas vel malitia formaliter sit in voluntate; in casu autem de quo agimus, duplex est voluntas, una tendens in bonum, altera tendens in malum; et quum hæ voluntates, licet distinctæ, non tamen sint subordinatæ, duplex virtualiter est actus in uno opere, unus quo bonum amatur propter se, alter quo bonum amatur propter finem malum. Sic volitio eleemosynæ partim propter propriam honestatem misericordiæ, partim propter vanam gloriam, non est mera electio, sed etiam intentio: in quantum est electio, terminatur quidem ad eleemosynam ut est medium ad finem inanis gloriæ; sed, in quantum est intentio, terminatur ad eamdem eleemosynam secundum se, et a propria et intrinseca ejus bonitate movetur, quam ideo in se et propter se amat. Quum vero tendentia in finem venialiter malum voluntatem non avertat simpliciter a fine ultimo, electio mala non impedit quominus agens simul serio intendat propriam bonitatem objecti; et ideo, cum tali tendentia, actus vere bonus et coram Deo meritorius consistere potest. Hoc præsertim est tenendum, si — quod frequentius occurrit — finis venialiter malus sese habeat tantum per modum motivi allicientis, quo agens impellitur ut ad opus bonum se accingat. Tunc enim voluntas in agendo primario movetur ex ipsa rei exequendæ bonitate.

B. Actus est *totaliter malus,* si finis, licet causa tantum partialis, sit *mortaliter* malus. Ratio est quia talis intentio voluntatem totaliter avertit a fine ultimo, qui est suprema regula morum; et, quamvis physice non repugnet, in concreto tamen vix contingere potest ut quis objectivam actus honestatem sincere intendat simulque eumdem actum in finem graviter malum

referet et sic totaliter a Deo recedat. Cæterum, etiamsi affectum aliquem bonum habeat, hic in considerationem vix venit, quum sit inermis velleitas quæ voluntatem efficaciter non retineat in ordine recti ; nec prohibere potest quominus tota actio denominari debeat mala.

Cfr. Bouquillon *Theol. mor. fund.*, edit. 1ª, n. 399, et edit. 2ª, n. 359 ; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. I, n. 32 ss.; Theol. Mechl. (a 1895), *De act. hum.*, n. 25.

C. V. C.

V

An et cur charitatem lædit qui proximum odit odio abominationis ; item qui proximo vult malum quatenus ipsi malum est ?

R. ad 1m. Charitatem lædit qui odio abominationis odit proximum secundum ipsam naturam vel gratiam, aut secundum aliquam qualitatem bonam. Non lædit charitatem qui odio abominationis proximum odit tantum secundum aliquam qualitatem malam. — Etenim « amor debetur proximo secundum id quod a Deo habet, id est, secundum naturam et gratiam ; non autem debetur ei amor secundum id quod habet a seipso et diabolo, scilicet secundum peccatum et justitiæ defectum. Et ideo licet habere odio peccatum in fratre, et omne illud quod pertinet ad defectum divinæ justitiæ ; sed ipsam naturam et gratiam fratris non potest aliquis habere odio sine peccato. » S. Th. 2-2, q. 34, a. 3 corp.

Ad 2m. Charitatem lædit qui vult proximo malum quatenus ipsi malum est, ita ut in eo malo sistat, id ipsum tanquam proprium suum bonum apprehendendo. Non lædit charitatem qui proximo vult malum quatenus ipsi malum est, ita tamen ut istud malum ad bonum altius ordinate referat. Sic agit qui, zelo justitiæ, in

pœnam delicti legitime inferendam, delinquenti vult aliquod malum temporale quatenus ei malum est, sed ut bonum sit aliis et communitati. — Etenim prior affectus est vere odium inimicitiæ, amori amicitiæ seu charitatis directe oppositum ; alter affectus nullum tale odium includit, sed cum recto ordine charitatis consistit imo ex ipsa charitate oriri potest. Cf. S. Th. 2-2, q. 108, a. 1 corp.

Nota. Multi AA. odium inimicitiæ dicunt actum volendi proximo malum qua ipsi malum est: hæc tamen assertio indiget explicatione quam statim dedimus. Et revera, ex consensu omnium, possum alicui velle malum qua ei malum est, referendo istud malum ad *ipsius* majus bonum. Ita « pater flagellans filium ut ipsum hac ratione a peccando deterreat et ad bonum compellat, vult ei verbera qua dolorifera et consequenter quatenus ei sunt mala, nam hac ratione continent malum pœnæ: quia tamen pater hac ratione intendit magnum filii bonum, eodem illo actu eum vere amat, quia implicite vult ei bonum sine comparatione majus eo malo quod ipsi vult; nec vult ei malum nisi quatenus ad illud bonum obtinendum est necessarium. » Ægid. de Coninck, *de actib. supernat.* disp. 29, dub. 1, n. 18. Sed quamvis malum pœnæ interdum referibile non videatur in ipsum bonum delinquentis, adeoque motivum charitatis *erga ipsum* deficiat, adhuc tamen potero ipsi velle malum temporalis pœnæ qua tale, referendo istud ad alia bona altiora et ob alia motiva honestissima, justitiæ, boni communis, honoris divini tuendi. Qui actus, nedum charitatem lædat, ab ordinata Dei ac proximi charitate sæpe imperabitur. Apposite S. Thomas q. disput. unica de char., a. 8, ad 10 : « Licite potest ille ad quem ex officio pertinet, malefactores punire vel etiam occidere, eos ex charitate diligendo... Possumus enim illis quos ex charitate diligimus, velle aut inferre malum temporale, propter tria. Primo quidem, propter

eorum correctionem. Secundo, in quantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicujus multitudinis vel etiam totius Ecclesiæ... Tertio, ad servandum ordinem divinæ justitiæ, secundum illud Ps. LVII, 2 : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* »

Vide utramque solutionis partem explicatam breviter apud Bouquillon, *de virt. theolog.* n. 515 et 520, fusius apud Æg. de Coninck, l. c. dub. 3 et dub. 1.

O. E. D.

VI

Sacerdos, ratione stipendii accepti, obligatur ad celebrandam missam votivam in honorem S. Joseph, in aliqua feria IV, qua officium recitatur feriale, vel ad libitum singulorum, votivum de illo sancto. — Quænam missa celebranda ; quænam in illa orationes et præfatio dicendæ ; an recitanda *Gloria, Credo* et ultimum Evangelium S. Joannis *In principio,* sive missa sit privata, sive cantata aut solemnis ?

Prænotandum est hic non esse quæstionem de missa *votiva solemni stricte dicta,* quæ pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, cum solemnitate extrinseca celebranda, auctoritate Ordinarii præscribitur aut ab Ordinario permittitur. Cum enim supponitur sacerdotem obligari ratione stipendii accepti, non agitur nisi de *votiva privata,* de tali scilicet, quæ ex causa privata, nimirum speciali devotione aut desiderio sive sacerdotis sive ejus qui missam petit, celebratur solemniter vel privatim. (Cfr. Ill. Vanderstappen, Tract. de rubr. Miss. Sect. II, cap. 2, q. 2 et sqq.)

His præmissis, sacerdos recitavit vel officium feriale, vel officium votivum de S. Joseph :

I. Si recitavit officium feriale, sive missa legatur, sive cantetur (etiam solemniter cum assistentia diaconi et subdiaconi) celebrat missam, more votivo, utpote non

correspondentem officio persoluto, — a) Et quidem missam propriam S. Joseph juxta formulare missæ quæ correspondet officio votivo feriis quartis per annum concesso per indultum 5 Julii 1883, non autem juxta formulare missæ festi 19 martii ; ita statutum est per decretum *in Lincien.* 3 Junii 1892 (1) ; — b) Tres ad minus orationes sunt dicendæ : prima, oratio substantialis missæ de S. Joseph ; secunda, quæ officio diei correspondet, in casu de feria ; dein omnes sunt faciendæ commemorationes quæ in missa conformi officio faciendæ essent ; unde si illa die (v. gr. infra adventum, quadragesimam vel in quatuor temporibus) occurrit commemoratio vigiliæ vel festi simplicis, tertia oratio erit de vigilia vel de simplice, et si utraque occurrit, tertia oratio erit de vigilia et quarta de simplice ; si autem nulla specialis commemoratio facienda est, ad perficiendum numerum *trium* orationum, tertia erit ea ex orationibus ordinariis seu commemorationibus communibus quæ in missa diei secundo loco poni debuisset, juxta diversitatem temporis vel missæ, scilicet de B. M. V., vel *A cunctis* (omisso nomine S. Joseph), vel de Spiritu Sancto (si v. g. ageretur de feria in qua flt de vigilia omnium Sanctorum). Si autem collecta de SS. Sacramento ratione Expositionis, vel oratio imperata ex præscripto Ordinarii, vel utraque dicenda venit, ideo nulla ex præscriptis orationibus omitti potest, v. g. ut, tertio loco dicatur oratio de Venerabili vel imperata, sed hæ aliis tribus vel pluribus per rubricas præscriptis superaddendæ sunt. Tres igitur ad minus orationes requiruntur, aliquando autem plures quam tres dici debent, quando scilicet in missa diei duæ vel plures commemorationes fiunt, vel orationes imperatæ addendæ sunt. Insuper præter requisitas, potest etiam celebrans in missis votivis, sicuti in festis simplicibus,

(1) Vide calend. 1894, p. 39.

alias addere ad libitum orationes votivas (1), ita ut numerus omnium sit quinque vel septem, sed in hoc casu curandum ut numerus omnium simul sit impar et collecta de SS. Sacramento, vel imperata, vel utraque ponantur post commemorationes speciales vel etiam post orationem communem quæ tertio loco addenda præscribitur, sed ante orationes votivas quas celebrans ad libitum adjungit. — c) Hymnus *Gloria* omittitur sicut in aliis votivis privatis (paucis exceptis). — d) *Credo* numquam dicitur. — e) Cum missa S. Joseph non habeat propriam præfationem, si uti votiva celebratur infra tempus anni pro quo præfatio propria assignatur, hæc dicitur, (ita in quadragesima et tempore paschali); secus dicitur præfatio communis (2). — f) Semper dicitur in votivis (stricte dictis) ultimum Evangelium S. Joannis *In principio*. (Rubr. gen. Miss., tit. XIII, n. 2.)

II. Si autem sacerdos recitavit officium votivum de S. Joseph, distinguendum est inter missam privatam seu lectam et missam cantatam.

Si celebrat missam lectam, eam celebrat non more votivo sed festivo, utpote conformem suo officio (3). a) Sumenda est eadem missa *Adjutor et protector* correspondens officio votivo ; — b) Prima oratio erit de S. Joseph prout habetur in hac missa. « *Secunda et*

(1) Orationes istæ votivæ desumi possunt, non tantum ex orationibus diversis quæ in fine Missalis inveniuntur, sed etiam ex missis de Communi vel de Proprio, dummodo hæ missæ ut votivæ celebrari possint.

(2) Non est in casu facienda mentio præfationis alicujus octavæ, cum officium votivum non dicatur infra octavas.

(3) « Non sunt missæ votivæ stricte sumptæ illæ quæ celebrantur conformes officiis votivis, concessis Indulto Apostolico 5 julii 1883, pro singulis hebdomadæ diebus liberis ; modo sacerdotes has missas celebrantes officia respectiva recitaverint... Inscribuntur tamen in Missali Romano « Missæ votivæ », eo scilicet sensu, quod sicuti « Officia votiva » quibus correspondent, non sunt missæ propriæ eorum in quibus dicuntur dierum anni ecclesiastici ; vel quod sunt missæ propriæ Officiorum votivorum ». Ita Ill. Vanderstappen, Tract. de rubr. miss. Romani, sect. II, cap. 2, q. 1.

tertia oratio erunt ut in semiduplicibus pro diversitate temporis. Fient quoque commemorationes de simplice ac de feria... prout de iis actum est in respondente officio votivo per annum » (Rubr. missis votivis per annum præfixa). Tres ergo dicendæ sunt orationes sicuti in semiduplicibus, et plures dici non possunt, nisi plures quam duæ sint faciendæ commemorationes, vel nisi addenda sit collecta SS. Sacramenti vel imperata. Secunda oratio ergo erit de feria majori (in adventu, quadragesima vel quatuor temporibus), vel de vigilia, vel de simplice, si occurrunt. Si duæ faciendæ sunt commemorationes, secunda ponitur tertio loco, et si tres, tertia quarto loco, etc. Si nulla commemoratio occurrit facienda, secunda et tertia orationes erunt communes juxta diversitatem temporis, vel 2da *A cunctis* et 3a *ad libitum,* vel 2da B. M. V., 3a *Ecclesiæ* aut pro Papa. Si autem una commemoratio fit, tertia oratio erit illa, quæ exclusa hac commemoratione, poneretur secundo loco. — c) *Gloria* dicitur et — d) *Credo* omittitur juxta eamdem rubr. præfixam missis votivis per annum. — e) Præfatio erit de tempore vel communis ut supra. — f) Ultimum Evangelium erit de feria majori vel vigilia de qua nona lectio homiliæ fuit recitata in officio, secus erit Evangelium S. Joannis : *In principio.*

Si autem missa est cantata, celebranda est more votivo (ut supra ad I), juxta decretum S. R. C. in *Marianopolitana* 18 julii 1885 (1) : « An extra ecclesias, quarum kalendario rite addita fuerunt officia votiva per decretum 5 julii 1883 concessa, privilegium *personale* ad libitum ista recitandi missasque respondentes more festivo celebrandi, sic intelligi debeat, ut in *cantandis missis* ac *vesperis* (salvo jure missas more stricte votivo celebrandi) *ne commemoratio quidem de iisdem fieri possit?* R. Affirmative. » Jamvero ecclesiæ, quæ juxta decretum

(1) Citatum in Calend. liturg. anni 1887, p. 40.

generale 5 julii 1883 rite addere possunt kalendario suo officia votiva, sunt solæ cathedrales, collegiatæ et conventuales: « Capitula et Ecclesiasticorum communitates » quæ « choralem recitationem » peragunt et quibus datur indultum « persolvendi officia votiva per annum loco officiorum ferialium,... de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario semel pro semper approbando ». Quoad autem privatam recitationem (pro illis qui ad chorum non tenentur) datur indultum « ad libitum singulorum de Clero », non autem ecclesiæ cui inserviunt. Officium ergo hujus ecclesiæ qua talis, manet feriale et consequenter in *publicis functionibus* v. gr. in Vesperis cantandis et in Missa cantanda, negligendum est officium votivum, et si missa in cantu celebranda est de Sancto cujus officium recitavit celebrans, rubricæ missæ *votivæ* servandæ sunt juxta decretum citatum 18 julii 1885.

H. V. D. W.

Evangelia dominicarum

DOM. XV POST PENTEC.

Jesus verwekt van de dooden den eenigen zoon eener weduwe van Naïm. Luc VII, 11-16.

Te dien tijde 11. ging Jesus naar eene stad, genaamd Naïm, en met hem gingen zijne leerlingen en eene groote schare. 12. Als hij nu de poort der stad naderde, zie, zoo werd een doode uitgedragen, een eenige zoon zijner moeder, en deze was eene weduwe; en eene groote schare uit de stad was met haar. 13. En de Heer haar ziende, werd van medelijden over haar bewogen, en zei tot haar: Ween niet! 14. En hij trad toe, en raakte de lijkbaar aan (de dragers nu stonden

stil), en hij zei : Jongeling ! ik zeg u, sta op ! 15. En de doode zat overeind, en begon te spreken. En hij gaf hem aan zijne moeder. 16. En vreeze beving hen allen, en zij verheerlijkten God, zeggende : Een groote profeet is onder ons opgestaan ! en : God heeft zijn volk bezocht !

Notationes.

12. *Filius unicus matris suæ : et hæc vidua erat* « Bene justam miraculi faciendi occasionem, imò neccessitatem indicat Evangelista, cùm quàm flebile esset funus Domino obvians describit. Flebile enim erat triplici de causa. Primùm, quòd adolescens esset mortuus, in ipso flore vitæ ereptus. Deinde quòd filius viduæ, quæ filii præsentiâ se consolabatur de morte mariti. Postremum, quòd unicus esset filius, et quod est majus, unigenitus. Græca enim habent, μονογενης. Non parùm enim auxit viduæ dolorem, quod destituta viro, etiam orbata esset eo quem solum genuerat, et ob id tenerrimè dilexerat, ex quo etiam nondum nepotes susceperat, privata jam non solùm omni consolatione, sed et omni spe posteritatis. Itaque fieri non potuit quin casu tam miserando et justissimis fletibus viduæ moveretur misericordissimus Dominus, cujus occursus et obtutus semper felix est et faustus... Sic et modo occurrens viduæ, eamque flentem videns, misertus est ejus, et qui viduarum maximè curam gerit, sese illi quæ consolatorem non habuit, consolatorem efficacem præbuit, et verbis et re opitulans. Quique fere fidei quorumdam et precibus ad miraculum commoveri solet, hic jam sola misericordia movetur. » Jan. Gand. — *Et turba civitatis multa cum illa.* « Observa morem funeris, ut amici notique comitarentur, nec abesset mater : qui mos, non tantùm exhibiti mortuo

honoris officium fuit, verùm etiam pietatis, opus Deo gratum, cui placent talia pietatis officia, quibus significatur, mortuorum corpora ad Dei providentiam pertinere, et fides resurrectionis adstruitur... Porrò quòd multi hìc sint comitati, indicium fuit, non infimæ sortis mulierem eâ in civitate fuisse, cui, ut Ambrosius ait, *gravitatis meritum exequiarum turba conciliat.* Denique multitudo comitum viduæ unà ex parte, ex alterà turba copiosa adhærens Jesu, postremò locus publicus, proximus portæ civitatis, ubi egredientium et ingredientium concursus, ubi et forum esse consueverat, tam rerum venalium quam judiciorum, fecerunt ad hoc ut miraculum proximè edendum, celeberrimum ac testatissimum fieret. *Divino nutu,* ait Beda, *multa Dominum turba, multa viduam comitabatur, ut viso tanto miraculo, multi testes, multi fierent Dei laudatores* ». Luc. Brug.

13. *Quam,* flentem, ejulantem, ac gravissime afflictam, *cum vidisset Dominus, misericordia motus.* « Non solùm voluit ei subvenire, verùm etiam sponte hanc affectionem in se suscepit, ut de ejus malis doleret: est enim misericordia, alienæ miseriæ in cor proprium admissio, ita ut eâ crucieris. Non continet autem gratiam suam, donec rogetur, quemadmodum aliàs, sed omnium preces antevertens, matri nihil tale exspectanti, ultrò beneficium confert, sola movente misericordia: tanta est ejus ad sublevandas hominum miserias promptitudo, et signanter viduarum, quarum susceptorem, id est, defensorem et consolatorem, frequentissime se nominaverat Psal. 145 v. 9. qualem et hìc reipsa se exhibet. » Luc. Brug. — *Noli flere.* « Primùm ergo verbis eam consolatur, dicens : *Mulier, noli flere.* Non enim deflenda erat mors ejus qui mox majori cum gloria et lætitia matris erat victurus. Deinde, quoniam exiguæ aut vanæ est misericordiæ verbis tantum consolari, cui possis re et opere subvenire, ne vana esset ejus consolatio, *accessit, et tetigit loculum,* in quo effere-

batur defunctus repositus. Perfectam ergo misericordiam Dominus hic exhibet, dum et in corde movetur misericordia, et verbis eam consolatur, et ipso facto miseriam viduæ sublevare studet. » Jans. Gand.

14. *Steterunt* « Non mirum eos Jesu obtemperasse, doctori adeo celebri et miraculis claro, quem tanta discipulorum populique turba comitatum coràm viderent. — *Adolescens.* Alloquitur mortuum tamquam vivum, ut Deus, cujus solius vocem mortui possunt audire, *qui* (ut Apostolus ait Rom. 4. v. 17,) *vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt,* vocandoque facit ut sint. — *Tibi dico.* Non orat Deum Patrem, quod fecerant Prophetæ Elias et Elisæus simili occasione ; sed ipse jubet et morti imperat, ostendens quòd non aliena, sed suâ potestate utatur, quà æqualis sit Patri, et vitæ ac mortis imperium obtineat non minùs quàm Pater, unus cum Patre Deus. Mortuis enim imperare, et vocis imperio ad vitam revocare, solius Dei est. Quasi dicat : ita mihi placet, sic volo, sic jubeo » Luc. Brug.

15. *Resedit... et cœpit loqui* « Non ait Evangelista *revixit* sed *resedit et cœpit loqui :* hoc enim efficacius est, ita ponens resurrectionem, ut simul eam probet manifestis indiciis, *ne cui secundum externam tantùm faciem, et non verè resuscitatus videretur,* ait Titus. *Siquidem sedere et loqui, vere exsuscitationis argumenta sunt : corpus enim exanime, neque sedere neque loqui potest.* » Luc. Brug. — *Et dedit illum matri suæ* « ut cujus jam non erat nisi benignitate Domini, illi fuisset novo dono datus. » Jans. Gand.

16. *Accepit,* invasit, corripuit *autem omnes,* præsentes maximo numero, *timor* « non quo malè sibi à Domino metuerent, sed qualis nasci solet ex stupore magno, dum nova aliqua et insolita res accidere videtur. — *Et magnificabant,* glorificabant *Deum, dicentes : quia propheta magnus surrexit in nobis,* etc. Dicunt autem,

magnus, vel quia ex miraculi magnitudine videbant eum aliis prophetis potentiorem, vel quia intelligebant, eum esse illum prophetam à Moyse promissum, Deuteron. 18. hoc est, esse Messiam expectatum. Dicunt, *Deus visitavit plebem suam,* hoc est, curam se plebis suæ habere jam declaravit, cum nullos longo tempore nobis mittens prophetas, visus sit nostri oblitus, nec singularem nostri rationem habere. Aut si turba Dominum fuisse Christum credebat, visitasse dicunt Deum plebem suam, quòd promissa in populo judaico jam complere cœperit. Verùm verba magis videntur significare, populum, nihil altius de Domino suspicatum, quàm quod propheta quispiam esset insignis. Non enim Græci hîc habent articulum » Jans. Gand.

Moralia.

« Circa hanc historiam primùm observandum, Dominum ex omnibus mortuis, unum tantum excitasse, sola misericordia ipsum commovente, nulliusque precibus interpellatum, idque filium viduæ. Hoc enim demonstravit, se viduarum maxime esse consolatorem, ac viduarum lacrymis maxime commoveri, quemadmodum id ubique de Deo Scripturæ prædicant. Sic et viduæ solius filium suscitavit Elias, et Elisæus viduæ inopiam miraculo olei multiplicati sublevavit, et Petrus precibus viduarum flexus puellam nomine Dorcadem suscitavit. Quibus omnibus et nos docemur, viduis et desolatis potissimùm hominibus adesse.

Secundò observandum, quod Dominus suscitaturus filium viduæ, eidem priùs fletum prohibet, dicens: *nòli flere:* docens scilicet, ob spem resurrectionis, mortem amicorum non deflendam immoderatè. Unde Paulus: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.* I Thess. IV.

Observandum tertiò, quod Dominus non verbis tantùm se viduæ exhibuit consolatorem, sed et re ipsa,

docens scilicet non verbis tantùm miserorum afflictionem leniendam, sed et opere, quatenus in nostra est potestate.

Moraliter verò in hac vidua exprimitur, quod quotidie mater Ecclesia facere debeat, cum aliquem adolescentium suorum quos genuit Christo, hoc est, eorum qui nondum virile in virtutis profectu collegerunt robur, contigerit letali aliquo peccato è vita spiritus excidere, imò jam per manifestam ipsius impietatem, à mundi cupiditatibus deferri è porta civitatis, quæ est Ecclesia, ad sepulchrum æternæ desperationis. Vidua enim modò est Ecclesia, ut quæ destituta est corporali præsentia sponsi sui in cœlos sublati. Habet hæc filios multos, et inter hos quosdam viros, quosdam adolescentes, sed quos singulos ita diligere debet, ac si quisque unicus esset. Habet portas suas, per quas ejicit mortuos, ne fœtore cadaveris inficiantur et alii. Habet portas, per quas recipit à Domino revocatos ad vitam. Itaque si quis adolescens adhuc apertè jam mortuus, à suis cupiditatibus extra portas Ecclesiæ defertur ad sepulchrum æternæ perditionis, mater Ecclesia necdum planè desperans, multis comitata suis civibus, prosequi debet funus lacrymis, gemitu, lamentis declarans quod optat. Sic fiet ut Ecclesiæ suæ occurrens pius Dominus plorantem consoletur, et ejus solius permotus lacrymis, primùm quidem manu sua contacto loculo, stare faciat funeris bajulos, hoc est, finem imponat impiis cupiditatibus, quæ cessaturæ alioqui non fuerant donec mortuum sepelevissent in profundum malorum, aut inferni. At tum quidem spes bona est redituræ vitæ, siquidem primus gradus ad resipiscentiam est, non progredi in malis ; sed non redit vitæ vigor nisi mortuo loquatur Dominus. Itaque secundò Dominus etiam ad mortuum conversus voce suâ illum resuscitabit, quam quicumque audierit, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Resuscitatus autem et vitæ restitutus qui mortuus

fuerat, erigere se debet ad virtutum opera, et certissimum vitæ documentum loquendo præbere, confessione scilicet peccatorum suorum, et gratiarum actione de divina in se clementia. Sic demùm cùm est matri redditus, sequitur majus gaudium, quam erat prior luctus, sequitur admiratio et prædicatio divinæ bonitatis in multis » Jans. Gand.

« Vivum exemplum est in S. Monica, quæ vidua filium Augustinum hæresi et luxuria mortuum assiduè lugens, eum suis precibus et lacrymis ad vitam sanctam revocavit, imo primarium Ecclesiæ doctorem effecit » a Lapide.

DOM. XIX POST PENTEC.

De gelijkenisse van de genooden tot het bruiloftsfeest van eenen Koningszoon. Matth. XXII, 1-14.

Te dien tijde 1. sprak Jesus tot de oversten der priesters en de Pharizeërs in gelijkenissen, zeggende: 2. Het Rijk der Hemelen is gelijk geworden aan eenen koning, die zijnen zoon een bruiloftsfeest bereid had. 3. En hij zond zijne dienstknechten uit, om de genooden ter bruiloft te roepen; en zij wilden niet komen. 4. Wederom zond hij andere dienstknechten, en zei: Zegt aan de genooden: ziet, ik heb mijn middagmaal bereid; mijne ossen en de gemeste beesten zijn geslacht, en alles is gereed; komt tot de bruiloft. 5. Maar zij gaven er geen acht op, en gingen heen, de eene naar zijne landhoeve, de andere tot zijnen handel; 6. en de overigen grepen zijne dienstknechten, en mishandelden en doodden ze. 7. Als nu de koning dat vernam, werd hij toornig; en hij zond zijne krijgsbenden, en verdelgde de moordenaars, en stak hunne stad in brand. 8. Toen zei hij tot zijne dienstknechten: De bruiloft is wel bereid, maar de genooden waren het niet weerdig. 9. Gaat dan op de uitgangen der wegen, en zoovelen

als gij er zult vinden, roept ze tot de bruiloft. 10. En zijne dienstknechten gingen uit naar de wegen, en vergaderden allen die zij vonden, kwaden en goeden ; en de bruiloft werd vol van aanzittende *gasten*.

11. De koning nu kwam binnen, om de aanzittenden in oogenschouw te nemen, en hij zag daar iemand, die niet gekleed was met een bruiloftskleed. 12. En hij zegt tot hem : Vriend ! hoe zijt gij hier ingekomen, zonder een bruiloftskleed aan te hebben ! En hij verstomde. 13. Toen zei de koning tot de dienaars : Bindt zijne handen en voeten, en werpt hem uit in de duisternisse daar buiten ; daar zal geween zijn en knersing der tanden. 14. Want velen zijn geroepen, maar weinigen uitverkoren.

* * *

Finis hujus parabolæ.

« Ut mihi videtur, mens Christi ante omnia est, ut doceat *(finis primarius)* Judæos à salute Evangelica propter pervicaciam esse excludendos, imo severissime puniendos, gentiles vero in eorum locum esse admittendos. *Secundarius* autem *finis* latet in ultima parabolæ parte, per quam significatur, non omnes qui fidem amplectantur, atque in Ecclesiam admittantur, salvos fore ; sed præter fidem statum gratiæ, i. e. vitam sanctam, ad salutem requiri » Van Steenkiste.

* * *

Parabolæ explicatio.

« Quod attinet ad priorem parabolæ partem (1-10). *Rex* est Deus, et *filius* Verbum seu secunda SS. Trinitatis persona ; per *nuptias filii* designatur conjunctio Christi cum Ecclesia, vel Incarnatio Verbi : utrumque eodem recidit, nam cum incarnatum est Verbum,

Christus Ecclesiam sibi tamquam sponsam copulavit (seu potius : *Nuptiæ* non significant hîc ipsam matrimonialem conjunctionem, vel incarnationem Christi, per quam Ecclesia ei Sponsa facta est, sed nuptiale convivium, splendidum, et magnificum, unde ad ipsum homines dicuntur invitati. Hoc autem non est aliud, nisi ille doctrinæ, Sacramentorum, et gratiarum apparatus, quo Deus tanquam diversis ferculis hominum animas, per fidem sibi copulatas, pascit, et in æternum gaudiis beatæ vitæ pasturus est. Jans. Ipr.) Porro convivium *nuptiale* opipare præparatum (*tauri, altilia,* etc.). in terris per eximia salutis Evangelicæ beneficia, sc. per fidem et gratiam, inchoatur, perficitur autem in cœlis per inenarrabilem gloriam. *Invitati* intelliguntur Judæi, ad quos vocatio Evangelica primum spectabat (Act. 13, 46 *vobis oportebat primum loqui verbum Dei* etc.). *Servi,* qui ad eos mittuntur, non sunt prophetæ V. T. (ut S. Hier. intelligit), per quos jam olim prima invitatio facta fuerat, sed prædicatores Evangelii, qui nunc ipso convivii die invitatos arcessunt. Prima invitatorum series, sc. *eorum qui* suis traditi negotiis *venire negligunt,* complectitur populum ; ipse enim caducarum rerum studio beneficia æterna posthabuit. Ad secundam vero seriem, *eorum qui servos contumeliis afficiunt* et *occidunt,* referuntur principes populi, sacerdotes, seniores, scribæ etc., qui non solum recusarunt fidem recipere, sed insuper præcones ejus male habuerunt, v. gr. Apostolos in carcerem mittentes et flagellantes (Act. 4, 3 ; 12, 3 ; 9, 2 ; 2 Cor 11, 24); imo vero occiderunt, v. gr. Joannem-Baptistam, Christum, Stephanum, Jacobum Zebedæi (Act. 12, 1), Jacobum Alphæi qui et *frater Domini* (Jos. *Ant.* 20, 9, 1) etc. *Pœna* intelligitur præsertim clades sub Vespasiano et Tito illata : igitur *exercitus* sc. Romanorum, *occisio* innumeræ multitudinis, maxime quæ Hierosolymis facta est, *incendium* Templi et Urbis. *Servi extra civi-*

tatem ad exitus viarum missi significant Apostolos in omnes mundi partes jussu Domini ad prædicandum profectos. *Invitati illi obvii, quicumque inveniuntur, mali et boni,* figurant gentiles, qui nulla habita ratione eorum quæ antea fecerint, ad salutem Evangelicam gratuito vocantur. *Cœnaculum* erit *impletum* convivis, quando in fine seculorum ad eum christianorum numerum, quem statuit Deus in Ecclesiam admittere, perventem erit.

Quod attinet ad alteram parabolæ partem (11-13). *Ingressus regis in cœnaculum,* puta initio mensæ, antequam epularum lætitia incipiat, *ad examinandos convivas,* extremum Dei judicium, in exitu mundi futurum, designat (hoc autem includit judicium privatum, quod fit statim post mortem uniuscujusque hominis). *Conviva, cui vestis nuptialis* deest, dici debet christianus, qui per fidem quidem ingressus est Ecclesiam (invitatus fuit, venit, intravit), sed qui splendore gratiæ sanctificantis animam non ornavit; igitur qui in *statu gratiæ* non reperitur, quando Deus eum examinat: iste *obmutescit,* quum ad sui excusationem nihil, ne minimum quid, afferre possit. Ideo in lætitiam convivii cœlestis admitti non meretur, sed angelorum ministerio projicitur *ligatis manibus et pedibus,* i. e. incapax suæ salutis ulterius operandæ, *in tenebras exteriores,* i. e. in infernum detruditur, *ubi erit fletus et stridor dentium,* ubi maximi erunt cruciatus. Itaque *vestis nuptialis* est status gratiæ; adeoque officia pietatis et opera charitatis, quæ præter fidem ad salutem requiruntur, demonstrat. *Ministri* autem sunt angeli. *Interrogatio regis,* et *silentium* hominis pudore affecti, præfigurant ea quæ coram tribunali summi judicis, in extremo judicio, fient. Dein qui *ejicitur e cœnaculo* vices gerit illorum omnium qui *e cœlo excluduntur;* unde etiam *dejectio in tenebras exteriores* significat damnationem ad infernum. Tandem per *fletum et stridorem dentium* intelliguntur cruciatus

summi, tum mœror animi maximus propter pœnam damni et pungentes animi stimulos *(fletus)*, quum tormenta corporis dirissima seu pœna sensuum *(stridor dentium)* : « In fletu oculorum et stridore dentium, ait S. Hier., per metaphoram membrorum corporalium magnitudo ostenditur tormentorum. » Pariter S. Chrys. ait « intolerabiles dolores » indicarî. Van Steenkiste.

*
* *

Parabolæ conclusio.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. « Existimo hanc conclusionem non ad proxima verba (11-13), sed ad totam superiorem parabolam esse referendam, in qua videmus multos fuisse vocatos, paucos venisse, et ex illis ipsis, qui venerunt, non omnes electos esse. Cur ergo unus tantùm ejicitur, cum ex iis, qui in convivium, id est in Ecclesiam ingrediuntur, non unus tantum, sed major pars ejicienda sint, id est condemnandi?... Non difficile responderi potest Christus parabolam non contra Gentiles, sed contra Judæos proposuisse, qui primo loco invitati non tantùm venire noluerunt, sed servos etiam regis, qui se invitabant, contumeliis affectos occiderunt ; de illis ergo conclusit, *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Voluit deindè, quasi obiter etiam docere eos, qui venissent, sive Judæi essent sive Gentiles, non debere sibi confidere, propterea quod in convivium ingressi essent : posse enim ejici, si vestem nuptialem non habuerint ; hoc ut probaret, satis fuit, dicere unum ex discumbentibus, qui vestem nuptialem non habebat, ejectum esse. » Maldonatus.

Perpendenda :

1. Munificentia Dei tantis expensis tam lautum convivium hominibus nihil hujusmodi promeritis, imo *cum inimici essemus* (Rom. V, 10), præparantis...

2. Longanimitas Dei, convivii sui contemtores denuò vocantis, atque ut per fidem accedant, instantis...

3. Stultitia æternas atque ineffabiles divini illius convivii delicias fluxis ac vanis hujus mundi studiis atque cupiditatibus posthabentium ; necnon protervitas talis ac tanti Regis ministros contumeliose tractantium, imo occidentium...

4. Dirissima pœna gentis istius contumacis atque deicidæ : quæ pœna temporalis typus fuit supplicii æterni omnium Evangelii contemtorum...

5. Impudentia, stupor, ac pœna convivæ vestem tanto convivio dignam non habentis... Moneantur igitur Christiani fidem suam nihil ipsis profuturam, nisi vitam egerint fidei christianæ plane consonam. Cnf. Matth. VII, 21-27 ; I Cor. XIII, 1-3 ; Gal. V, 6 ; Jac. I, 22-25 ; II, 14-26 etc.

« Proinde ut et nos cum fructu et ædificatione morum hanc legamus parabolam, curandum nobis in primis ut nec de eorum simus numero qui et invitati et vocati aut noluerunt venire, aut curis et amore rerum hujus sæculi venire neglexerunt, aut denique etiam in ipsos vocantes insurrexerunt. Deinde, ut si vocati obedivimus ingredi ad nuptias, non assimilemur ei qui ingressus fuit, et accubuit sine veste nuptiali, sed vestem innocentiæ in baptismo susceptam conservare studeamus : aut si eam per peccatum aliquod disrumpi aut auferri contigerit, per pœnitentiam resarciamus et reparemus, sequuti consilium Petri : Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Notandum autem circa eum qui e nuptiis ejectus est, illud tantùm in eo fuisse reprehensum, quod non haberet vestem nuptialem, non autem quod vestem haberet sordidam, ut intelligamus quantum judicium maneat eos qui in Ecclesia non tantùm non fulgent bonis operibus, sed malis planè sunt deformes : ac rursum eos qui mensæ Domini non assident quieti,

sed Ecclesiæ communionem et nuptiarum delicias perturbant, quando condemnatur etiam is qui mensæ assidet quietus et deformi veste non redarguitur, sed tantùm quod vestem non habeat nuptialem : Itaque non satis alicui esse debet quòd sit intra Ecclesiam, nec rursùm quod in ea sic sit et sese gerat ut toleretur à fidelibus, nec eorum conspectui displiceat, sed curandum sic se gerat ut oculis etiam Dei placere possit. Hic enim qui regis oculis displicuit, satis placuit reliquis convivis, à quibus ejectus priùs fuisset, si perturbatorem se molestum exhibuisset : quemadmodum et Ecclesia ejicit ante diem judicii manifestè criminosos aut Ecclesiasticæ pacis et communionis perturbatores, reliquos peccatores occultos, aut non ita scandalosos relinquens divino judicio. » Jans Gand.

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De æternitate

I. « Non sum natus præsentibus sed futuris » (S. Stanislaus Kostka). — Etenim *non habemus hic permanentem civitatem sed futuram inquirimus.* — Equidem impii *dixerunt cogitantes apud se non recte... quia ex nihilo nati sumus et post hoc erimus tanquam non fuerimus.., cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tanquam mollis aër... Venite ergo et fruamur bonis quæ sunt et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. — Hæc cogitaverunt* et *erraverunt : excæcavit enim illos*

malitia eorum. — Dominus verò aperte pronuntiavit. *Ibunt hi* (impii) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Ergo quicumque vivit æternum vivet sive miser sive felix ; et post sæculorum myriades, quotquot imaginare licet, nondum erit finis sed semper velut initium sive supplicii sive beatitudinis. Alterutrius æternitatis januam animæ meæ mox aperiet mors : si hæc fuerit bona, cœlum erit sedes mea in sæculorum sæcula : pars mea in æternum cum Sanctis gaudere, cum Christo regnare ! Si vero mala fuerit, infernus domus mea erit in sempiternum ; sors mea perpetuo cum reprobis inter dæmones habitare, diris flammis cruciari ! — Quanta igitur stultitia de rebus præsentibus multùm sollicitari ac vix æterna recogitare et curare ! Quam sapiens vero ille qui sciens practice sese non præsentibus sed futuris esse natum, omnia judicia, affectus et actus efformat et ordinat ad pondus æternitatis, atque continuo annos æternos in mente habens, cum sanctis sæpissime inquirit : « Quid hoc ad æternitatem » ? (S. Alois. Gonz.)

II. *Quid hoc ad æternitatem ?* — Quid *hæc vita* ad æternitatem ? Si durationem spectes, quasi nihilum reputabitur. Audi Sapientem : *Numerus dierum hominum ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt : et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi.* — Et tamen, hæc vita, utut brevissima, principium et semen est æternitatis, sempiternæ gloriæ aut supplicii æterni : quæ enim homo seminaverit in tempore bona vel mala, horum fructum gustabit in æternitate sive dulcem sive amarum : ergo a *momento* vitæ præsentis pendet *æternitas* vitæ futuræ ! O si saperem et hæc constanter præ oculis haberem !...

Quid hujus vitæ *bona* seu *divitiæ* ad æternitatem ? — Facile fiunt in laqueum diaboli easque inordinate possidentibus aut concupiscentibus parient æternitatem infelicem : unde Dominus : *Amen dico vobis, quia dives*

difficile intrabit in regnum cœlorum ; — et iterum : *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* — Nihilominus, secundum intentum Dei illa largientis, bona terrena sunt medium thesaurizandi divitias immortales, juxta illud Psalmistæ : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

Quid *honores ac dignitates* ad æternitatem ? Ex se nihil conferunt, ideoque « vanitas est honores ambire et in altum statum se extollere » ; imo quia ista superbiam nutrire nata sunt, scriptum est : *quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.*

Quid *voluptates et gaudia mundana* ad æternitatem ? Respondet Dominus : *Væ vobis qui saturati ejus : quia esurietis ! Væ vobis qui ridetis nunc : quia lugebitis et flebitis !* — Ergo « vanitas est carnis desideria sequi, et illud desiderare unde postmodum graviter oportet puniri. » — Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat !

Quid tandem *mala seu ærumnæ et tribulationes* hujus vitæ ad æternitatem ? — Audi Paulum : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. — Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* — Momentaneum quod cruciat, æternum quod delectat !

Hæc meditare, in his esto ! *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* — Ab æternitate frequenter cape consilium et juxta illud moderare judicia, affectus et actiones tuas, quatenus sic vivas in tempore ut in æternum vivere cum beatis merearis !

—

Examen circa modestiam clericalem.

—

Modestia clericalis describitur a Tridentino his verbis : « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. » Sess. XXII, cap. 1, *de ref.* — Unde :

Quoad *habitum.* — An fideliter servo statuta diœcesana circa habitum ecclesiasticum ? — An sedulo vito in vestitu omnem mundanam et sæcularem vanitatem, juxta monitum Bernardi : « Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam et ad vanam gloriam. » — Ex adverso an nunquam incedo veste indutus sordida aut lacerata aut pannosa, unde in contemptum vel avaritiæ suspicionem induci possem ?

Quoad *gestum et incessum aliosque corporis motus.* — An in his omnibus servo moderationem ac verecundiam, ne aspicientes possint me arguere morum leviorum, aut rusticorum ?... Speciatim an custodio *oculos ne videant vanitatem ;* nec sino eos quovis divagare, memor consilii Bonaventuræ : « Non multum circumspicias in plateis, ne forte videas unde tenteris postmodum, vel ab oratione impediaris, vel phantasias contrahas eorum quæ intente respexisti ». — An sedulo præsertim observo monitum Sapientis : « Ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. — Virginem ne conspicias nè forte scandalizeris in decore illius. » An *incessus* meus

solet esse moderate gravis, nec segnis nec præceps ; sine brachiorum jactatione seu ventilatione ; vitata quoque affectata cervicis elatione ?... An inter sedendum, præsentibus aliis, caveo ab omnibus quæ minus decent virum bene cultum, qualia sunt : crura longa extendere aut invicem superponere, corpus pigre in latus reclinare : cubitis mensæ incumbere ac caput manu sustinere etc. ?

Quoad *sermonem :* — An sedulo exerceo custodiam linguæ imprimis ut nulla proferat nedum mala veluti detractiones, calumnias, mendacia aliaque charitati aut justitiæ aut castitati contraria ; — sed nec minus decentia, uti trivialia, scurrilia, jocos indecoros, aliaque id genus, quæ in ore sacerdotis male sonant et audientibus non raro scandalum generant ? — Annon facile meipsum laudo, proprias dotes, gesta ac merita extollens ? — Annon laboro vitio loquacitatis ? estne igitur sermo meus parcus et brevis, cum moneat Scriptura : *In multiloquio non deerit peccatum* — et — *in multis sermonibus invenietur stultitia ?* — An ipse vocis tonus est moderatus nec nimis elatus, præsertim in publico, putà in rhedis viæ ferreæ ? « Ipsum itaque vocis sonum libret modestia, nec cujusquam offendat aurem vox fortior », ait Ambrosius. — Annon sum in colloquendo contentiosus, potius pro appetitu laudis quam pro veritate certans ? « Colloquamur sine contentione pacati, ait Aug., non inani ac puerili animositate studentes alterutrum vincere, ut Christus potius vincat in cordibus nostris. » — Nonne sermo meus est arrogans, in quo dominetur *tó ego,* aut nimis assertivus ? « Nunquam pertinaciter aliquid affirmes vel neges ; sed sint tuæ affirmationes vel negationes dubitationis sale conditæ. » Bern. — An attendo etiam ad monitum S. Bonaventuræ : « Loquente alio nusquam loquaris, aut verba loquentium quovis modo interrumpere præsumas. » — An abstineo quoque a cachinnîs,

sciens « quia risus immoderatus intemperantiam quamdam mentis significat » Basil. ; dicente Scriptura : *Fatuus in risu exaltat vocem suam ; vir autem sapiens vix tacite ridebit.*

Quoad *suppellectilem domus aut mensæ :* An in his vito omnem luxum mundanum, cavens « ne in tota mea domo quid appareat, quod non simplicitatem ac vanitatum contemptum præ se ferat » Trid. ; « quum ipsi viri sæculares in ædibus ecclesiasticis id genus non tolerent, sed, etiamsi in facie laudent, a tergo in illud invehantur » Stat. Leod. ? — Nonne mihi exprobrare possunt quod magis sollicitus sum de ornandis mensa ac domo meis, quam de ornandis altaribus ac domo Dei ?

Denique an maxime in *ecclesia* modestiam servo, dum sacra perficio aut divinis intersum officiis, recordatus me versari in *domo Dei quam decet sanctitudo,* vel etiam ministrare Deo totius sanctitatis ; — omniumque oculos in me converti, proindeque ibi præsertim debere *modestiam meam notam esse omnibus hominibus,* ut omnibus sim ædificationi ?

* * *

Sumne ad mortem paratus ? — Si me mors in præsenti statu corriperet, qualem æternitatem mihi aperiret ? — Quid igitur mihi faciendum ut, dum eundum erit in domum æternitatis meæ, usurpare valeam verba Prophetæ : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in donum Domini ibimus.*

Fabriques d'église

Devoirs des fabriciens aux mois d'Août, de Septembre et d'Octobre

1° Avant le 15 Août, le budget de la fabrique doit être transmis en quadruple expédition et avec les pièces à l'appui, au conseil communal qui en délibérera avant de voter le budget de la commune. Art. 1er de la loi du 4 Mars 1870.

Si la circonscription de la paroisse ou de la succursale comprend plusieurs communes ou plusieurs parties de communes, un double du budget est communiqué à chaque commune intéressée. Art. 14 de la même loi.

2° Au mois de Septembre, le bureau des marguilliers s'occupe des questions qui devront être soumises au conseil de fabrique dans la réunion d'Octobre et prépare l'ordre du jour pour cette séance.

3° Le conseil doit s'assembler en séance ordinaire le premier dimanche du mois d'Octobre. Art. 10 du décret de 1809.

Il pourvoit, s'il y a lieu, au remplacement des membres décédés, demissionnaires, etc. ; et délibère sur les objets qui lui sont proposés.

4° Au commencement de l'automne, les marguilliers et spécialement le trésorier, auront soin de faire la visite des bâtiments, prescrite par l'article 41 du décret; ils pourvoiront aux réparations urgentes et veilleront à ce qu'elles soient bien et promptement faites (1).

(1) Voir *Collationes*, I, p. 130 ss.

Jurisprudence administrative

De l'usage des cloches et des clochers des églises

Le *Moniteur belge* a publié récemment deux arrêtés royaux d'une importance considérable au point de vue des légitimes revendications du clergé et de la conscience catholique : le premier, daté du 8 Juin 1896 (*Monit.*, p. 2198 ss.), est relatif à la sonnerie des cloches ; le second, du 13 Juin de la même année (*ibid.*, p. 2324), concerne l'usage des clochers.

Personne n'ignore les contestations pénibles que des administrations hostiles ou ignorantes ont, dans plusieurs localités, suscité à cet égard au clergé ; et chacun connait la solution désastreuse pour les intérêts catholiques que ces conflits ont généralement reçue devant les tribunaux.

L'article 48 de la loi du 18 Germinal an X (8 Avril 1802) est la seule disposition qui existe dans toute la législation moderne sur la sonnerie des cloches. Ce laconisme du législateur et l'interprétation infligée par certains jurisconsultes libéraux, d'ailleurs éminents, aux termes du prédit article, ont servi d'occasion ou de prétexte à des bourgmestres peu bienveillants pour vexer les curés et contrarier l'exercice de leurs droits. Les tribunaux appelés à résoudre ces différends et à déterminer les attributions respectives reconnues par la loi aux deux autorités, ont émis divers jugements défavorables à l'autorité ecclésiastique ; et certaines administrations communales, enhardies par ces décisions judiciaires qui semblent plutôt inspirées par des préoccupations politiques que par le souci de la

légalité, se sont livrées à des entreprises de plus en plus attentoires aux droits de l'autorité religieuse et au libre exercice du culte catholique. Les socialistes, forts des principes émis et des exemples donnés par leurs devanciers les libéraux, ont accentué plus audacieusement encore leurs usurpations, au point que plusieurs conseils communaux ont décidé que les cloches des églises seraient sonnées et que le drapeau rouge, le symbole de la révolution, serait arboré au haut du clocher, pour célébrer officiellement la fête socialiste du 1er Mai.

Le gouvernement, justement effrayé des conséquences fatales, mais logiques, d'une jurisprudence qui tendait à se fixer, a résolu de réagir contre cette tendance. Par deux arrêtés royaux, solidement motivés, il a rappelé les administrations communales au respect de la légalité et leur en enjoint de se contenir dans les limites qui séparent l'autorité civile du domaine religieux.

Nous donnons ci-dessous le texte de ces deux importants arrêtés ; nous en ferons ultérieurement le commentaire dans les *Collationes*.

I

Arrêté royal du 8 Juin 1896

—

Vu la délibération, en date du 13 Avril 1896, par laquelle le conseil communal de Pâturages, « considérant qu'il y a lieu, pour l'administration communale de célébrer officiellement la fête du travail du 1er Mai, » décide que « les cloches des deux églises seront sonnées la veille, c'est-à-dire le 30 Avril, à 8 heures du soir, ainsi que le 1er Mai, à 10 heures du matin » ;

Vu la délibération, en date du 28 Avril 1896, par laquelle le conseil communal de Frameries, appelé à statuer sur une réclamation du curé contre l'emploi des cloches de l'église de cette localité pour annoncer l'ouverture des fêtes du 1er Mai,

décide de passer à l'ordre du jour, en se basant sur ce que la loi laisse dans les attributions de l'autorité communale le soin de régler toute autre espèce de sonneries que les sonneries religieuses et que le bourgmestre a qualité pour maintenir les droits de la commune en cette matière ;

Vu les rapports du gouverneur du Hainaut, en date des 2 et 23 Mai 1896 ;

Vu l'article 48 de la loi du 18 Germinal an X aux termes duquel « l'évêque ne concertera avec le préfet pour régler la manière d'appeler les fidèles au service divin par le son des cloches. On ne pourra les sonner pour toute autre cause sans la permission de la police locale » ;

Considérant que le dit article a donné lieu à des interprétations divergentes ; que, d'une part, on soutient qu'en vertu de cette disposition le curé a seul le droit de faire sonner les cloches de l'église, pour quelque motif que ce soit, ce droit étant uniquement subordonné à la permission de la police locale lorsque la sonnerie a lieu pour une cause profane; que d'autre part, on prétend que la seconde partie de l'article précité n'à pas entendu abroger les dispositions qui étaient en vigueur antérieurement à la loi du 18 Germinal an X et d'après lesquelles l'autorité locale avait le droit de se servir des cloches pour usages civils ;

Considérant que l'arrêt de la cour de Cassation du 14 Mai 1883 (*Pas.* I, année 1883, p. 23), reconnaît implicitement que l'autorité communale a le pouvoir de disposer des cloches des églises pour causes profanes, sans déterminer dans quelles limites ce pouvoir doit être renfermé ;

Considérant que l'arrêt de la cour d'appel de Gand, du 21 Mai 1884 (*Pas.* II, année 1884, p. 235) décide, en termes formels, que les communes ont, notamment en leur qualité de propriétaires des églises et de leurs dépendances, le droit de faire sonner les cloches pour causes profanes ;

Considérant qu'à raison des termes dans lesquels est conçu l'article 48 de la loi du 18 Germinal an X, des considérations qu'on peut déduire de la destination principale à laquelle les cloches des églises ont été affectées de tout temps, et de l'incertitude qui règne au sujet des droits que possédait, antérieurement à la dite loi, l'autorité civile quant à l'emploi

des cloches pour usages profanes, la solution donnée à la question par les arrêts précités doit être tenue pour douteuse, ces arrêts étant loin de faire disparaître les objections auxquelles prête le système en faveur duquel ils se sont prononcés;

Considérant, d'un autre côté, que l'arrêt de la cour d'appel de Gand n'implique pas, pour l'autorité communale, le droit absolu de se servir des cloches des églises à toutes fins civiles ; que le dit arrêt reconnaît, en se basant à cet égard sur la tradition historique, que l'affectation des cloches à une destination profane et d'intérêt communal « se rattache étroitement à la mission exclusivement confiée aux municipalités par la loi des 16-24 Août 1790 (titre XI, art. 3) et celle des 19-22 Juillet 1791 (art. 46), l'une et l'autre publiées en Belgique, au moins quant à leurs dispositions les plus essentielles, d'assurer le bon ordre et la tranquillité publique dans la commune » ; que du dit arrêt se dégage cette conséquence que le droit de l'autorité communale d'employer les cloches des églises est subordonné à la condition que les sonneries aient lieu en vue des besoins de la police locale; que l'arrêt en question constate, il est vrai, qu'autrefois les cloches des églises servaient notamment à rappeler aux citoyens les jours et heures des marchés annuels et des réjouissances publiques ; mais que cet usage n'a pu s'établir qu'en vertu d'une simple tolérance et qu'il n'est, d'ailleurs, pas allégué que l'autorité communale pouvait disposer des cloches aux dites fins, sans l'assentiment du curé ;

Considérant que cette même conséquence découle des conclusions de M. le procureur général Mesdagh de Ter Kiele, relatives au pourvoi sur lequel a statué l'arrêt de la cour de Cassation du 14 Mai 1883 ; que M. Mesdagh de Ter Kiele invoque, à l'effet d'établir que les communes ont le droit de se servir des cloches pour causes profanes, outre la loi des 16-24 Août 1790, les anciennes ordonnances qui prescrivaient l'usage des cloches « aussi souvent que l'exigeait la nécessité publique, notamment à l'occasion de quelque désastre fortuit, tel qu'incendie, inondation, invasion de bandes armées, désordres graves, etc ..., et régulièrement tous les jours pour le couvre-feu et la fermeture des cabarets. L'ordre en était donné... aux agents du pouvoir civil, à ceux

qui, ayant le gouvernement de la cité, étaient à ce titre chargés du maintien du repos public... » ; que toutes les ordonnances citées, à titre d'exemples, dans les dites conclusions, sont conçues dans cet ordre d'idées ;

Considérant que, dès lors, soit qu'on se prononce en faveur du système d'après lequel le droit de faire sonner les cloches des églises appartient exclusivement aux curés pour quelque cause que ce soit, moyennant la réserve indiquée plus haut, soit qu'on admette, avec le cour d'appel de Gand, que l'autorité communale peut disposer des cloches pour usages profanes, on doit reconnaître que la dite autorité sort de ses attributions et viole la loi quand elle décide, malgré l'opposition du curé, que les cloches seront sonnées dans un autre but que celui de maintenir le bon ordre et la tranquillité publique dans la commune ;

Considérant, qu'en conséquence, les délibérations susvisées des conseils communaux de Pâturages et de Frameries tombent sous l'application des articles 86 et 87 de la loi communale et doivent être annulées ;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice, et de Notre Ministre de l'intérieur et de l'instruction publique,

Nous avons arrêté et arrêtons :

Art. 1er. Les délibérations des conseils communaux de Pâturages et de Frameries, en date des 13 et 28 Avril 1896, sont annulées.

Art. 2. Mention de cette annulation sera faite en marge des registres des délibérations des dits conseils.

Notre Ministre de la justice, et Notre Ministre de l'intérieur et de l'instruction publique sont chargés de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Bruxelles, le 8 Juin 1896.

LÉOPOLD.

Par le Roi :
Le Ministre de la justice,
V. Begerem.

Le Ministre de l'intérieur,
et de l'instruction publique,
F. Schollaert.

II

Arrêté royal du 13 Juin 1896

—

Vu la délibération, en date du 22 Avril 1896, par laquelle le conseil communal de Wihéries décide notamment que, le 1er Mai, un drapeau rouge sera arboré au haut du clocher de l'église ;

Vu l'arrêté du gouverneur du Hainaut, en date du 30 Avril 1896, suspendant l'exécution de cette délibération ;

Vu l'arrêté, en date du 1er Mai suivant, par lequel la députation permanente du conseil provincial du Hainaut maintient cette suspension ;

Vu le procès-verbal de la séance du conseil communal de Wihéries, du 7 du même mois, au cours de laquelle le dit conseil a reçu communication des motifs de la suspension prononcée par le gouverneur ;

Considérant que les églises sont grevées, au profit du service du culte, d'une affectation spéciale et permanente qui s'oppose à ce que les communes, même lorsqu'elles sont propriétaires de ces édifices, en disposent pour un usage quelconque sans y être autorisées par la loi ;

Considérant que cette affectation s'étend aux accessoires et aux dépendances des églises, partant aux clochers ;

Considérant que, dès lors, le conseil communal de Wihéries, en prenant la décision dont il s'agit, est sorti de ses attributions et a violé la loi ;

Vu les articles 86 et 87 de la loi communale ;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice et de Notre Ministre de l'intérieur et de l'instruction publique,

Nous avons arrêté et arrêtons :

Article unique. La délibération du conseil communal de Wihéries, en date du 22 Avril 1896, est annulée, en tant qu'elle porte que le drapeau rouge sera arboré, le 1er Mai, au haut du clocher de l'église.

Mention de cette annulation sera faite au registre des délibérations du conseil communal, en marge de la décision annulée.

Notre Ministre de la justice et Notre Ministre de l'intérieur et de l'instruction publique sont chargés de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Bruxelles, le 13 Juin 1896.

LÉOPOLD.

Par le Roi :
Le Ministre de la Justice,
V. BEGEREM.

Le Ministre de l'intérieur
et de l'instruction publique,
F. SCHOLLAERT.

Jurisprudence

des Cours et Tribunaux

DE LA PERCEPTION DU CASUEL

Commentaire des jugements du Tribunal de Liège, 11 Mars 1891, et du Tribunal de Bruxelles, 17 Avril 1895

(Voir le texte dans les *Collationes*, p. 138 ss.)

—

Nous pouvons réduire à trois principes les diverses considérations émises, dans les deux jugements ci-dessus mentionnés.

1er principe. *La perception du casuel proprement dit, à l'exception des droits revenant en propre à la fabrique, ne rentre pas dans les attributions de celle-ci ou de son caissier légal, le trésorier.*

En effet, aux termes de l'article 36 du décret du

30 Décembre 1809, « Les revenus de chaque fabrique se forment :... 10° des droits que, suivant les règlements épiscopaux approuvés par Nous, les fabriques perçoivent, et de celui qui leur revient sur le produit des inhumations ». Il s'agit donc exclusivement des droits *perçus par la fabrique*. D'autre part, l'article 25 du dit décret n'attribue qualité au tresorier que pour procurer la rentrée des sommes *dues à la fabrique*. Ni dans ces textes, ni dans aucun autre du décret, il n'est même fait allusion aux émoluments revenant au clergé et aux divers serviteurs de l'église attachés aux services religieux.

De ce principe découlent trois conséquences :

a) « Les fabriques ne peuvent être tenues de renseigner dans les comptes et budgets, notamment du chef des funérailles, de la cire, des messes manuelles et des oblations, autre chose que les recettes et dépenses effectuées pour compte de l'administration fabricienne. » Circulaire du ministre de la justice Devolder, du 15 Mai 1885 *(Coll. epist. past.*, T. XIV, p. 220).

Les modèles des budgets et des comptes, arrêtés par le gouvernement en 1870 en 1871, sont conformes à ce principe, comme le prouve notamment, le libellé de l'article 16 des recettes. Mais il n'en est pas de même de la circulaire du 13 Novembre 1882, par laquelle le ministre de la justice Bara adopta les instructions émanées, le 25 Octobre de la même année, de la députation permanente du Brabant, en recommandant aux gouverneurs des autres provinces d'en prescrire de semblables après les avoir soumises à son approbation. Ces instructions, en effet, ordonnent aux administrations fabriciennes de mentionner dans les budgets et les comptes, non seulement les sommes qui reviennent aux fabriques elles-mêmes, mais encore celles qui reviennent au clergé et aux employés de l'église, du chef de

services funèbres, de messes manuelles, etc. ; et ce sous prétexte que l'administration provinciale, chargée de contrôler la gestion des fabriques d'église, doit être à même de s'assurer que ces administrations se conforment aux tarifs approuvés par le gouvernement (1), que les tresoriers conservent ce qui revient aux fabriques et qu'ils remettent au clergé et aux assistants les sommes auxquelles ils ont droit (Circulaire du gouverneur de la Flandre Occidentale Heyvaert, en date du 30 Décembre 1882). Mais le véritable motif de cette prescription, c'est, comme le dit Giron, que la députation se réservait ainsi « le moyen de contrôler l'importance du casuel des ministres du culte, et, par suite, d'apprécier si les suppléments de traitement que leur allouent les fabriques sont justifiés par l'insuffissance de leurs revenus. » *Droit administratif,* n° 1095.

M. Woeste, par une circulaire en date du 17 Juillet 1884, a déclaré ce contrôle inutile ; et, ramenant la comptabilité fabricienne aux véritables principes, il a décidé, à bon droit, qu'il n'y a lieu désormais de mentionner dans les comptes et budgets que ce qui revient à la fabrique. Voir *Revue de l'adm.,* 1884, p. 378 et *Coll. epist. past.,* T. XIV, p. 188.

b) Puisque le recouvrement du casuel ne rentre pas dans les attributions de la fabrique, le sacristain ou les autres employés de l'église n'ont pas d'action contre elle pour obtenir le payement des émoluments auxquels ils prétendent.

Si, dans la pratique, il arrive que le trésorier touche tout le casuel et en fait la répartition aux ayants droit, il agit, non plus à titre de représentant de la fabrique, en vertu d'un mandat légal lui conféré, mais comme simple particulier. Jugement de Liège, 11 Mars 1891.

---

(1) Ce tarif, pour le diocèse de Bruges, est celui de Mgr Fallot de Beaumont, approuvé par le premier Consul Bonaparte le 9 Florial an XI.

Voir Affre, *Traité de l'admin. des paroisses,* p. 97 (édit. de Liége).

c) La fabrique n'a pas qualité pour poursuivre en justice le recouvrement des honoraires dus, à raison de funérailles ou autres services religieux, au clergé, au sacristain et aux autres employés de l'église.

La jurisprudence administrative est d'accord sur ce point avec celle des tribunaux. L'arrêté royal du 8 Mai 1886, rappelé dans le jugement du tribunal de Bruxelles, annule une décision de la députation permanente du Brabant qui autorisait la fabrique de l'église Saint-Nicolas, à Bruxelles, à poursuivre en justice l'intégralité des frais occasionnés par les funérailles d'une dame W. ; et il n'autorise la fabrique à intenter une action judiciaire qu'en ce qui concerne le recouvrement de la somme qui *lui* est due.

2me principe. *Celui qui commande un service funèbre au curé, contracte avec celui-ci seul, agissant comme représentant ou mandataire de ses subordonnés, en vertu d'un accord tacite ; dès lors le curé a qualité pour réclamer en justice, non seulement la somme lui revenant personnellement, mais encore celles revenant à tous ses subordonnés.* Comp. Affre, *ouv. cité,* p. 97.

3me principe. *L'existence, dans un diocèse, d'un ancien tarif approuvé par le gouvernement, ne fait pas obstacle à l'existence, dans les paroisses, de tarifs spéciaux, fondés sur l'usage et librement acceptés pour les intéressés, pour les prestations non prévues par le premier.*

Jamais, que nous sachions, la portée des anciens tarifs diocésains, les limites de leur caractère obligatoire, et la légalité des tarifs spéciaux n'ont été définies avec autant de précision.

Néanmoins le jugement du tribunal de Bruxelles n'est que la consécration d'une pratique constamment suivie et la confirmation d'un principe généralement admis par les auteurs et par la jurisprudence administrative. Tout le monde reconnait que les tarifs, établis

au commencement de ce siècle, sont surannés ; et que les lacunes qu'ils présentent peuvent être comblées par l'usage. Le ministre de la justice Bara lui-même, a déclaré en 1878, à la Chambre et au Sénat, que ces tarifs étaient insuffisants et qu'il était prêt à approuver une majoration des honoraires, pourvu que le taux fût maintenu dans de justes limites. Voir Giron, *ouv. cité,* n°. 1094, et Van Messem, *Les fondations de messes en Belgique,* p. 22. Aussi la circulaire du 15 Mai 1885 reconnait expressément la légalité des usages locaux ou des tarifs spéciaux de chaque paroisse. En traitant, au chapitre I des recettes, des *droits de la fabrique dans les inhumations ou services funèbres,* la circulaire dit : « ces droits se composent : 1° d'un tantième, déterminé par *l'usage local ou les tarifs spéciaux* de chaque paroisse, dans le prix payé par les particuliers non indigents pour les inhumations, vigiles ou services funèbres ». Elle admet aussi *l'usage des lieux* comme règle, pour déterminer la part revenant à la fabrique dans la somme payée pour les messes manuelles ou autres services non fondés — et pour fixer le montant des honoraires à payer pour les services fondés.

Il est donc hors de doute que l'usage général a pu prévaloir contre les *anciens* tarifs diocésains, et que les tarifs spéciaux de chaque paroisse sont parfaitement légaux. Il importe cependant de remarquer que, *lorsqu'il s'agit de services fondés,* institués par dispositions entre-vifs ou testamentaires, les honoraires doivent toujours rester dans la limite prévue par les *nouveaux* tarifs (1), qui sont applicables, *à titre de maximum,* pour évaluer les charges de toutes les *fondations* indistinctement. Voir les circulaires du 17 Juillet 1884 et du 15 Mai 1885 ; *Collect. epist. past.,* T. XIII, p. 301 coll. p. 310; et la *Revue des fabriques,* 2me année, p. 81 ss.

C. V. C.

(1) Ce nouveau tarif, approuvé pour le diocèse de Bruges, est celui du 22 Février 1880 (*Coll. epist. past.* T. XIII, pag. 301).

Ex sacra Congregatione Rituum

—

S. Rituum Congregatio per decretum generale 14 Augusti 1894, a SS. D. N. Leone Papæ XIII, 27 ejusdem mensis approbatum, quoad modum intra missam peragendi solemnem votorum professionem aut eorum renovationem, quæ in plerisque religiosis tam virorum quam mulierum congregationibus locum habet, « ad omnem ambiguitatem de medio tollendam et uniformitatem inducendam... sequentem methodum servari posse constituit : Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto S^smo^ Eucharistiæ Sacramento, absoluta confessione, ac verbis quæ ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet : hi vero singuli alta voce professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim S^smum^ Eucharistiæ Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint ; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno præeunte, formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine S^smum^ Corpus Domini accipient. Hæc tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus decretis in contrarium facientibus, quæ prorsus revocata atque abrogata censeantur. »

Jam novum fuit propositum·

DUBIUM

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit : An decretum generale ab eadem S. Rituum Congregatione die 27 Augusti 1894 editum, quo, ad omnem ambiguitatem tollendam et uniformitatem inducendam, methodus in professione et renovatione votorum intra Missam servanda statuitur, vi obligandi polleat penes quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondendum censuit : *Affirmative, ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam coram celebrante Sacram Hostiam manu tenente.*

Atque ita rescripsit. Die 5 Junii 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Præf.

L. † S. Aloisius Tripepi, *Secret.*

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

Indultum pontificium, quo privilegium conceditur fidelibus diœcesis Brugensis in ordine ad lucrandas indulgentias plenarias.

Huic indulto præmittitur libellus supplex S. Sedi porrectus:

Beatissime Pater,

Episcopus Brugensis humiliter implorat ut, attenta difficultate, quæ, in magnis præsertim parochiis, ob confessariorum penuriam, non infrequenter occurrit, una eademque die omnium pœnitentium excipiendi confessiones, S. V. benigne indulgere valeat quatenus sacra confessio, etiam peracta a fidelibus infra hebdomadam ante aliquod festum aliamve diem, cui adnexa est Indulgentia plenaria, eis suffragari possit ad eamdem Indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis et dummodo nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commissæ conscii sint.

Et Deus.

* * *

Vigore specialium facultatum a SS. D. Nostro Leone PP. XIII tributarum, S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, attenta in præfata Episcopi Oratoris diœcesi confessariorum inopia, benigne indulsit, ut confessio peracta a Christifidelibus ejusdem diœcesis infra hebdomadam ante aliquam festivitatem, suffragari possit ad Indulgentiam, eidem festivitati adnexam, lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post confessionem commissæ conscii sint. Præsenti ad triennium valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C., die 27 Maii 1896.

(Sig.) A. Card. STEINHUBER, *Præf.*
† A. Archiep. NICOPOLIT., *Secret.*

LITTERÆ ENCYCLICÆ

DE UNITATE ECCLESIÆ

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS

ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS

PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE

HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Satis cognitum vobis est, cogitationum et curarum Nostrarum partem non exiguam illuc esse conversam, ut ad *ovile* in potestate positum summi pastoris animarum Jesu Christi revocare devios conemur. Intento hac in re animo, non parum conducere salutari consilio propositoque arbitrati sumus, Ecclesiæ effigiem ac velut lineamenta describi : in quibus præcipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictæque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit. Multum in intuentium animis nativa Ecclesiæ pulchritudo speciesque posse debet : neque abest a veri similitudine, tolli ejus contemplatione posse inscientiam ; sanari opiniones falsas præjudicatasque, maxime apud eos qui non sua ipsorum culpa in errore versentur : quin imo excitari etiam in hominibus posse

Ecclesiæ amorem utique similem caritati, qua Jesus Christus eam sibi sponsam, divino cruore redemptam, optavit : *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* (1). Reversuris ad amantissimam parentem, aut non probe cognitam adhuc, aut injuria desertam, si reditum stare oporteat non sanguine quidem, quo tamen pretio est Jesu Christo quæsita, sed labore aliquo molestiaque multo ad perpetiendum leviore, saltem perspicuum erit non voluntate humana id onus homini, sed jussu nutuque divino impositum, ob eamque rem, opitulante gratia cœlesti, facile veritatem experiendo intelligent divinæ ejus sententiæ : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (2). Quamobrem spe maxima in *Patre luminum* reposita, unde *omne datum optimum et omne donum perfectum* descendit (3), ab eo scilicet, *qui incrementum dat* (4) unus, enixe petimus, ut Nobis vim persuadendi impertire benigne velit.

Etsi Deus, quæcumque a naturis creatis efficiuntur, omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad juvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiæ consilio, maluit : et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quæ modum naturæ transiliunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi hominum opera ministerioque impertire consuevit. Sed perspicuum est, nihil inter homines communicari, nisi per externas res quæ sensibus percipiantur, posse. Hac de caussa humanam naturam assumpsit Dei Filius, *qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (5) : atque ita, in terris agens, doctrinam suam suarumque præcepta legum hominibus, colloquendo, tradidit.

Cum divinum munus ejus perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adjunxit alumnos disciplinæ suæ, fecitque potestatis suæ participes : cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e cœlo, præcepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque jusserat, id omne fideliter universitati gentium prædicarent :

(1) Ephes. V, 25. — (2) Matth. XI, 30. — (3) Ep. Jac. I, 17. — (4) I, Corinth. III, 6. — (5) Phillippens, II, 6-7.

hoc quidem proposito, ut ejus et professione doctrinæ et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in cœlo sempiternam. — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita : quæ quidem, si extremum illud quod vult, caussæque proxime sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis :* si vero eos consideres, quibus cohæret, resque ipsas quæ ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu audituque signa : idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quæ utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (1). Ac fides ipsa, scilicet assensio primæ supremæque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet : *Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* (2). Simili modo nihil est homini gratia cœlesti, quæ gignit sanctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac præcipua participandæ instrumenta gratiæ ; sacramenta dicimus, quæ ab hominibns ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Jussit Jesus Christus Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac regerent : jussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati obedienter subessent. Verum isthæc in christiana republica jurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne inchoari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de caussis Ecclesiam cum *corpus,* tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacræ litteræ nominant : *Vos autem estis corpus Christi* (3). Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia : propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Jesus Christus, in eum fere modum quo cohærentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitæ in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum,

(1) Roman. X, 17. — (2) Ib. 10. — (3) I. Corinth. XII, 27.

sic in Ecclesia supernaturalis principium vitæ perspicue ex iis, quæ ab ipsa aguntur, apparet.

Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam : item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinæ ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiæ divinæ, sine rebus iis, quæ haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Jesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animæ corporisque conjunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali præditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriani faciunt ; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitæ; sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili; sic corpus ejus mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod ejus partes conspicuæ vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *ejusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *ejusmodi* in æternitate temporum : ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus : quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium conjunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia. Quare Chrysostomus : *Ab Ecclesia ne abstineas : nihil enim fortius Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Cælo excelsior et terra latior est illa. Numquam senescit, sed semper viget. Quamobrem ejus firmitatem stabilitatemque demonstrans, Scriptura montem illam vocat* (1). Augustinus vero :

(1) Hom. *De capto Eutropio*, n. 6.

Putant (gentiles) *religionem nominis christiani ad certum tempus, in hoc sæculo victuram, et postea non futuram. Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit ; hoc est quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est Christi corpus in terris* (1). Idemque alibi : *Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum : sed unde nutabit Christus ?... Non nutante Christo, non inclinabitur in sæculum sæculi. Ubi sunt qui dicunt, periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest ?* (2)

His velut fundamentis utendum veritatem quærenti. Scilicet Ecclesiam instituit formavitque Christus Dominus : propterea natura illius cum quæritur cujusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque reapse effecerit. Ad hanc regulam exigenda maxime Ecclesiæ unitas est, de qua visum est, communis utilitatis caussa, nonnihil his litteris attingere.

Profecto unam esse Jesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in dijudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiæ quidem non solum ortus sed tota constitutio ad rerum voluntate libera effectarum pertinet genus : quocirca ad id quod revera gestum est, judicatio est omnis revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

Jamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Jesus Christus non talem finxit formavitque, quæ communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quæ Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam... Ecclesiam* in symbolo fidei profitemur. *In unius naturæ sortem cooptatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione, et principio et excellentia unicam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam... Ceterum Ecclesiæ quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel*

---

(1) *In Psalm LXXI*, n. 8. — (2) *Enarratio in Psal. CIII*, sermo II, n. 5.

æquale (1). Sane Jesus Christus de ædificio ejusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam, quam appellat *suam : ædificabo Ecclesiam meam*. Quæcumque, præter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Jesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest. Quod eminet etiam magis, si divini auctoris propositum consideretur. Quid enim in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit Christus Dominus ? Hoc scilicet ; munus idem, idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (2). *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum* (3). Jamvero Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat,* hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus : venit *Filius hominis... ut salvetur mundus per ipsum* (4). *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (5). Itaque partam per Jesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quæ inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare ætates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret.

Hoc ipsum de Ecclesia una, quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexura, vidit ac præsignificavit Isaias, cum, futura prospicienti, objecta species montis est, celsitudinis exsuperantia conspicui, qui imaginem *Domus Domini,* videlicet Ecclesiæ, expressam gerebat : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (6). Atqui *unus* iste mons est, in vertice montium locatus : *una* domus Domini, ad quam *omnes gentes* vivendi normam petituræ aliquando confluerent : *Et fluent ad eam omnes gentes... et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et*

---

(1) Clemens Alexandrinus, *Stromatum* lib. VII, cap. 17. — (2) Joan. XX, 21. — (3) Joan XVII, 18. — (4) Joan. III, 17. — (5) Act. IV, 12. — (6) Isaias, II, 2.

ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus (1). Quem locum cum Optatus Milevitanus attingeret : *Scriptum est*, inquit, *in Isaisa propheta : Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem. Non ergo in illo monte Sion Isaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem romanum caput tulit sub toto cœlo... Est ergo spiritualis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus, quæ est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica* (2). Augustinus vero : *Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt... Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terræ : et de illo dicitur ; paratus in cacumine montium* (3). Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput conjungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit : cui quidem naturali conglutinatione inhæret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem ut liberationis humanæ pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cujus ipsius operâ facit sanctitatis salutisque æternæ homines compotes: *Ipsum* (Christum) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* (4). Dispersa membra atque sejuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectura corpus, cohærere. Atqui Paulus, *Omnia autem*, inquit, *membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus* (5). Propterea corpus istud mysticum *compactum* ait esse *et connexum. Caput Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri* (6). Quamobrem dispersa a membris ceteris si qua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglutinata esse nequeunt : *Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari* (7). Quo melius Ecclesiam effingat unicam, similitudinem animati corporis informat, cujus non aliter

(1) Ib. 2-3. — (2) *De Schism. Donatist.*, lib. III, n. 2. — (3) *In epist. Joan.* tract. I, n. 13. — (4) Ephes. I, 22-23. — (5) I. Corinth. XII, 12. — (6) Ephes. IV, 15-16. — (7) S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate*, n. 23.

victura membra sunt, nisi colligata cum capite, vim ad se vitalem ex capite ipso traducant : sejuncta, necesse est emori : *Non potest* (Ecclesia)... *divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit* (1). Mortuum vero corpus quid habet cum vivo similitudinis ? *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam : quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus* (2). Aliud igitur simile Christo inchoetur caput, alius Christus, si præter eam, quæ corpus ejus est, fingi Ecclesiam alteram libeat. *Videte quid cavetis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes : numquid præcisum sequitur anima ? Cum in corpore esset, vivebat : præcisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit : præcisus, hæreticus factus est : membrum amputatum non sequitur spiritus* (3). Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua : quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et præscriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur. *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur, nec perveniet ad Christi præmia qui reliquit Ecclesiam Christi... Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem* (4).

At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam :* videlicet ejusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (5). Voluntatem hac de re suam Jesus Christus sanxit, propinqua jam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturí sunt per verbum eorum in me... ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint consummati in unum* (6). Imo tam intime nexam jussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut conjunc-

(1) Id. loc. cit. — (2) Ephes. V, 29-30. — (3) S. Augustinus, sermo CCLXVII, n. 4. — (4) Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate*, n. 6. — (5) Ephes. IV, 4. — (6) Joan. XVII, 20-21-23.

tionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur : *Roga... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (1). Tantæ autem inter homines ac tam absolutæ concordiæ necessarium fundamentum est convenientia conjunctioque mentium : ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo naturâ gignitur. Quamobrem, pro sui divinitate consilii, *unitatem fidei* in Ecclesia sua jussit esse: quæ quidem virtus primum est in vinculis iis quæ hominem jungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (2): videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet. Itaque Paulus Apostolus christianos, ut idem sentiant omnes, effungiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane obsecrat : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi : ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia* (3). Quæ loca sane non indigent interprete : satis enim per se loquuntur ipsa. Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quæ sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in causa simili, non opinatione aut conjectura est, sed scientia rei gestæ judicandum : quærendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem Jesus Christus esse præceperit.

Jesu Christi doctrina cœlestis, tametsi, magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio, ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes : idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinæ, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur : hinc controversiæ, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vidit proxima originibus ætas. De hæreticis illud scribit Irenæus :

(1) Ib. 21. — (2) Ephes. IV, 5. — (3) I Corinth. I, 10.

Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt (1). Atque Augustinus : *Neque enim natæ sunt hæreses et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene* (2). Ad conjugandas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, utut extarent divinæ litteræ, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia : neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandæ unitatis rationem quamdam idoneam providisset : quod et sacræ litteræ perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vincta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispiciendum, quodnam ex omnibus, quæ essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Jesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat : erudire verbo multitudinem ad cœlestia insistit, omninoque jubet ut sibi fides docenti adjungatur, hinc præmiis illinc pœnis propositis sempiternis : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi* (3). *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (4). *Si autem facio* (opera), *et si mihi non vultis credere, operibus credite* (5). Quæcumque præcipit, eàdem omnia auctoritate præcipit : in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit. Eorum igitur qui Jesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam ejus accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset : illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

Maturo in cœlum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eâdem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare jubet doctrinam suam : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia*

---

(1) Lib. III, cap. 12, n. 12. — (2) *In Evang. Joan.* tract. XVIII, cap. 5, n. 1. — (3) Joan. X, 37. — (4) Joan. XV, 24. — (5) Joan. X, 38.

quæcumque mandavi vobis (1). Salvos fore, qui Apostolis paruissent, qui non paruissent, interituros : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur* (2). Cumque illud sit providentiæ Dei maxime congruens, ut munerı præsertim magno atque excellenti præficiat neminem, quin pariter suppeditet unde liceat rite defungi, idcirco Jesus Christus missurum se ad discipulos suos Spiritum veritatis pollicitus est, eumque in ipsis perpetuo mansurum : *Si autem abiero, mittam eum* (Paraclitum) *ad vos... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (3). *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis* (4). *Ille testimonium perhibebit de me : et vos testimonium perhibebitis* (5). Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam : *Qui vos audit, me audit : qui vos spernit, me spernit* (6). Quamobrem legati Apostoli a Jesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (7) : propterea quemadmodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fidem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinæ præceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Chrisi doctrina rejecisse quicquam. — Sane Apostolorum vox, illapso in eos Spiritu sancto, quam latissime insonuit. Quacumque vestigium posuissent, perhibent se ab ipso Jesu legatos. *Per quem* (Jesum Christum) *accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus* (8) divinamque eorum legationem passim Deus per prodigia in aperto ponit : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (9). Quem vero sermonem ? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent : palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quæ viderant quæque audierant, non loqui.

(1) Matth. XXVIII, 18-19-20. — (2) Marc. XVI, 16. — (3) Joan. XVI, 7-13. — (4) Joan. XIV, 16-17. — (5) Joan. XV, 26-27. — (6) Luc. X, 16. — (7) Joan. XX, 21. — (8) Rom. I, 5. — (9) Marc. XVI, 20.

Sed, quod alio loco diximus, non erat ejusmodi munus apostolicum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Jesus Christus ut prædicarent *Evangelium omni creaturæ*, et *portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus*, et *ut sibi testes essent usque ad ultimum terræ*. Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel ætates, sed in omne tempus, *usque ad consummationem sæculi*. Quam ad rem Hieronymus : *Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros et se numquam a credentibus recessurum* (1). Quæ quidem omnia in solis Apostolis, supremæ necessitati ex humana conditione obnoxiis, qui vera esse potuissent ? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a Jesu Christo institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetuo mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecravere episcopos Apostoli, quique sibi proxime succederent in *ministerio verbi*, singillatim designavere. — Neque hoc tantum : illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem præficerent docendi officio et muneri : *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu : et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (2). Qua de caussa sicut Christus a Deo, et Apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot Apostolis successere, missi ab Apostolis sunt : *Apostoli nobis Evangelii prædicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Per regiones igitur et urbes verbum prædicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant... Constituerunt prædictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent* (3). Permanere igitur necesse

(1) *In Matth.* lib. IV, cap. 28, v. 20. — (2) II Tim. II, 1-2. — (3) S. Clemens Rom. Epist. I ad Corinth. capp. 42, 44.

est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quæ Christus docuerat : ex altera constans atque immutabile officium accipiendi profitendique omnem illorum docrinam. Quod præclare Cyprianus iis verbis illustrat : *Neque enim Dominus noster Jesus Christus, cum in Evangelio suo testaretur inimicos suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designavit : sed omnes omnino qui secum non essent et secum non colligentes, gregem suum spargerent, adversarios esse ostendit, dicens : Qui non est mecum adversus me est ; et qui non mecum colligit, spargit* (1).

His Ecclesia præceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio et contentione majore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinæ suæ capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistæ, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non petinus omnem, sed partem aliquam deseruerant : hæreticos tamen declaratos, ejectosque ex Ecclesiæ sinu quis ignorat fuisse ? Similique judicio damnati, quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. *Nihil periculosius his hæreticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem Dominicæ et exinde apostolicæ traditionis inficiunt* (2). Idem semper Ecclesiæ mos, idque sanctorum Patrum consentiente judicio : qui scilicet communionis catholicæ expertem et ab Ecclesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset. Epiphanius, Augustinus, Theodoretus hæreseon sui quisque temporis magnum recensuere numerum. Alia Augustinus animadvertit posse genera invalescere, quorum vel uni si quis assentiatur, hoc ipso ab unitate catholica sejungitur : *Non omnis, qui ista* (numeratas videlicet hæreses) *non credit, consequenter debet se christianum catholicum jam putare vel dicere. Possunt enim et hæreses aliæ, quæ in hoc opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit* (3).

(1) Epist. LXIX, ad Magnum, n. 1. — (2) Auctor *Tractatus de Fide Orthodoxa contra Arianos.* — (3) *De Hæresibus*, n. 88.

Istam tutandæ unitati, de qua dicimus, institutam divinitus rationem urget beatus Paulus in epistola ad Ephesios ; ubi primum monet, animorum concordiam magno studio conservandam : *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (1) : cumque concordes animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem : *Unus Dominus, una fides :* ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat : *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei... in mensuram ætatis plenitudinus Christi.* Sed ejusmodi unitatis ubinam Jesus Christus posuit principium inchoandæ, præsidium custodiendæ ? In eo videlicet, quod *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Quare vel inde ab ultima vetustate hanc ipsam regulam doctores Patresque et sequi consueverunt et uno ore defendere. Origenes: *Quoties autem* (hæretici) *canonicas proferunt scripturas in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere : ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illos credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis* (2). Irenæus : *Agnitio vera est Apostolorum doctrina... secundum successiones episcoporum... quæ pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima* (3). Tertullianus vero : *Constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa : hoc est testimonium veritatis* (4). Atque Hilarius : *Significat* (Christus e navi docens), *eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiæ typum præfert, intra*

---

(1) IV, 3 et seqq. — (2) *Vetus Interpretatio Commentariorum in Matth.*, n. 46. — (3) *Contra Hareses*, lib. IV, cap. 33, n. 8 — (4) *De Præscrip.* cap. XXI.

quam verbum vitæ positum et prædicatum hi qui extra sunt et arenæ modo steriles atque inutiles adjacent, intelligere non possunt (1). Rufinus Gregorium Nazianzenum laudat et Basilium, quod *solis divinæ scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebatur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat* (2).

Quamobrem, id quod ex iis, quæ dicta sunt, apparet, instituit Jesus Christus in Ecclesia *vivum, authenticum,* idemque *perenne magisterium*, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit : ejusque præcepta doctrinæ æque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur hujus verbo magisterii edicitur traditæ divinitus doctrinæ complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse : si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum : *Domine, si error est, a te decepti sumus* (3). Ita omni amota dubitandi caussâ, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso præcipitem in apertam hæresim? quin, sejunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam ? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa rejicere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse *virtutem supernaturalem, qua, Dei adjuvante et aspirante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest* (4). Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, nihil omnino fide divina creditur. Quod enim Jacobus Apostolus de delicto judicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei judicandum : *Quicumque... offendat... in uno, factus est omnium reus* (5) ; imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod majestatem Dei legum latoris sprevisse, non

(1) *Comment. in Matth.* XIII, n. 1. — (2) *Hist. Eccl.* lib. II, cap. 9. — (3) Richardus de S. Victore, *De Trin.* lib. I, cap. 2. — (4) Conc. Vat. sess. III, cap. 3. — (5) II, 10.

nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, qui veritatibus divinitus acceptis vel uno in capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei,* recusat vereri : *In multis mecum, in paucis non mecum : sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum* (1). Ac sane merito : qui enim sumunt de doctrina christiana, quod malunt, ii judicio suo nituntur, non fide : iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2), sibimetipsis verius obtemperant, quam Deo : *Qui in Evangelio quod vultis, creditis ; quod vultis, non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis* (3).

Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiæ doctrinam, ipsamque fidei naturam sequuti sunt, cum illud decrevere : *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur* (3). Itaque cum appareat, omnino in Ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit cujusmodi eam esse, et quo principio tuendam ipse jusserit, liceat Nobis, quotquot sunt qui non animum induxerint aures veritati claudere, iis Augustini verbis affari : *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit ? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrongantiæ... Et si unaquæque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit ; quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare* (5) ?

(1) S. Augustinus, *in Psalm. LIV*, n. 19. — (2) II Corinth. X, 5. — (3) S. Augustinus, lib. XVII, *Contra Faustum Manichæum*, cap. 3. — (4) Sess. III, cap. 3. — (5) *De Utilitate Credendi*, cap. XVII, n. 35.

Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiæ, christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia : imo ne finis quidem, cujus caussâ est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Jesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quæ docuisset quæque præcepisset, omnia retulit, sic jussit Ecclesiam quærere in veritate doctrinæ, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos. — Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest: adhiberi necesse est cum Dei cultum justum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinæ. — Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quæ Servatoris munia in ævum persequitur : religionem, quam in ea velut *incorporari* ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolutam sola præstat : itemque ea, quæ ex ordinario providentiæ consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat.

At vero quo modo doctrina cœlestis nunquam fuit privatorum arbitrio ingeniove permissa, sed principio a Jesu tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio : sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas et perficiendi atque administrandi divina mysteria unà cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a Jesu Christo dicta : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium... baptizantes eos... Hoc facite in meam commemorationem... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similique ratione non nisi Apostolis, quique eis jure successissent, mandavit ut *pascerent,* hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens. Quæ quidem officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1).

Quapropter mortales Jesus Christus, quotquot essent, et

(1) I Corinth. IV 1.

quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eumdemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque juncti, ut ex multitudine populus existeret jure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subjectus potestati. Quo ipse facto principia naturæ, quæ in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturæ consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adoptione volunt, perfectionem dignitati suæ congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux hominibus est ad cœlestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quæ religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere expediteque judicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut inique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatem rationes inferre, aut in jura potentatus invadere. Imo Deus perfecit, ut Ecclesia esset omnium societatem longe præstantissima: nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilibus est quam quod ceteræ petunt societates, quanto naturâ gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt præstabiliora bona. — Ergo Ecclesia societas est ortu *divina:* fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis:* quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabulis societatis perfectæ nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei, Civitas supra montem posita,* quo convenire gentes omnes necesse est: sed etiam *Ovile,* cui præsit pastor unus, et quo recipere se oves Christi omnes debent: imo *Regnum quod suscitavit Deus,* quodque *stabit in æternum:* denique *Corpus* Christi, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris; quæ membra non eumdem actum habent: copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur. Jamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa regatur. Debet igitur Jesus Christus magistratum Ecclesiæ maximum præfecisse, cui obediens ac subjecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de caussa sicut ad unitatem Ecclesiæ, quatenus est

cœtus fidelium necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur jure divino *unitas regiminis*, quæ *unitatem communionis* efficit et complectitur : *Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur : scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput* (1). Ex quo intelligi licet, excidere homines ab Ecclesiæ unitate non minus schismate, quam hæresi : *Inter hæresim et schisma hoc esse arbritantur, quod hæresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur* (2). Quibuscum illa Joannis Chrysostomi in eamdem rem sententia concordat : *Dico et protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in hæresim* (3). Quamobrem si nulla potest esse honesta hæresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit jure factum videri : *Non est quicquam gravius sacrilegio schismatis... præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas* (4).

Quæ vero et cujusmodi summa ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaqne voluntate Christi statuendum. Certe in æternum rex Christus est, itemque moderari in æternum tuerique regnum suum e cælo non visus perseverat : sed quia conspiciuum illud esse voluit, designare debuit qui gereret in terris vices suas, postea quam ipse ad cœlestia redisset : *Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod Ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit : ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur ; et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra (cap. 74) dictum est. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem :*

(1) S. Thomas, 2ª 2æ, q. XXXIX, a. 1. — (2) S. Hieronymus, *Commentar. in Epist. ad Titum*, cap. III, v. 10-11. — (3) Hom. XI *in Epist. ad Ephes.*, n. 5. — (4) S. Augustinus, *Contra Epistolam Parmeniani*, lib. II, cap. 11, n. 25.

Pasce oves meas (1). Jesus Christus igitur summum rectorem Ecclesiæ Petrum dedit, idemque sanxit ut ejusmodi magistratus saluti communi ad perennitatem institutus, ad successores hereditate transferretur, in quibus Petrus ipse esset auctoritate perpetua superstes. Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, præterea nemini : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (2). — *Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex uno* (3). — *Nulla siquidem oratione præmissa... tam patrem ejus, quam ipsum nomine appellat* (beatus es Simon Bar Jona), *et Simonem eum non jam vocari patitur, eum sibi pro sua potestate jam tum ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam Ecclesiam* (4), Quo ex oraculo liquet, Dei voluntate jussuque Ecclesiam in beato Petro, velut ædes in fundamento consistere. Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohærentes efficiat ædes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolumitatis ac firmitudinis: quo sublato, omnis ædificatio collabitur. Igitur Petri est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate jubendi, vetandi, judicandi, quæ vere proprieque *jurisdictio* dicitur ? Profecto non nisi potestate jurisdictionis stant civitates resque publicæ. Principatus honoris ac pertenuis illa consulendi monendique facultas, quam *directionem* vocant, nulli hominum societati admodum prodesse neque ad unitatem neque ad firmitudinem queunt. Atque hanc, de qua loquimur, potestatem illa declarant et confirmant : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. — Quam autem eam ? an enim petram supra quam Christus ædificat Ecclesiam ? an Ecclesiam ? Ambigua quippe locutio est : an quasi unam eamdemque rem, petram et Ecclesiam ? Hoc ego verum esse existimo, nec enim adversus petram, super quam Christus Ecclesiam ædificat, nec adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt* (5). Cujus divinæ sententiæ ea vis est : quamcumque visi invisique hostes vim,

(1) S. Thomas, *Contra Gentiles* lib. IV, cap. 76. — (2) Matth. XVI, 18. — (3) S. Pacianus, ad Sempronium, epist. III, n. 11. — (4) S. Cyrillus Alexandrinus, *in Evang. Joan.* lib. II, in cap. I, v. 42. — (5) Origenes, *Comment. in Matth.*, tom. XII, n. 11.

quascumque artes adhibuerint, numquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquo modo deficiat : *Ecclesia vero tamquam Christi ædificium, qui sapienter ædificavit « domum suam supra petram », portarum inferi capax non est, prævalentium quidem adversus quemcumque hominem, qui extra petram et Ecclesiam fuerit, sed invalidarum adversus illam* (1). Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumen tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita : quia societati hominum re et cum effectu tuendæ, jus imperii in eo qui tuetur est necesarium. Illud præterea Jesus adnexuit: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Plane loqui de Ecclesia pergit, quam paullo ante nuncuparat *suam*, quamque ipsam vel e se in Petro dixit, tamquam in fundamento, statuere. Expressam non modo *ædificii*, sed etiam *regni* imaginem gerit Ecclesia : ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter *claves regni cælorum* cum Jesus dare Petro pollicetur, potestatem et jus in Ecclesiam pollicetur daturum: *Filius vero et Patris et sui ipsius cognitionem per totum orbem illi (Petro) disseminare commisit, ac mortali homini omnem in cælo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et cælis firmiorem monstravit* (2). Concinunt cetera : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Ligandi solvendique translata locutio jus ferendarum legum, item judicandi vindicandique designat potestatem. Quæ quidem potestas tantæ amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quælibet decreta ejus rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui juris, quippe quæ nullum habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quæ sunt Ecclesiæ commissa, universa complectitur.

Promissum exsolvitur, quo tempore Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se deligeret plus quam ceteri, quæsisset, præcipientis in modum ei, *Pasce,* ait, *agnos meos... pasce oves meas* (3). Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut pastori committit : *Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem*

---

(1) Origenes. *Comment. in Matth.*, tom. XII, n. 11. — (2) S. Joannes Chrysostomus, Hom. LIV, *in Matth.*, n. 2. — (3) Joan. XXI, 16-17.

elevandus in cœlum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat... Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur...perfectiores ut perfectior gubernaret (1). Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se præbere ducem, eumdemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi : brevi, regendo, gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christianorum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti Jesus Christus profuso sanguine prospexerat : *Cur sanguinem effudit ? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus ejus tradidit* (2).

Quoniamque immutabilis communione fidei christianos omnes oporteret esse invicem cunjunctos, idcirco suarum virtute precum Christus Dominus impetravit Petro, ut in gerenda potestate numquam fide laberetur : *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (3). Eidem præterea mandavit ut, quoties tempora postularent, ipse impertiret fratribus suis lumen animi et robur : *Confirma fratres tuos* (4). Quem igitur fundamentum Ecclesiæ designarat, eumdem esse vult columen fidei : *Cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit* (5) ? Hinc ipse Jesus certa quædam nomina, magnarum indicia rerum, quæ *sibi potestate sunt propria, voluit esse Petro secum participatione communia* (6), nimirum ut ex communione titulorum appareret communio potestatis. Ita ipse, qui *lapis est angularis, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* (7), Petrum velut *lapidem* statuit, quo fulta esse Ecclesia deberet. *Cum audisset «petra es» præconio nobilitatus est. Quamquam autem petra est, non ut Christus petra, sed ut Petrus petra. Christus enim essentialiter petra inconcussa; Petrus vero per petram. Nam Jesus dignitates suas largitur, nec exhauritur... Sacerdos est, facit sacerdotes.. petra est, petram facit* (8). Rex idem Ecclesiæ, *qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit: claudit et nemo aperit* (9), traditis Petro *clavibus,* principem christianæ reipublicæ declaravit. Pariter pastor maximus,

(1) S. Ambrosius, *Exposit. in Evang. secundum Lucam,* lib. X, nn. 175-176. — (2) S. Joannes Chrysostomus, *De Sacerdotio,* lib. II. — (3) Luc. XXII, 32. — (4) Ib. — (5) S. Ambrosius, *De Fide,* lib. IV, n. 56. — (6) S. Leo M. sermo IV, cap. 2. — (7) Ephes. II, 21. — (8) Hom. *de Pœnitentia, n. 4 in* appendice opp. S. Basilii. — (9) Apoc. III, 7.

qui se ipse *pastorem bonum* nuncupat (1), *agnis atque ovibus suis* pastorem Petrum præposuit : *Pasce agnos, pasce oves.* Quare Chrysostomus : *Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum et cœtus illius caput... Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratribus ei præfecturam committit... Dicit autem : Si amas me, fratribus præesto* (2). Demum qui confirmat *in omni opere et sermone bono* (3), mandavit Petro ut *confirmaret fratres suos.* Jure igitur Leo magnus : *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus* (4). Itemque Gregorius magnus ad Imperatorem Mauritium Augustum : *Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est... claves regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, et cura ei totius Ecclesiæ et principatus committitur* (5).

Ejusmodi autem principatum, quoniam constitutione ipsa temperationeque Ecclesiæ, velut pars præcipua, continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuæ, nequaquam cum beato Petro interire, sed recidere in ejus successores ex alio in alium oportuit : *Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit* (6). Quare Pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam Ecclesiæ potestatem obtinent jure divino. *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse ; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur* (7). Similiter Concilium Lateranense IV : *Romana Ecclesia... disponente Domino, super omnes alias*

(1) Joan. X, 11. — (2) Hom. LXXXVIII, *in Joan.* n. 1. — (3) II. Thessalon. II, 16. — (4) Sermo IV, cap. 2. — (5) *Epistolarum*, lib. V, epist. XX. — (6) S. Leo M. sermo III, cap. 3. — (7) *Concilium Florentinum.*

ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra. Antecesserat consensus antiquitatis quæ episcopos romanos sine ulla dubitatione sic semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. Quem vero lateat quot in eamdem rem extent et quam luculenta sanctorum patrum testimonia ? Illud valde præclarum Irenæi qui cum de Ecclesia romana dissereret, *ad hanc enim,* inquit, *Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam* (1). Ac Cyprianus itidem de Ecclesia romana affirmat, eam esse *Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem* (2), *Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* (3). *Cathedram* Petri appellat quippe quam insidet Petri successor : *Ecclesiam principalem* ob principatum Petro ipsi et legitimis successoribus collatum : *unde unitas exorta,* quia in christiana republica caussa efficiens unitatis est Ecclesia romana. Quare Hieronymus iis verbis Damasum affatur : *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor... Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* (4). Solemne illi est, catholicum hominem ex conjunctione cum romana Petri sede internoscere : *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est* (5). Neque absimili ratione Augustinus, palam testatus, *in romana Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguisse principatum* (6), negat esse catholicum, quicumque a fide romana dissentiat : *Non crederis veram fidem tenere catholicam, qui fidem non doces esse servandam romanam* (7). Item Cyprianus : Communicare cum Cornelio, *hoc est cum catholica Ecclesia communicare* (8). Similiter Maximus Abbas hanc veræ fidei veræque communionis notam esse docet, subesse Pontifici romano : *Itaque si vult hæreticus non esse neque audire, non isti aut illi satisfaciat... Festinet pro omnibus sedi romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum prædicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimæ romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam, id est Apostolicam Sedem.* Cujus rei caussam

(1) *Contra Hæreses,* lib. III, cap. 3, n. 2. — (2) Epist. XLVIII, ad Cornelium, n. 3. — (3) Epist. LIX, ad eumd., n. 14. — (4) Epist. XV, ad Damasum, n. 2. — (5) Epist. XVI, ad Damasum, n. 2. — (6) Epist. XLIII, n. 7. — (7) Sermo CXX, n. 13. — (8) Epist. LV, n. 1.

rationemque in eo affirmat residere, quod *ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos universarum quæ in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem ligandi et solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit, etiam in cælo Verbum, quod cælestibus virtutibus principatur* (1). Quod igitur erat in fide christiana, quod non una gens aut una ætas, sed ætates omnes, et Oriens pariter atque Occidens agnoscere atque observare consueverat, id meminit nullo contradicente, ad Ephesinam Synodum Philippus presbyter, a Pontifice legatus : *Nulli dubium est, tmo sæculis omnibus notum, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet* » (2). Eademque de re in omnium cognitione versatur Concilii Chalcedonensis sententia : *Petrus per Leonem... loquutus est* (3) : cui vox Concilii Constantinopolitani III resonat, tanquam imago : *Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps : illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem... charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur* (4). In formula catholicæ professionis ab Hormisda conceptis verbis, ineunte sæculo sexto, proposita, cui tum Justinianus Imperator, tum Epiphanius, Joannes, et Menna Patriarchæ subscripserunt, illud est magna vi sententiarum declaratum : *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis :* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... *hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio* (5). Nolumus quidem persequi singula : libet tamen formulam fidei meminisse, quam Michael Palæologus in Concilio Lugdunensi II professus est : *Ipsa quoque sancta romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in*

(1) *Defloratio ex Epistola ad Petrum illustrem.* — (2) Actio III. — (3) Actio II. — (4) Actio XVIII. — (5) Post Epistolam XXVI, ad omnes Episc. Hispan., n. 4.

beato Petro, Apostolorum principe sive vertice, cujus romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerunt quæstiones, suo debent judicio definiri (1).

Si Petri ejusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola. Nam qui Petrum Ecclesiæ fundamentum posuit, idem *elegit duodecim... quos et apostolos nominavit* (2). Quo modo Petri auctoritatem in romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt ; ita ut intimam Ecclesiæ constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* romanorum pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.

Verum quia successor Petri unus est, Apostolorum permulti, consentaneum est perspicere quæ sint istorum cum illo, divina constitutione, necessitudines. — Ac primo quidem conjunctionis episcoporum cum eo qui Petro succedit, non obscura est neque dubia necessitas : hoc enim soluto nexu, solvitur ac diffluit multitudo ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem : *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes* (3). Idcirco ad id præstat advertere animum : nihil esse Apostolis seorsum a Petro collatum ; plura seorsum ab Apostolis ac separatim Petro. Joannes Chrysostomus in Christi edisserenda sententia (Joan. XXI, 15) cum percontatus esset, *Cur, aliis prætermissis, de his Christus Petrum alloquitur ?* omnino respondet : *Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum, et cœtus illius caput* (4). Hic enim unus designatus a Christo est fundamentum Ecclesiæ : ipsi *ligandi* copia *solvendique* permissa, eidemque *pascendi* data potestas uni. Contra quidquid auctoritatis ac muneris

(1) Actio IV. — (2) Luc. VI, 13. — (3) S. Hieronymus, Dialog. *Contra Luciferianos*, n. 9. — (4) Hom. LXXXVIII, *in Joan.* n. 1.

accepere Apostoli, conjuncte cum Petro accepere : *Divina dignatio si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit* (1). *Ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit* (2). Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos jure ac potestate regendi, si a Petro ejusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet ædificium niti, secessione divelluntur ; itaque exclusi *ædificio* ipso sunt : ob eamdemque caussam ab *ovili* sejuncti, cui dux est pastor maximus, *regnoque* extorres, cujus uni Petro datæ divinitus claves.

Quibus rebus rursus noscimus in constituenda christiana republica cœlestem discriptionem mentemque divinam. videlicet cum Ecclesiam divinus auctor fide et regimine et communione unam esse decrevisset, Petrum ejusque successores delegit in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. Quare Cyprianus : *Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum :* Ego tibi dico, *inquit,* Quia tu es Petrus... *Super unum ædificat Ecclesiam. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat : sicut misit me Pater..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit* (3). Atque Optatus Milevitanus : *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est : in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur : ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret* (4). Unde est illa ipsius Cypriani sententia, cum hæresim tum schisma ex eo ortum habere gignique, quod debita supremæ potestati obedientia abiicitur : *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur* (5). Nemo igitur, nisi cum Petro cohæreat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in

(1) S. Leo M. sermo IV, cap. 2. — (2) Ib. — (3) *De Unit. Eccl.*, n. 4. — (4) *De Schism. Donat.*, lib. II. — (5) Epist. XII, ad Cornelium, n. 5.

Ecclesia præesse. Quare Optatus Milevitanus reprehendebat hoc nomine Donatistas : *Contra quas portas* (inferi) *claves salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum cui a Christo dictum est : tibi dabo claves regni cœlorum, et portæ inferi non vincent eas. Unde est ergo, quod claves regni cœlorum vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri... militatis* (1) ?

Sed episcoporum ordo tunc rite, ut Christus jussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat : secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur. Fidei et communionis unitate rite conservandæ, non gerere honoris caussâ priores partes, non curam agere satis est ; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa, cui obtemperet tota communitas. Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni cœlorum *uni* pollicitus est Petro ? Summum fastigium potestatis nomine *clavium* eo loco designari, *usus biblicus* et Patrum consentientes sententiæ dubitari non sinunt. Neque secus interpretari fas est, quæ vel Petro separatim tributa sunt, vel Apostolis conjunctim cum Petro. Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos* et *oves* assignatum est, Deo auctore, munus : *Non solum pastorem (Petrum), sed pastorum pastorem* (*Christus*) *constituit ; pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres : regit subditos, regit et prælatos quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est* (2). Hinc illæ de beato Petro singulares veterum locutiones, quæ in summo dignitatis potestatisque gradu locatum luculenter prædicant. Appellant passim *principem cœtus discipulorum : sanctorum Apostolorum principem : chori illius coryphæum : os Apostolorum omnium: caput illius familiæ: orbis totius præpositum: inter Apostolos primum : Ecclesiæ columen :* Quæ omnia concludere Bernardus iis verbis videtur ad Eugenium Papam : *Qui es ? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres Apostolorum... Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores ; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ ceteris nomen*

(1) Lib. II, n. 4, 5. — (2) S. Brunonis Episcopi Signiensis *Comment. in Joan.* part. III, cap. 21, n. 55.

hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris. Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves ? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas ? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni ? Oves meas, inquit : cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes ? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil (1).

Illud vero abhorret a veritate, et aperte repugnat constitutioni divinæ, jurisdictioni romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos,* jus esse ; *universos,* jus non esse. Hæc enim omnis est caussa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque toti potius ædificio, quam *partibus* ejus *singulis* tueatur. Quod est in caussa, de qua loquimur, multo verius, quia Christus Dominus fundamenti virtute confieri voluit, ut portæ inferi non prævaleant adversus Ecclesiam. Quod promissum divinum constat inter omnes de Ecclesia universa intelligi oportere, non de singulis ejus partibus, quippe quæ utique vinci inferorum impetu possunt, nonnullisque earum, ut vincerentur, singillatim evenit. Rursus, qui gregi præpositus est universo, eum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatorum habere imperium necesse est. Num regat agatque pastorem suum universitas ovium ? Num successores Apostolorum, simul conjuncti, fundamentum sint, quo Petri successor, adipiscendi firmamenti caussâ, innitatur ? Profecto cujus in potestate sunt claves regni, ei jus atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul : et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate præsunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes ejus partes, etiam una collectas, subjectas atque obedientes habent potestati suæ. Christus Dominus, quod jam dictum satis, Petro ejusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium magistro suo præstitisse auctoritate dicatur ?

(1) *De Consideratione,* lib. II, cap. 8.

Hanc vero, de qua dicimus, in ipsum episcoporum collegium potestatem, quam sacræ litteræ tam aperte enuntiant, agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere effata Conciliorum : *Romanum pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicasse, legimus : de eo vero quemquam judicasse, non legimus* (1). Cujus rei ea ratio redditur, quod *auctoritate Sedis Apostolicæ major non est* (2). Quare de Conciliorum decretis Gelasius : *Sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit* (3). Sane Conciliorum consulta et decreta, rata habere vel infirmare semper romanorum Pontificum fuit. Conciliabuli Ephesini acta rescidit Leo magnus : Ariminensis, rejecit Damasus : Constantinopolitani, Hadrianus I ; canonem vero XXVIII Concilii Chalcedonensis, quod assensu et auctoritate caruit Sedis Apostolicæ, velut incassum quiddam constat jacuisse. Recte igitur in Concilio Lateranensi V Leo X statuit : *Solum romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio dictisque Patrum ac aliorum romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdum Conciliorum confessione manifeste constat.* Sane claves regni cœlorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacræ litteræ testantur : at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Jesu Christo nullo pacto accepere. — Quibus de caussis, Concilii Vaticani decreto, quod est de vi et ratione primatus Romani Pontificis, non opinio est invecta nova, sed vetus et constans omnium sæculorum asserta fides (4).

Neque vero potestati geminæ eosdem subesse, confusionem habet administrationis. Tale quicquam suspicari, primum

(1) Hadrianus II, *in Allocutione III* ad Synodum Romanam an. 896. Cf. Actionem VII Concilii Constantinopolitani IV. — (2) Nicolaus in epist. LXXXVI, ad Michael. Imperat. — *Patet profecto Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* — (3) Epist. XXVI, ad Episcopos Dardaniæ, n. 5. — (4) Sess. IV, cap. 3.

sapientia Dei prohibemur, cujus consilio est temperatio isthæc regiminis constituta. Illud præterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed romani pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui juris ; episcoporum verò certis circumscripta finibus, nec plane sui juris : *Inconveniens est, quod duo æqualiter super eumdem gregem constituantur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens ; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus et Papa* (1). Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum : propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiâque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit. Imo quidquid Episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum deputant. *Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* (2).

His quæ dicta sunt, Ecclesiæ quidem imaginem atque formam ex divina constitutione fideliter expressimus. Plura persecuti de unitate sumus ; cujusmodi hanc esse, et quo conservandam principio divinus auctor voluerit, satis explicavimus. Quotquot divino munere beneficioque contigit, ut in sinu Ecclesiæ catholicæ tamquam ex ea nati vivant, eos vocem Nostram apostolicam audituros, non est cur dubitemus : *Oves meæ vocem meam audiunt* (3). Atque hinc facile sumpserint quo et erudiantur plenius, et voluntate propensiore cum pastoribus quisque suis et per eos cum pastore summo cohæreant, ut tutius queant intra ovile unicum permanere, fructuumque ex eo salutarium majorem ubertatem capere. Verum aspicientibus Nobis *in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (4), cujus vicaria potestate, tametsi impares dignitati et muneri, fungimur, caritate ejus inflam-

(1) S. Thomas *in IV Sent.* dist. XVII. a, 4, ad q. 4. ad 3. — (2) S. Gregorius M. *Epistolarum* lib. VIII, epist. XXX, ad Eulogium. — (3) Joan. X, 27. — (4) Hebr. XII, 2.

matur animus; illudque de se a Christo dictum, de Nobismetipsis non sine caussa usurpamus : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient* (1). Nos igitur audire et caritati Nostræ paternæ obsequi ne recusent, quotquot sunt, qui impietatem tam late fusam oderunt, et Jesum Christum Filium Dei eumdemque servatorem generis humani agnoscunt et fatentur, sed tamen vagantur ab ejus Sponsa longius. Qui Christum sumunt, totum sumant necesse est : *Totus Christus caput et corpus est : caput unigenitus Filius Dei, corpus ejus Ecclesia : sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite a Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia* (2). Ac pari studio ad eos provolat animus Noster, quos impietatis non funditus corrupit pestilens afflatus, quique hoc saltem expetunt, sibi patris esse loco Deum verum, terræ cœlique opificem. Hi quidem apud se reputent ac plane intelligant, numerari se in filiis Dei nequaquam posse, nisi fratrem sibi Jesum Christum simulque Ecclesiam matrem adsciverint. Omnes igitur peramanter, sumpta ex Augustino ipso sententia, compellamus : *Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus : illum sicut patrem, istam sicut matrem. Nemo dicat: ad idola quidem vado, arreptitios et sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo : catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item dicit : absit a me, non consulo sortilegum, non quæro arreptitium, non quæro divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda dæmonia, non servio lapidibus : sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus pater, qui offensam vindicat matrem ? Quid prodest si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, Filium ejus agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris, et blasphemas Ecclesiam ejus ?... Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obsequereris ; si unum crimen de ejus conjuge diceres, num quid domum ejus intrares ? Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem Ecclesiam* (3).

(1) Joan. X, 16. — (2) S. Augustinus, *Contra Donatistas Epistola, sive De Unit. Eccl.* cap. IV, n. 7. — (3) *Enarratio in Psal. LXXXVIII*, sermo II, n. 14.

Plurimum misericordi Deo confisi, qui maxime potest animos hominum permovere, et unde vult, et quo vult, impellere, benignitati ejus universos, quos in oratione spectavimus, vehementer commendamus. Cœlestium vero donorum auspicem et benevolentiæ Nostræ testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXIX Junii, An. MDCCCLXXXXVI, Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

I.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

De erectione et aggregatione Confraternitatum.

Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum sequentia dubia huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, humiliter dirimenda proposuit :

I. An conditio Clementinæ Constitutionis « Quæcumque » de consensu Ordinarii loci et de litteris testimonialibus, servanda in erectionibus et aggregationibus Confraternitatum, accipienda sit ita, ut duo requirantur actus distincti, consensus nempe et litteræ testimoniales : vel potius sufficiat consensus implicite expressus in litteris testimonialibus !

II. An Summarium Indulgentiarum quod una cum diplomate datur in erectione Confraternitatum, jam recognitum et approbatum a S. Cong. Indulgent., nova etiam indigeat recognitione Ordinarii loci ?

III. An distincta Communitas, quam Decretum S. C. Indulg. in una Laudensi diei 31 Januarii 1893 pro erectione Confraternitatum ejusdem nominis et instituti requirit, constituatur etiam a quolibet ejusdem municipii oppido, situ et nomine ab aliis disjuncto, adeo ut in uno codemque municipio plures ejusdem nominis et instituti confraternitates erigi possint ?

IV. An in magnis Civitatibus, quæ unam tantum constituunt Communitatem, plures nihilominus erigi possint ejusdem nominis et instituti Confraternitates ?

V. An erectio Confraternitatum SS. Rosarii facta per litteras Mag. Gen. Ord. Præd. facultativas, executioni mandatas a Sacerdote, sive regulari, sive sæculari ab eodem Mag. Gen. deputato, valida sit, si Ordinarius consensum

quidem suum ante executionem exprimat, nullas vero litteras testimoniales concedat ?

VI. An ipsæ litteræ facultativæ validæ sint si subscriptione et sigillo ejusdem Mag. Gen. munitæ aut certum Sacerdotem ad executionem non deputent, aut locum Confraternitatis erigendæ non exprimant ?

Deinde sequentia postulata exhibuit :

I. *a*) Quoad præteritum : Ut omnes SS^mi^ Rosarii Confraternitates, quæ sive in propriis Ordinis, sive in aliis Orbis Ecclesiis erectæ inveniuntur irregularitate, vel vitio nullitatis affectæ, ob quemcumque loci distantiæ, litterarum testimonialium, diplomatum concessionis, sive alterius cujusque generis defectum, in radice sanentur, et, quatenus opus sit, immediate Apostolica Auctoritate de novo erigantur, firmis remanentibus privilegiis a RR. PP. Ordini Prædic. elargitis.

b) Quoad futurum : Ad majus incrementum sodalium SS^mi^ Rosarii postulat facultatem pro Mag. Gen. Ord. Prædic. ejusque Vicario, ut penes Provinciales et Episcopos etiam in Europa, non tamen in Italia, possit eo modo, quo, consensu a S. S. habito, agere solent aliorum Ordinum Superiores, et ipse agit extra Europam, diplomata in deposito habere, servatis tamen iisdem ordinationibus et conditionibus ab ipsis RR. PP. datis.

II. Ut in magnis Civitatibus, ubi habitantium numerus centum excedit millia, tres vel quatuor etiam Confraternitates Sanctissimi Rosarii de speciali S. S. mandato, erigi possint et valeant.

III. Ut duo postrema postulata extendantur etiam ad alias duas Confraternitates SS^mi^ Nominis Dei, nec non militiæ Angelicæ S. Thomæ Aquinatis.

Et E^mi^ ac R^mi^ PP. Cardinales in generalibus Comitiis, ad Vaticanas Ædes habitis die 5 Martii 1896, rescripserunt :

Ad Dubium I. Sufficere Ordinarii litteras, quibus consensum in erectionem vel aggregationem Confraternitatum significet et Instituti pietatem ac religionem commendet.

Ad. II. Negative.

Ad. III. Affirmative, dummodo in unoquoque oppido habeatur etiam propria Parœcia.

Ad. IV. Negative : sed supplicandum SS^mo^, ut derogando

in hac parte Constitut. s. m. Clementis VIII quæ incipit « Quæcumque », Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in hujusmodi erectionibus convenienti, eorum judicio, distantia.

Ad. V. Negative.

Ad. VI. Negative.

Ad postulata vero :

Quoad I. *a*) Affirmative.

b) Non expedire.

Quoad II. Jam satis provisum in responsione ad dubium IV.

Quoad III. Jam provisum in responsione ad duo postulata priora.

Factaque de omnibus SS^mo Domino Nostro Leoni PP. XIII relatione in audientia habita die 20 Maii 1896 ab infrascripto Cardinali S. C. Præfecto, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. ratas habuit et confirmavit, simulque derogando Constitutioni Clementis VIII, facultatem in IV dubio postulatam benigne Ordinariis concedere dignata est.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C. die 20 Maii 1896.

ANDREAS Card. STEINHUBER, Præfectus.
A. Archiep. Nicopol. Secretarius.

L. † S.

II.

Dubia Tertium Ordinem concernentia.

Fr. Raphaël ab Aureliaco Procurator Generalis Ord. Fratrum Minorum nonnullas proponit quæstiones quæ ad Tertium Ordinem sæcularem S. Francisci Assisiensis pertinent, quarum solutionem ab hac S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita humiliter expostulat :

Et 1° quidem cum per Decretum S. Congr. Indulg. die 21 Julii 1888 Leo PP. XIII benigne concessisset ut Tertiarii Franciscales sæculares perfrui possint gratia *Absolutionis seu Benedictionis cum Indulgentia Plenaria* die eas festivitates

præcedente, quibus illa est concessa, *non tamen publice, sed privatim tantummodo, nempe post expletam sacramentalem Confessionem,* ex his sequentia dubia suboriuntur :

I. Utrum clausula *privatim, nempe post expletam sacramentalem confessionem,* ita intelligi debeat, ut Absolutio Generalis nonnisi in loco, in quo auditur confessio sacramentalis dari debeat, vel etiam extra prædictum locum impertiri possit ?

Et in casu quo prædicta Absolutio in loco tantum ubi auditur confessio impertiri possit quæritur :

II. An saltem Tertiarii illi, qui confessionem qualibet hebdomada peragere solent, nec indigent confessione, pro acquirenda indulgentia plenaria, recipere possint Absolutionem generalem extra locum in quo audiuntur confessiones, præsertim si pœnitentium multitudo impediat, quominus prædicti Tertiarii, qui justis de causis expectare nequeunt ad confessarium accedere possint.

III. An beneficio Benedictionis papalis et Benedictionis cum indulgentia plenaria gaudeant Tertiarii illi, qui diebus statutis eas publice recipiunt non a Directore propriæ congregationis, sed a Directore alterius congregationis Tertiarium, quæ obedientiæ alterius Familiæ Franciscani Ordinis subest ?

2º Vero quoad receptionem Tertiariorum in aliquam fraternitatem dicti Tertii Ordinis, nec non quoad menstruos eorumdem conventus hæc sequentia dubia proponuntur :

IV. An sacerdoti v. gr. Parocho, a Superiore unius Ordinis Franciscalis debita facultate munito pro recipiendis fidelibus ad habitum et professionem Tertii Ordinis, sufficiat *eadem facultas* pro admittendis fidelibus ad habitum et professionem dicti Tertii Ordinis in aliquam fraternitatem, *quæ obedientiæ et directioni alterius Ordinis Franciscalis subjacet?*

V. In quadam regione sunt qui docent Sacerdotes Tertium Ordinem sæcularem S. Francisci ingredi petentes, dispensari posse a Novitiatu, ita ut Tertiariorum habitu suscepto, statim *per modum unius* admitti possint ad professionem. Quæritur:

An Superiores regulares Franciscales, dispensare possint Sccerdotes ad habitum Tertii Ordinis admissos (exceptis iis qui in periculo mortis sunt constituti) super præscripto Novitiatu sive in toto sive in parte?

VI. In nonnullis, præsertim ruralibus parœciis non raro accidit quod Tertiarii singulis mensibus coadunentur absque Sacerdote Directore, aliis ministerii pastoralis laboribus impedito, atque orationes de more faciendas recitent, et loco habendæ conferentiæ spiritualem audiant lectionem. Quæritur an Tertiarii ita coadunati lucrari valeant indulgentiam plenariam mensili conferentiæ assistentibus concessam?

Porro S. Congregatio Indulgentiarum propositis dubiis, audito etiam unius ex Consultoribus voto, respondere mandavit:

Ad. I. Ad 1am part. *Affirmative;* ad 2am part. *Negative.*

Ad. II. *Negative.*

Ad. III. *Affirmative.*

Ad. IV. *Negative.*

Ad. V. *Negative.*

Ad. VI. *Affirmative,* si legitime convenerint, de auctoritate videlicet Directoris.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 30 Januari 1896.

A. Card. STEINHUBER, Præf.

L. † S. A. Archiepiscopus Nicopolitanus, Secretarius.

Ex sacra Congregatione Rituum

I.

DECRETUM.

Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in calendariis particularibus, Officiorum Duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediantur, nonnulli ecclesiastici viri

pietate, doctrina ac dignitate præstantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut, ad juvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, præsertim iis, quæ in sepulcretis rite erecta sunt vel erigentur, Missæ lectæ de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica Benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem S^mo^ Domino Nostro hujus negotii examen Sacræ Rituum Congregationi committere ; quæ exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis in ordinario Cœtu subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad propositam per infrascriptum Cardinalem Sacræ eidem Congregationi Præfectum quæstionem, respondendum censuit :

Si Sanctissimo placuerit : I. In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas, quæ inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici 1^ae^ vel 2^ae^ classis, a Dominicis aliisque festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis ; item II. In quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis quum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis : verum sub clausulis et conditionibus, quibus, juxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, exceptis duplicibus primæ classis et festis de præcepto. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem, relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacræ ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, die 8 Junii, eodem anno.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Præf.

Aloisius Tripepi, Secretarius.

L. ✝ S.

Notanda. Ex hoc decreto sequitur, deinceps missas privatas de Requie permitti in exequis *die* vel *pro die obitus seu depositionis,* quoties juxta rubricas et decreta missa exequialis decantari potest, *exceptis tamen duplicibus primæ classis et festis de præcepto.* His ergo diebus exceptis missæ privatæ prohibitæ manent etiamsi, v. gr. in festo SS. Cordis Jesu, in feriis secunda et tertia Paschæ vel Pentecostes etc. missa solemnis de Requie permittatur.

Verbis *pro die obitus vel depositionis* intelligi videntur exequiæ, quæ corpore non præsente et jam rationabili de causa sepulto sine missa, celebrari permittuntur prima die non impedita duplicibus primæ et secundæ classis, Dominica vel festo de præcepto ; imo si dicta causa sit vel civile vetitum vel morbus contagiosus, juxta decretum 13 Februarii 1892, cadaver consideratur ac si physice esset præsens, dummodo tumulatum non fuerit ultra biduum ab obitu, ita ut in hoc casu missa exequialis cantari licite valeat, quoties præsente cadavere permittitur.

Nomine « festorum de præcepto » quæ in decreto supra dato excipiuntur, intelligi videntur non tantum omnes Dominicæ et festa quæ de facto sub utroque præcepto coluntur, sed etiam omnia illa quæ vi præcepti Urbani VIII anni 1642 colenda sunt (et in quibus parochi pro grege celebrare tenentur), « quia licet præceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus in aliquibus locis abrogatum sit, summi tamen Pontifices Clemens XIV ac Pius VII expresse declararunt in consueto divinorum officiorum sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu nihil esse innovandum, sed omnia eadem prorsus ratione peragenda ac si festa adhuc forent de præcepto. » *De Herdt, Sacræ Liturg. praxis, tom. I* nº 56 ; *(Cfr. Ill. Vanderstappen, Tract. de rubr. miss. Sect. II, c. I, art. 3, q. 29).*

II.

DECRETUM GENERALE.

Orationum et Sequentiæ in Missis Defunctorum.

Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum, Sacra Rituum Congregatio declarat :

I. Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quæ celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX, et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis.

II. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant ; eodemque ordine quo sunt inscriptæ.

IV. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricæ potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato.

V. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quæ diebus ut supra privilegiatis fiunt : in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis juxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Junii 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Præf.
Aloisius Tripepi, S. R. C. Secretarius.

L. † S.

Adnotationes. Per hoc decretum generale Sacra Rituum Congregatio plures dirimit quæstiones, imo introducit mutationes circa numerum, delectum ac ordinem orationum dicendarum et circa recitationem sequentiæ *Dies iræ* in missis *de Requiem.* Abrogat plura decreta anteriora et nominatim illud recentius 13 Julii 1883 *in Petrocoricen.* (confirmatum per decr. *in Vigevanen.* 12 Aug. 1884), quo expresse præscribitur in missis quotidianis *de Requiem cantatis* etiam absque ministris à solo celebrante, dicendam esse unicam orationem ; atque decretum 16 Sept. 1865 *in Tuscanen.* quo S. R. C. clare docet in missis quotidianis sacerdotem *private* celebrantem pro aliqua aut aliquibus personis defunctis debere indiscriminatim dicere primam orationem *Deus qui inter apostolicos sacerdotes etc.* primo loco in missali assignatam, non autem aliam ex diversis in eodem missali positis, quæ conveniat ei aut iis pro quibus missam applicat.

Quænam ergo juxta decretum 30 Junii 1896 deinceps praxis servanda ?

1° *Quoad numerum orationum.* Ad determinandum utrum una vel tres aut plures orationes sint dicendæ in missa defunctorum, non attenditur an missa sit cantata aut solemnis vel privata seu lecta, sed tantum utrum officium defunctorum quod missæ correspondet sit duplex vel non. Jamvero officium, juxta rubricas et decreta, est duplex, seu duplicandæ sunt antiphonæ, in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, diebus tertia, septima et trigesima et die anniversaria (Cfr. *Collationes,* p. 258). His ergo in casibus unica dicenda est oratio, sive missa sit cantata, sive sit, *permittente ritu,* privata. Decretum autem, addendo unam orationem recitandam esse *quandocumque solemniter* missa pro defunctis celebratur, nempe ritu qui duplici respondet, assimilat, quoad unicitatem orationis, diebus jam enunciatis : *a*) officium quod

fit post acceptum nuntium de alicujus obitu, (prout per indulta particularia quibusdam congregationibus, monasteriis vel capitulis concessum est, ut celebrent missam de Requiem, iisdem diebus quibus anniversaria permittuntur, quando primum nuntium accipitur de obitu alicujus e gremio eorum) ; *b*) anniversaria late sumpta, sub quo nomine intelligi possunt, illa quæ non ex fundatione sed juxta petitionem vivorum in die anniversario obitus celebrantur, vel quæ quidem fundata sunt, non tamen in die obitus sed pro certo et determinato die ab obitu diverso, a testatore designato. Omnibus ergo aliis diebus præter enumeratos seu in omnibus missis quotidianis tres saltem orationes sunt dicendæ, sive missa sit privata, sive sit cantata etiam solemniter.

2° *Quoad delectum et ordinem orationum.* In missis in quibus unica recitanda est oratio, hæc erit conveniens missæ, prout in die obitus, anniversaria etc. celebratur, vel personæ pro qua celebratur v. gr. pro sacerdote, Episcopo, etc. Si autem tres dicendæ sunt orationes in missa, tum cantata, tum lecta, et celebratur ad intentionem unius vel plurium defunctorum certo designatorum, prima oratio erit illa conveniens defuncto vel defunctis pro quibus applicatur ; secunda oratio est ad libitum celebrantis et tertia semper esse debet pro omnibus fidelibus defunctis *Fidelium omnium.* Si autem pro defunctis in genere sacrificium offertur, tres orationes sunt dicendæ quæ in missali pro missis quotidianis prostant et eodem ordine.

Celebrans autem potest aliquando pro libitu in *quotidianis* missis alias addere orationes, ita tamen ut numerus omnium simul sit impar et ultimo loco ponatur oratio generalis *Fidelium* pro omnibus defunctis. Hoc autem ipsi licet *tantum* in missis privatis seu lectis, non autem in cantatis.

3. *Quoad sequentiam* « *Dies iræ.* » Hæc dicenda est de

præcepto in omnibus missis in quibus una tantum oratio recitatur et insuper in omnibus missis cantatis etiamsi tres dicantur orationes. In reliquis quotidianis lectis addi vel omitti potest ad libitum celebrantis.

H. V. D. W.

III.

VICENTINA.

In Kalendario Diœceseos Vicentinæ anno 1894 edito proposita, et menstruis cœtibus casuum conscientiæ quæstio agitata fuit super benedictione puerperæ, cujus proles sine baptismo decesserit. Sententiis in contraria abeuntibus, R^mus^ Canonicus qui eisdem cœtibus præerat, de legum liturgicarum observantia sollicitus, sequens dubium pro opportuna solutione Sacræ Rituum Congregationi, de consensu R^mi^ Episcopi Vicentini, humillime proposuit; nimirum: « Utrum, vi decreti ab ipsa Sacra Rituum Congregatione dati die 12 Septembris 1857 in Molinen. ad XX^um^, liceat Benedictionem *mulieris post partum,* juxta Rituale Romanum, impertiri puerperæ, cujus proles mortua fuerit sine baptismo, an vero abstinendum sit ab ea Benedictione? » Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum magistris et alterius ex Sacræ ipsius Congregationis Consultoribus, enuntiato dubio ab E^mo^ et R^mo^ D^no^ Cardinali Andrea Steinhuber, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposito, respondendum censuit: *Non esse negandam benedictionem.* Die 19 Maii 1896.

Hisce vero omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per infrascriptum Cardinalem Sacræ eidem Congregationi Præfectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacræ ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 8 Junii eodem anno.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Præf.
A. Tripepi, Secretarius.

L. ✝ S.

IV.

DECRETUM.

Cum per plura particularia Decreta iam alias edita, S. Rituum Congregatio declaravit, in eadem Ecclesia eademque die plures non posse cantari Missas de eodem officio; in præsenti, ut plurium votis satisfaciat, opportunum ac propemodum necessarium judicat ulterius declarare, quemadmodum reapse declarat: Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quæ, præter conventualem nunquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem ralationem dicunt. Quapropter præfatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 Junii 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Præf.
L. † S. A. Tripepi, Secretarius.

E Vicariatu Urbis

Nonnulla solvuntur Dubia circa Piam Adsociationem a S. Familia.

Ego infrascriptus, Piæ Adsociationis a Sacra Familia Secretarius, sequentia dubia a R^mo D^no Cadène, Ephemeridis *Analecta Ecclesiastica* Moderatore, opportune proposita, ut sequitur dimitto, nimirum:

1° Utrum proles nata post consecrationem et aggregationem alicujus *integræ familiæ,* censeri possit et ipsa aggregata, vel potius debeat, vel a seipsa, vel a parentibus singulariter aggregari?

Resp.: Ad 1um *negative;* ad 2um *affirmative.*

2° Utrum caput familiæ in actu consecrationis suæ *integræ familiæ,* possit cum vivis, aggregare etiam parentes defunctos?

Resp.: Negative, quia aggregatio respicit viventes.

3° Utrum qui jam nomen dederunt Piæ Consociationi, debeant singulis annis personaliter partem habere in solemni consecratione quæ fit in parochiali ecclesia, vel possint illam privatim renovare, vel possint ab utraque abstinere.

Resp.: Ad 1um et 2um, provisum in 3°; — Ad 3um absolute loquendo non teneri, quia prima consecratio, semel facta, perseverat. Sed valde hortandos esse fideles ut hæc consecratio renovetur, prout innuunt Statuta.

4° Utrum Capitulum penes quod residet cura habitualis animarum, quæ actualiter a Vicario perpetuo exercetur, possit aliquem deputare sacerdotem, præter dictum Vicarium, vel etiam illo excluso, pro aggregatione familiarum Piæ Adsociationi a Sacra Familia.

Resp.: Provisum in jure canonico, ubi de Vicariis perpetuis, nisi singularia privilegia fuerint a Sancta Sede concessa.

5° Quum fuerit responsum die 12 Dec. 1893 (Cfr. *Analecta Ecclesiastica,* Vol. I, pag. 484, ad 2um) quod parochus debet inscribere *numerum totalem* membrorum cujuslibet familiæ, quæritur utrum fuerint validæ anteriores inscriptiones, factæ sine numero totali?

Resp.: Affirmative.

6° Utrum præter inscriptionem factam a parocho in libro parochiali, debeat ab eodem alia fieri in libro speciali qui a singulis familiis detineatur?

Resp.: Non requiri.

Et hæc pro veritate transmitto et testificor.

Datum Romæ, ex Ædibus Vicariatus, die 26 Julii 1896.

RAPHAEL CHIMENTI
Piæ Adsociationis a Sacra Familia Secretarius.

Illmo ac Rmo Dno
FELICI CADÈNE, *Antistiti Urbano.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

I

An I Reg. XXVIII, 11-20 verus Samuel Regis Saul oculis objectus fuit ? Quis hunc virum coram Saul deduxit ? Proba responsum.

II

Explana Luc. VII, 47 : « Propter quod dico tibi : *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur minus diligit* ». Adde argumenta quibus innititur interpretatio tua.

III

Explicando responsum, indica quisnam fuerit Deo *finis operantis* in creatione rerum.

IV

Ostende privatam bonorum proprietatem legitime inter homines inductam esse.

V

Assigna duplex temperamentum quod juri possidendi accedit ex indigentia non possidentium.

VI

Quænam a Diacono et Subdiacono infra missam solemnem, non exposito SS. Sacramento, faciendæ sunt genuflexiones unico genu ?

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Julii propositas

—

I

Q. Ostende dogma Primatus B. Petri confirmari potius quam in discrimen vocari ex Epistola *ad Galatas* II, 11-14.

R. Locus iste sic sonat: *11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. 13. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non Judaice: quomodo Gentes cogis Judaizare?*

Dogma Primatus B. Petri ex hac pericopa confirmari potius quam in discrimen vocari liquet:

1. *Ex effectu facti Petri.* « Quamvis enim Paulus *verbis doceret* non esse opus judaizare, Petrus autem *solo conversationis exemplo videretur docere* esse judaizandum, hic tamen ceteros ipsumque Barnabam *cogebat,* non tantum allicicbat, judaizare. Unde tanta efficacia exempli taciti Petri ut prævaleret doctrinæ prædicantis Pauli, nisi ex eo quod ab omnibus Petrus potior Paulo habebatur, ejusque auctoritas suprema esse in Ecclesia credebatur? Quare qui negat Cepham, de quo heic Paulus loquitur, esse eum, cui Christus dixit: *tu*

vocaberis Cephas (quæ quidem sententia a contextu prorsus abhorret), rationem sufficientem afferre debet hujus facti, quam nunquam reperiet ; quod jam Chrysostomus homil. in illud : *In faciem Petro restiti* advertit inquiens : *Si quispiam alius Petrus fuisset* (quæ erat opinio Clementis Alexandrini), *non tantum valuisset ejus mutatio, ut ceteros etiam Judæos attraheret. Neque enim adhortatus est neque consuluit, sed tantum subtrahebat et segregabat se ; atque illa subtractio et segregatio ceteros omnes discipulos attrahere potuit* PROPTER PERSONÆ DIGNITATEM. » Palmieri, *de Rom. pontif.*, p. 307.

2. *Ex modo quo Patres hunc locum interpretati sunt.* « In eo enim Patres toti sunt ut Petri excellentiam præ Paulo in tuto collocent, ostendantque reprehensionem Pauli non adversari dignitati Petri ; quamvis non eadem via in eumdem scopum omnes Patres tendant » Palmieri, *ibid.* Et re quidem vera, « de hac reprehensione Petri a Paulo facta tres opiniones leguntur apud veteres : alii negant Cepham a Paulo reprehensum, fuisse ipsum Petrum principem Apostolorum : alii concedunt quidem fuisse Petrum, sed totam narrationem revocant ad prudentem quamdam œconomiam, quasi nulla fuerit inter Apostolos vera contentio, sed de industria res ita fuerit ab Apostolis administrata, ut hoc ficto certamine utriusque populi saluti consuleretur ; alii demum, œconomia et arte rejecta, veram fuisse reprehensionem censuerunt. Nihilominus commune omnibus fuit, ut cum Petri reprehensione illius potiorem dignitatem componerent. » Ledoux, *Demonstr. cathol. Pars sec. p. 65.*

G. V. D. P.

II.

Q. Rom. Pontifex habet potestatem plenam ac supremam in universam Ecclesiam ; eamdem potestatem habet Concilium œcumenicum. Ergo duplex datur

in Ecclesia subjectum potestatis plenæ ac supremæ. Ergo Ecclesia non est societas *una*. Solve hanc difficultatem.

R. Verum est Rom. Pontificem habere potestatem plenam ac supremam in universam Ecclesiam. Indubium pariter est Concilium œcumenicum eamdem habere potestatem. At vero potestas hæc non est penes cœtum Episcoporum seorsum a Capite suo Rom. Pontifice; neque penes *universitatem* cœtus Episcoporum adunatorum cum suo etiam Capite, quod ipsis præsit, ad normam videlicet regiminis aristocratici, ita ut leges condendæ sint ex pluralitate suffragiorum, iisque subesse debeat ipse Pontifex; neque est in utroque simul, seu *in unione duorum,* Romani nempe Pontificis et corporis Episcoporum, *ita ut ex his integretur necessario subjectum plenæ ac supremæ potestatis,* quemadmodum in regnis Constitutionalibus seu guberniis Repræsentativis integratur necessario ex Comitiis ac Rege, ita ut solus Rex sine concursu Corporis legiferi nullum decretum condere aut abolere valeat; sed ita est penes concilium œcumenicum, ut Rom. Pontifex eam habeat etiam solus ac seorsum, per se, ac independenter a cœtu Pastorum, cœtus autem Pastorum eam non habeat nisi una cum Rom. Pontifice, per ipsum ac sub ipso.

Unde *ad conclusionem:* Ergo duplex datur in Ecclesia subjectum potestatis plenæ ac supremæ, *Resp. distinguo:* Duplex subjectum *adæquate distinctum, nego;* duplex subjectum *inadæquate distinctum,* scilicet, tum Rom. Pontifex per se ac seorsum, tum idem Rom. Pontifex potestatem suam communicans cœtui Pastorum, ita ut hic una cum ipso, per ipsum ac sub ipso plena ac suprema potestate potiatur, *concedo.*

Cum igitur non detur in Ecclesia duplex subjectum *adæquate distinctum* potestatis plenæ ac supremæ, sequitur nihil impedire quominus Ecclesia sit societas *una.*

G. V. D. P.

III

Q. Ex S. Scriptura demonstra Spiritum S. procedere a Patre et Filio.

R. I. *Spiritum S^um^ procedere a Patre* ad evidentiam usque in S. Scriptura asseritur. Apud Joann. enim XV, 26 legitur *Spiritum a Patre mitti* et *Spiritum a Patre procedere*. Spiritum autem a Patre mitti, uti infra videbimus, supponit Spiritum a Patre originem habere. Ulterius etiam dicitur: *Spiritus qui ex Deo est* (I Cor. II, 11); *Spiritus Dei* (ibid); et *Spiritus Patris* (Matth. X, 20). Hæc propositio apud omnes ceteroquin in confesso est et non est proinde cur insistamus.

II. Secunda vero propositio scil.: *Spiritum S^um^ procedere a Filio* ab Ecclesia græca schismatica negatur, saltem in sensu quo eam nos intelligimus.

Demonstratur ergo quadruplici argumento ex S^a^ Scriptura desumpto.

1° Ex Joan. XVI, 13 et 14. « *Cum venerit ille Spiritus* « *veritatis,* inquit Christus, *docebit vos omnem veritatem;* « *non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet* « *loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et* « *annuntiabit vobis.* »

In istis verbis clare enuntiatur Spiritum S^um^ recipere a Christo seu Deo Filio *scientiam veritatis*. Quod affirmatur tum negative, tum positive. *Negative:* Docebit, dicitur, omnem veritatem. Sed hanc veritatem non habet a semetipso, *non enim loquetur a semetipso,* sed tantum loquetur ea quæ audiet. *Positive:* Clarificabit, dicitur, Christum, et annuntiabit veritatem quia *accipiet de eo quod est Filii*. Habebit ergo scientiam veritatis non a semetipso sed a Filio. Jam age Spiritus Sanctus est persona divina. Proinde scientiam, quam accepit a Filio, est scientia divina. Inter scientiam autem divinam et essentiam divinam nulla realis distinctio. Ergo Spiritus Sanctus recepit a Filio ipsam essentiam seu naturam divinam, id est, procedit a Filio.

2° Ex Joan. XVI, 15. « *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* »

In his verbis, quæ immediate sequuntur illa quæ sub 1° recitata sunt, addit ipse Christus rationem cur dicere possit in veritate Spiritum Sanctum ab eo, quod est Filii, accepisse. Dixi, inquit Christus, Spiritum Sanctum de *meo* accepisse. Hoc autem verum est, nam si Spiritus Sanctus recepit de eo quod Dei Patris est, recepit ergo de meo, quia omnia quæcumque Pater habet mea sunt, et *propterea* dixi : quia de *meo* accipiet. Pater habet vim spirandi Spiritum S^um^. Ergo et ego Filius hanc eamdem vim in me habeo, Spiritus S^us^ ergo procedit a Filio. Imo clare insinuat Christus Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio tamquam ab uno principio.

3° Ad Gal. IV, 6 et ad Rom. VIII, 10 Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus Filii,* et *Spiritus Christi.* Jamvero omnes christiani nobiscum conveniunt appellatione *Spiritus Patris* significari Spiritum S^um^ a Patre procedere. Ergo et appellatio *Spiritus Filii* significat Spiritum Sanctum procedere a Filio.

4° Ex Joann. XV, 26. « *Ego* (Christus scilicet) *mittam vobis a Patre Spiritum veritatis* » et ex Joann. XVI, 7. « *Si abiero, mittam eum ad vos.* » Ex his verbis sequitur Spiritum Sanctum mitti a Filio. a) Jamvero missio importat *distinctionem* unius personæ ab altera, quia una et singularis persona non potest mitti a semetipsa; nam non potest esse unus et idem qui mittit et qui mittitur. Quod quidem ipse Christus Dominus nos docet, quando ap. Joann. VIII, 42 dicit : « *A me ipso non veni sed Ille me misit.* » b) *Imo* sola distinctio personarum ad missionem non sufficit, sed requiritur insuper ut persona missa aliquam saltem *dependentiam* habeat a persona mittente. Quum autem in personis divinis nulla omnino inferioritas unius personæ relate

ad alteram admitti possit, relinquitur sola hæc dependentia originis, qua scilicet persona missa dependet a persona mittente quatenus ab ea originem ducit, ab ea essentiam communicatem habet, id est, ab ea procedit. Et proinde asserere Spiritum S^um^ mitti a Filio importat Spiritum Sanctum a Filio procedere.

V. J. C.

IV

Q. An et quare peccat qui sine justa causa petit dispensationem a lege, aut dispensatione sine justa causa obtenta utitur ?

R. *Ad priorem partem quæstionis :*

Per se loquendo peccat sine justa causa *petens* dispensationem. Ita fert sententia communis : et ratio est tum quia ita agens intendit rem irrationabilem et inordinatam, volens sese subducere obligationi communi ac discrepare a toto corpore sine causa ; tum præsertim quia inducit dispensantem ad rem illicitam, cum nullus, ne propria quidem in lege, licite dispensare possit sine justa causa : et re quidem vera hujusmodi agendi ratio importat vitium acceptionis personarum atque ansam præbet querelis ceterorum subditorum qui sese vident adstrictos oneri a quo alii absque discriminis motivo sunt exempti ; proinde ita dispensans rectam gubernationis regulam violat, nec fidelis dispensator sed potius dissipator dici debet : quod valet a fortiori pro inferiore dispensante in lege superioris, cum iste insuper aliena potestate abutatur. — Ceterum, quod legem ecclesiasticam attinet, positive per Tridentinum sess. XXV, cap. 18 *de ref.* prohibetur ne dispensetur in ea, quin id *urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit.*

Dicitur : *per se loquendo ;* quia a peccato excusâri potest dispensationem petens, ob ignorantiam ac bonam fidem.

R. *Ad alteram quæstionis partem.*

Distinguo : 1) Dispensatus sine justa causa *ab inferiore in lege superioris* non potest sine peccato uti dispensatione : etenim hujusmodi dispensatio est invalida utpote data absque potestate ; cum legislator non censeatur commisisse inferiori facultatem ad dispensandum temere ac cum subditorum detrimento. Ergo ita dispensatus manet vinculo legis obstrictus ac consequenter peccat agendo contra legem.

2) Dispensatus sine justa causa *ab ipso legislatore* in lege propria vel in lege prædecessoris aut inferioris, modo dispensatio sit valida, hac utendo non peccat saltem contra legem a qua est dispensatus : utrum vero, secluso scandalo, peccet contra legem naturalem, controveritur.

Quod quidem *possit* legislator *valide* dispensare in lege propria etc. etiam sine causa indubitatum est : etenim lex tam in fieri quam in conservari pendet a voluntate legislatoris ; ita ut si, quamvis urgente legitima causa, legem non institueret, aut, sine legitima causa, legem existentem abrogaret, non esset lex et nullus obligaretur : ergo et a fortiori, si legislator aliquem subditum a vinculo legis eximat, ille non obligatur, et proinde agendo contra legem non peccat præcise adversus illam legem. — Poterit autem peccare contra legem naturæ ratione *scandali,* ut patet. — Secluso autem casu scandali, opinantur plures cum Cajetano, subditum utendo hujusmodi dispensatione peccare contra legem naturæ quà vetat ne pars discordet a toto sine causa ; peccare igitur peccato singularitatis seu insolentiæ ex genere suo veniali, cum turpis sit omnis pars suo universo non congruens. — At contrà censet Suarez cum aliis præfatum juris naturalis principium hic immerito invocari ; « quia tunc ille subditus non potest dici turpiter agerè discordando a toto in tàli opere, quia est etiam dispar in obligatione

legis (a qua per dispensationem est solutus); neque apparet unde oriatur obligatio ad tantam uniformitatem, ubi est difformitas in obligatione legis. » *De leg.* lib. VI, cap. XIX, n. 14.

Sed quamvis possit legislator valide dispensare sine causa, non facile censetur *velle* ita dispensare. Sic in lege ecclesiastica, dispensatio a Rom. Pontifice seu curia Romana concessa, non raro propter falsitatem causæ allegatæ vitiatur ac valore destituitur, ob appositam vel subintellectam clausulam *Si preces veritate nitantur*. Quandonam autem in specie contingat dispensationem ex hac parte vitiari, non est hujus loci determinare : hac de re consulantur AA præsertim ubi de impedimentis et dispensationibus matrimonialibus; notatim *Theologia Mechliniensis,* Tract. *de Sponsal. et Matrim.* (ed. 1894), n. 97.

H. V. D. B.

V

Q. An unum vel plura committit peccata qui uno voluntatis actu intendit exercere plures actus externos malos ? Declara responsum.

Prænotanda.

Proposita quæstio pertinet ad materiam *De distinctione numerica peccatorum.* Hæc autem materia, quamvis sit apprime necessaria et frequentissimæ praxis, cum juxta Tridentinum *(Sess. XIV, can. 7)* necessarium sit « jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria... habetur », haud parum tamen est intricata, meritoque eam S. Alphonsus, L. V, n. 36, tam difficilem vocat, quippe « circa quam valde DD. laborant, et valde dissentiunt. » Propterea utile duximus nonnulla præmittere ad clariorem et faciliorem hujusce doctrinæ intelligentiam.

In omni actu humano duplex esse distinguitur secundum duplicem habitudinem sub qua considerari potest : esse naturale seu *physicum,* quod consistit in habitudine ad

objectum formale in quod tendit actus et ad potentiam a qua aptus est immediate procedere ; et esse *morale,* quod consistit in certo ordine conformitatis vel difformitatis ad dictamen rectæ rationis (1) posita activitatis libertate saltem ubi de statu viæ agitur. Cfr Ill. Waffelaert, *De dubio solvendo,* n. 7. Jamvero fieri potest ut actus in esse suo physico unus, virtute et æquivalenter multiplex sit in esse morali, et contra ut actus in esse suo physico multiplex, unus reputetur in esse morali. Ut autem rectum instituatur judicium de unitate vel multiplicitate actus moralis in sua comparatione ad actum physicum, attendendum est ad duplicem rationem componentem quam in actu humano deprehendimus : aliam *objectivam,* quæ ab extrinseco in subjectum influit, ut materia activitatis suæ ab eodem assumitur atque simul terminus ejusdem activitatis constituitur; aliam *subjectivam* ab intrinseco e potentiis ipsius agentis exeuntem, quæ cum ejusdem activitate confunditur. Cfr Ill. Waffelaert, *op. cit.,* n. 4, coll. 13. Unde duplex ab auctoribus proponitur generalis regula ad distinguenda peccata *numerice* (2) distincta :

Prior, in qua præsertim attenditur elementum subjectivum actus humani, sic sonat : *Tot sunt peccata numero diversa, quot sunt ex parte voluntatis actus moraliter interrupti, etiam in ordine ad idem objectum.* Unde S. Thomas, in 2, d. 42, a. 1, dicit : « Secundum unitatem voluntatis sumendum est judicium de unitate ejus, quod in genere moris dicitur. »

Quoniam in solutione quæstionis propositæ prior hæc regula usu non venit, sufficiat annotare actum voluntatis moraliter interrumpi tripliciter : a) per *retractationem* sive formalem, sive virtualem et æquivalentem ; b) per cessationem *voluntariam* ab actu ; c) per *moram* sat notabilem, de qua prudenti æstimatione judicandum est, pro natura et intensi-

(1) Altius porro ascendendo evidens est dictamen rectæ rationis fundamentum objectivum habeat oportere ; cum nec recta sit ratio nisi in quantum conformis est ordini objectivo, rectitudini æternæ, nec imperare possit nisi in quantum superioris dictamen seu imperium manifestat.

(2) Agitur de peccatis *solo* numero distinctis, et quæ ideo sunt in *eadem specie* mali ; per se enim patet, omnia peccata specie distincta eo ipso etiam numero distincta esse.

tate actus cæterisque circumstantiis. Ut autem hæc ad casus particulares rite applicentur, advertendum est, actus mere internos facilius interrumpi et repeti quam actus internos junctos cum efficaci proposito executionis externæ, et hos rursus facilius quam actus externe consummatos. Cfr Gury, n. 162; Theol. Mechl. (a. 1895), *De peccatis,* n. 125; Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale,* T. I, n. 277 ss. (1).

Altera regula, in qua præcipue attenditur elementum objectivum, sic enuntiari solet: *Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt objecta totalia numerice distincta in esse moris, etiam manente una eademque voluntate.*

Consentiunt DD. in tradenda hac regula; sed in ea applicanda maxime discordant. Ratio autem hujus discrepantiæ in eo est quod minime conveniant in definiendo quid sit objectum *totale morale,* seu quandonam non solum materialiter et physice, sed etiam formaliter et moraliter unum vel multiplex dicendum sit.

« Censentur autem objecta numerice distingui in esse moris, ait Billuart, quando se non habent moraliter per modum unius, sive quia unum non est pars alterius, sive quia non sunt partes aliquod unum integrantes, sive quia non ordinantur ad eumdem finem et idem opus consummandum. Tunc enim licet sit unus actus physice, censetur tamen in genere moris virtualiter multiplex, et tot habere malitias numero distinctas, quot sunt hujusmodi objecta. » *De peccatis,* diss. 2, art. 4.

His præmissis, jam ad propositam quæstionem

R. Distinguendo:

I. Si plures actus externi mali, qui uno voluntatis actu intenduntur, sunt *incompleti et ad unum totalem constituendum diriguntur,* unum committitur peccatum. Sic unus moralis actus ponitur et una malitia contrahitur ab eo qui in eodem prandio pluribus ferculis

(1) Obiter notamus auctores, dum traditas normas ad actus *externe* consummatos applicant, varia proferre exempla in quibus unitas vel multiplicitas peccati videtur potius desumenda ex consideratione elementi objectivi quam ex interruptione voluntatis agentis, quæque ideo magis spectant ad alteram regulam mox tradendam.

prohibitis vesci intendit ; qui animum habens summam aliquam determinatam pecuniæ auferendi, statuit eam, ne detegatur, pluribus vicibus subripere ; qui mala voluntate mane concepta decernit omnes partes officii per diem omittere ; qui intendens fornicationem, sibi proponit puellam quærere, eam osculari, turpibus colloquiis allicere, impudice tangere et tandem copulam cum ea perficere ; qui ex voluntate occidendi inimicum, statuit parare pugionem, occurrere inimico, ipsum provocare, percutere, et denique occidere, etc. Ratio est quia varii illi actus, licet materialiter et physice distincti, ex se apti sunt facere unum cum uno actu externo consummato, in quo sunt unibiles, et ex intentione agentis ad unum opus principale consummandum diriguntur, adeo ut moraliter inter se uniantur unumque totum morale constituant.

Notandum autem est prædictam regulam non valere si plures actus, licet in se incompleti, non fuerint inde ab initio per intentionem agentis ad unum actum totalem consummandum directi. Hinc plura committit peccata qui intendit pluribus vicibus ex eadem pecunia furari quin totam summam vel saltem determinatam partem auferre ab initio statuerit ; qui volens mulierem tantum osculari, dein libidine abreptus intendit fornicari, etc. Ratio est quod tunc varii actus non uniuntur per modum unius in fine intento, sed singuli seorsim constituunt objectum internæ voluntatis diversæ (1).

II. Si plures actus externi mali, qui uno voluntatis actu intenduntur, sunt *in se completi,* distinguendum est sitne efficax actus voluntatis, an vero inefficax.

(1) Quæ diximus de illo qui uno actu interno *intendit* plures actus externos incompletos exercere, valent etiam pro illo qui una voluntate actus illos de facto *exercet.* Inde tamen illegitime quis inferret non oportere actum externum, si de facto exercetur, in confessione exprimere, sed tantum efficacem intentionem. Cfr Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, edit. 2a, n. 370 ; Theol. Mechl., *De act. hum.*, n. 21.

A. Si agatur de actu *efficaci* seu de vero proposito, ut si quis decernat pluries fornicari cum eadem vel cum diversis, pluries jejunium frangere, officium divinum per plures dies omittere, plures homines successive occidere, etc., satis communiter docent auctores plures numero malitias contrahi. « Cum enim actus internus essentialem ordinem gerat ad actum externum ; ideo si externus sive objectivus unitatem non habet, etiam actus internus virtualiter in genere moris multiplicatus censetur ». Layman, *De act. hum.*, cap. III, n. 2 (1).

B. Si vero sermo sit de actu voluntatis *inefficaci* seu de simplici affectu, ut si quis desideret vel morose delectetur de pluribus feminis, juxta multos primæ notæ theologos cum Lugo (*De pœnit.*, disp. 16, n. 260), unum tantum committitur peccatum ; quia tunc voluntas plures illos actus seu plura illa objecta non respicit tanquam plura, ad effectum deducenda, sed per modum unius, tanquam meræ complacentiæ objectum.

C. V. C.

---

(1) Non desunt auctores, et quidem graves, qui tenent in casu unicum tantum peccatum committi, quia varii illi actus externi, licet in se completi, concipiuntur tamen conjunctim et per modum unius objecti adæquati, terminantis unum actum interiorem voluntatis. Verum hæc opinio difficultate non caret ; quum enim de communi omnium consensu plura committantur peccata, si varii illi actus externi, licet una voluntate intenti, de facto exerceantur ; quamque actus externi malitiam habere per se non possint nisi participatam ab interiori actu voluntatis quæ est malitiæ subjectum, vix concipitur quomodo unam tantum contineat malitiam actus interior quo efficaciter intenditur objectum quod in executione plures actus moraliter numero distinctos exigit. Ad unitatem igitur peccati, requiri videtur ut non modum actus interior, sed etiam actus exterior unitatem habeat ; quo casu unicum erit peccatum, et quidem, juxta plures magnos auctores, etiamsi per illum actum variæ materiæ vel personæ attingantur ; ut si quis intendat (idem statuitur si intentionem de facto exequatur) unico ictu plures interficere, infamare totam familiam, in pluribus detrahere, plurium res auferre, etc. Cfr Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, edit. 2a, p. 657 ; Ball.-Palm., *op. cit.*, n. 256 et n. 266 ; Theol. Mechl., *l. c.* ; et præ cæteris Suarez, *De pœnit.*, disp. 22, s. 5, n. 34 ; Lugo, *l. c.*, n. 135 ss.

VI

An parato ad peccatum suadere licet aliquod peccatum minus, si aliter a pravo proposito abduci nequeat? Explica responsum.

R. Ex sententia jam communiter recepta ac valde probabili, licebit, si malum minus includitur formaliter aut virtualiter in majore: ut furtulum in furto, fornicatio in adulterio, verberatio et mutilatio in occisione; imo ex sententia communiore ac vere probabili, licebit, si malum minus in majore non includitur: ut adulterium relate ad homicidium. Videtur tamen regulariter illicitum parato ad damnum uni inferendum suadere minus malum inferendum alteri in particulari designato.

Explicatur. Celebris illa quæstio jamdudum theologos divisit. I. Liceitatem negarunt AA. non pauci, inter quos eminent Greg. de Valentia (t. III, disp. 5, q. 21, p. 4), Azor (parte 2, l. 12, c. 17, 8° quæritur, sexto), Castropalao (cum aliquali temperamento, disp. 6, p. 6, n. 6-13). Et ratio est: qui suadet minus malum, vere suadet malum: quum comparativum supponat positivum. Atqui malum quodcumque suadere, seu morali influxu causare, absolute illicitum est.

II. Isti sententiæ Laymann (de charit. c. 13, n. 7) hanc limitationem apposuit, quam plures post ipsum diserte probarunt: « Quod licitum sit suadere minus peccatum, si id sit pars formaliter vel virtualiter inclusa in majore peccato quod alter perpetrare certo decrevit. » Atque optimam asserti rationem addidit: « Tunc enim suadens non inducit hominem ad peccatum, sed abducit a parte peccati, quum a toto avertere non possit. Et suadet malum minus, non qua malum, sed qua minus (est), seu diminutio mali, quæ bona est. »

III. Longius progressi, AA. multo communius hujusce suasionis liceitatem tuentur etiamsi de malis disparatis agatur. Inter gravissimos sufficiet nominare

Sanchez (de matr. l. 7, disp. XI, n. 15, allegantem quamplurimos alios), Molina (de just. t. 2, tr. 2. disp. 335, § hæc tamen), Lessium (de just. l. 2, c. 13, dub. 3, n. 19), S. Alphonsum (l. 2, n. 57). Ratio est : quia « consulens vel petens minus malum fieri, *quando aliter a majori malo non potest revocare,* vere non consulit, nec petit, ut minus malum exequatur, sed *solam minoris mali præelectionem*. Quod objectum non est malum, sed bonum (Sanchez, l. c.). » Unde argumento negantis sententiæ respondent : qui suadet malum minus, vere suadet malum : D. qui malum minus suadet absolute, C.; qui suadet conditionate tantum, ut siquidem velit committere malum, potius committat quod minus est, N. Sic enim reapse non suadetur ipsum malum, sed diminutio mali, seu commutatio mali majoris in minus.

Notare juvat plures hujus sententiæ fautores non requirere ut ipsa suasio fiat conditionate et comparative, seu appareat, ex verbis aut ex adjunctis, esse suasionem mali minoris qua minoris et impeditivi majoris mali ; dummodo vere talis sit intentio agentis. Ideo licitum censent aliquem suasione inducere ad ebrietatem formalem, ut impediatur ab exequendo proposito homicidii, proditionis etc. ; quo casu sane supponunt hanc suadentis intentionem nullatenus manifestari. Ita expresse tenet Lessius (de just. l. 4, c. 3, n. 33-55), cujus sententiam ait S. Alphonsus l. 5, al. 2, n. 77) satis probabilem videri, atque plerique moderni probabilem dicunt. Non satis tamen intelligimus quomodo ad talem casum extendit possit ratio statim ex Sanchez adducta. Suasor enim in casu, quantumvis *mente intendat* diminutionem mali, non tamen *suadet,* explicite aut implicite, ut alter *diminuat suum peccatum* sive præeligat minus malum, sed vere *suadet ut alter peccet,* seu morali influxu causat peccatum alterius.

IV. Tandem huic sententiæ, in materia justitiæ, addendam censemus aliquam limitationem : regulariter

non licebit tamquam minus malum suadere damnum inferendum alicui personæ determinatæ, de cujus damnificatione alter, aut non, aut jam non cogitabat. E. gr. suadere parato ad malum, ut non ab honesto artifice Paulo sed potius a divite Petro centum auferat; ut non sororem suam sed potius ancillam opprimat. — Dicimus *regulariter :* quia excipimus *a)* casum quo prior ex damnificatione redigeretur in necessitatem extremam : tunc enim alter irrationabiliter invitus esset erga suadentem (Viva, cum aliis apud S. Alph.) ; *b)* casum etiam quo, ex magna improportione inter unam et alteram damnificationem, aut ex aliis adjunctis, merito alter ut non invitus haberi posset (Sanchez, l. c. n. 24 ; Carrière, de just. n. 1184, cum aliis).

Jam ut ita explicatam limitationem apponamus, 1) movet ratio : suasor positive infert damnum personæ designatæ, hujus quasi januam suo consilio aperiens, ut ait Lugo (de just. disp. 19, n. 47). Jamvero ad proximum damnificandum non sufficit sane ratio minuendi peccatum alterius ; sed neque sufficit ratio avertendi ab alio damnum majus, quum ne a nobis ipsis quidem possimus damnum majus, per positivam proximi damnificationem avertere. Cf. Lehmkuhl, I, n. 1004. 2) Movet auctoritas. Nempe minus recte de hac limitatione dicitur a quibusdam theologis recentioribus : « *quidam* cum S. Ligorio excipiunt... » — « *Sunt* qui limitant... at sunt qui tenent... » Nam sententia limitans est *fere communis contra quosdam.* Inter istos non alii inveniuntur citati apud modernos quam Sanchez (l. c.), Vasquez (opusc. de scand. a. 1, dub. 2, n. 14). Turrianus (de fide... disp. 95, dub. 6), Tamburini (decal. l. 5, c. 1, n. 11-14, 64). Sed ex his quatuor certo eliminandus est Sanchez. Nam, relata opinione designationem alicujus tertii permittente, statim subjungit : « Verum id minime licere tenendum est » ac deinde limitantem sententiam auctoritate et ratione

stabilire studet. Unde Ballerini, ex cujus nota ad Gury, I, n. 237, hæc erronea citatio ad plures modernos transivit, mendum correxit in Op. Theol. II, de char. n. 250, ubi ait Sanchez « præferre » sententiam contrariam. Insuper, pro tribus AA. remanentibus, notamus : *a)* Tamburini valde hæsitanter loqui, ut patebit legenti l. c. n. 13 et 64 ; *b)* ipsum Vasquez, qui in opusc. posthumo cit. hanc opinionem tuetur, in alio opusc. posth. *de restitutione,* c. 9, § 1, dub, 1, n. 14, sententiam limitantem amplecti. Ideo, quamvis his auctoribus etiam addi possit Pontius (de matr. l. 5, c. 18, § 5 n. 28) et aliqua ratione Diana (parte 5, tr. 7, res. 19), qui controversiam referens, suum ipse judicium non profert, quamvis iisdem multum faveat clarus theologus Ballerini (ad Gury, I, n. 237 et 677 ; Op. theol. II, de char. n. 250 sq. et III, de furt. et restit. n. 144), fatendum est auctorum numero et pondere alteram sententiam quamplurimum prævalere.

O. E. D.

Evangelia dominicarum

DOM. XXIII POST PENTEC.

Hemorrhoissa sanatur, ac Jairi filia ad vitam revocatur. Matth. IX, 18-26. Cnf. Marc. V, 21-43 ; Luc. VIII, 40-56.

Te dien tijde, 18, terwijl Jesus tot de scharen sprak, zie, een zeker overste trad toe en aanbad hem, zeggende: Heere! mijne dochter is zoo even gestorven; maar kom, leg uwe hand op haar, en zij zal leven.

19. En Jesus, opgestaan zijnde, volgde hem met zijne leerlingen.

20. En zie, eene vrouw, die *reeds* twaalf jaren aan bloedvloed leed, trad van achteren toe, en raakte den kwispel van zijn kleed aan ; 21. want zij zei bij haar zelven : Is het dat ik alleenlijk zijn kleed aanrake, ik zal genezen zijn. 22. Doch Jesus keerde hem om, en haar ziende, zei hij : Wees welgemoed, dochter ! uw geloof heeft u gezond gemaakt. En de vrouw is gezond geworden van die ure af.

23. En toen Jesus in het huis van den overste gekomen was, en de pijpers gezien had en de woelende schare, zei hij : 24. Gaat weg ! want het meisje en is niet dood, maar het slaapt. En zij belachten hem.

25. En als de schare uitgedreven was, ging hij binnen en vatte hare hand ; en het meisje stond op. 26. En de mare daarvan ging uit door geheel dat land.

* * *

Notationes

Princeps unus, secundum Marcum *quidam de archisynagogis nomine Jairus.* « Erant archisynagogi, (plures enim præerant uni synagogæ) præfecti synagogæ, ad quos spectabat synagogæ et eorum quæ in ea gerebantur populique eo convenientis primaria cura ac moderatio... erat autem hæc primaria apud Judæos dignitas. » Luc. Brug. — « Diligenter explicant (Marcus et Lucas) hunc, qui pro filia rogaturus venerat, fuisse principem synagogæ (Capharnaiticæ), significantes in condemnationem Pharisæorum, et Scribarum, quanta jam esset fama et opinio nominis Christi, quando non solum simplex turba, sed etiam principes Judæorum tanti Christum facerent, ut desperatam

suorum salutem non dubitarent ab eo petere, etiam adorando ipsum, hoc est, ut habent Marcus et Lucas, procidendo suppliciter ante eum, quanquam fere omnes Pharisæi et Scribæ Christo contrarii essent, eumque calumniarentur. » Jans. Gand.

Filia mea modo defuncta est. Marcus habet, *in extremis est;* Lucas, *et hæc moriebatur.* « Matthæus brevitati studens, rei gestæ substantiam perstringit potius quam historiæ seriem enarret. Nam ut patet ex Luca et Marco, necdum mortua erat filia, cum primum venit ad Christum pater Jairus, rogans et dicens : « Veni, impone manum tuam super eam, et vivet » ; cumque simul progrederentur, accurrit quidam Jairo, nuntians mortem filiæ, monensque eum, ut re jam desperata Christum relinqueret. Unde Christus, ut videtur, eum in fide vacillantem confirmat, et ad firmam fidem spemque sanandæ filiæ erigit ; ille in spem erectus, Christum sequitur et domum suam deducit, rursum tacite, vel expresse et conceptis verbis rogans Christum ut filiam jam mortuam suscitaret, ut habet hic Matthæus. » a Lapide.

Jesus sequebatur eum. « Quanquam bis imperfecta esset fides hujus archisynagogi, (nam et putavit Dominum ægram filiam non posse sanare, nisi et præsens adesset, et manum ei imponeret) tamen quia pro tempore illo satis magna illa erat de Domino fides, non rejicit eam Dominus, sed obsequi volens, sequebatur eum. Hæc autem Domini facilitas docet, nihil frustra ab eo orari posse, quod quidem orantibus bonum sit, et imperfectiones nostras illum benigne tolerare, ac decere item nos, qui Christi esse volumus, ut pari facilitate omnibus simus exorabiles. » Jans. Gand.

Et ecce « Tunc ecce : inter eundem. Interrumpitur historia cœpta, et inseritur quod in itinere accidit miraculum : numquam otiosus, numquam cessat benefacere

Jesus. » Luc. Brug. — *Mulier quædam...* « Divina dispensatione factum est, ut jam hæc mulier in via curaretur, quò per hoc miraculum fides archisynagogi cresceret et confirmaretur. Bene autem pro majori miraculi commendatione, Evangelistæ, maxime Marcus et Lucas, morbi magnitudinem et mulieris miseriam describunt, dum primò significant morbum valde fuisse diuturnum, et secundò tam incurabilem, ut arte medica non solùm non potuerit curari, quanquam et complures id tentassent medici, et ab eis multa perpessa esset mulier, idque cum facultatum omnium dispendio, sed etiam in pejus semper proficeret, ut jam mulier hæc multis nominibus fuerit misera et miseranda ; primùm quod morbum adeo abominabilem apud Judæos pateretur : secundò, quod tamdiu eumdem passa esset : tertiò, quòd a compluribus medicis multa perpessa esset : quartò, quod omnia sua erogasset, novum malum veteri adjiciens, videlicet profluvio sanguinis paupertatem : postremò, quòd etsi multa perpessa, et omnia erogata essent, non solùm nihil proficeret, sed magis deterius haberet, a medicis suis triplex malum reportans, nempe multas pœnas, paupertatem, et morbi incrementum. Quæ omnia clariorem reddunt Christi, tum potentiam, tum bonitatem. Ostendunt enim ipsum solum esse qui juvare et possit, et velit, ubi cessaverit omnis creaturarum vis... Observandum autem hic quantum frequenter prosit desperatio salutis ab hominibus consequendæ. Posteaquam enim cœpit diffidere medicis, cœpit mulier hæc saluti vicinior esse, et facta est illi salus, eò quod non speraverit salutem. Deus enim nulli lubentius opitulatur, quam qui se agnoscit humanis destitutum præsidiis. Sic et in salute animæ, quo quis minus de se fidit, hoc est saluti vicinior. » Jans. Gand. — *Accessit retro* « Ut enim non accederet palàm, rogaretque quemadmodum Archisynagogus, obstabat, tum pudor, tum metus ; pudor sexus, ob

morbi fœditatem; metus, ne à turba, cui se admiscuerat, abjiceretur, quippe lege immunda et contagiosa, Levit. XV, v. 25. » Luc. Brug. — *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero* « Mirabilis admodum fuit mulieris hujus fides. Cum enim morbi sui malitiam jamdiu experta esset nulla humana arte potuisse superari, nec Christi in sanando facilitatem oculis conspexisset, tamen tantam ex solo auditu de Domino concepit fiduciam, ut speraret se solo contactu vestium fore salvam a tam diuturno, et incurabili malo, quamvis adhuc hac ratione neminem audisset à Christo sanatum... Non est autem putandum mulierem hanc existimasse fimbriæ aut vesti virtutem aliquam sanandi inesse; hoc enim ut falsum erat, ita superstitiosum fuisset credere, ac proinde non fuisset ipsius fides tantopere à Domino laudata: sed Christum credidit tam sanctum, tamque per omnia salvificum, ut vel hactenus illi appropinquans confideret se ab ipso, aut à Deo per ipsum consecuturam salutem... Observandum, si tam salutaris fuit tactus fimbriæ cum fide, salutare etiam esse valde contactum, et perceptum cum fide totum corpus Dominicum in Eucharistia. » Jans. Gand.

At Jesus conversus... « Quanquam aliàs fere Dominus voluerit edita a se miracula non prædicari, istud tamen latere noluit, idque variis de causis. Primùm, propter gloriam Dei, quæ ex hoc miraculo omnino abscondito nulla aut pauca fuisset. Deinde, pro confirmatione et incremento fidei archisynagogi. Tertiò, pro commendatione fidei mulieris hujus, cujus exemplo et alii excitarentur ad similem fidem. Quartò, ad perficiendum fidem mulieris. Quanquam enim magna esset illius fides, tamen eam habebat imperfectionem, ut putaret se Christo nesciente posse sanitatem consequi, quemadmodum satis significat Lucas dicens: *Videns autem mulier quia non latuit:* putabat ergo se posse latere... Postremo, voluit Dominus, secundùm Theophyl., mu-

lierem liberare à timore, et conscientiæ scrupulo, quo postea potuisset metuere Dei iram ob sanitatem furtim, et sine gloria Dei acceptam, eamdemque securam facere de consecutæ sanitatis conservatione. Noluit autem Dominus ipse indicare quis se tetigisset, nec miraculi modum, sed ipsam mulierem voluit aperire omnem veritatem, ut sic miraculum esset commendatius, præclariusque et verius esse crederetur... Postremo, docemur eos qui per fidem, et contritionem apud sese in occulto cordis sui consecuti sunt peccatorum remissionem, et mentis salutem, debere tamen in conspectu Ecclesiæ sese manifestare coram Christo, et variis ejus sacerdotibus, et humili confessione morborum, et peccatorum, expectare ratificationem et confirmationem adeptæ salutis, et remissionis peccatorum. Excutiendum pudorem quem postea excussum gaudebunt, posteaquam senserint ex confessione majorem animi tranquillitatem. » Jans. Gand.

Recedite « Noluit Dominus multos tanto miraculo interesse, sed et priùs omnem turbam cum discipulis dimisit: et ingressus domum ejecit omnem turbam tumultuantem, et plangentem, non solùm in humilitatis exemplum, et ut ostentationis notam effugeret, sed etiam ut Pharisæorum invidiam declinaret, à quibus nondum tempus erat ut pateretur, atque ne in se turbæ favorem nimis accenderet, raperentque illum ad creandum sibi in regem... Paucos tamen quosdam interesse huic miraculo voluit, qui scilicet suo tempore certi essent, et fide digni patrati miraculi testes. — *Non est enim mortua....* Verè mortuam esse sciebat, dicit tamen non esse mortuam, quòd sibi non esset mortua, quodque mox esset velut somno excitanda, nec ita esset mortua sicut illi existimarunt... Sicut ergo hoc loco Dominus flere mortem puellæ prohibuit, quòd non esset tam dicenda mortua quom dormire: ita etiam hìc docemur mortem maximè justorum, et Christianorum,

non immoderatè saltem deflere, quòd illorum mors revera somnus quidam sit. » Jans. Gand.

Deridebant eum, « existimantes Jesum de naturali somno locutum, quum tamen puellam vere mortuam esse compertum haberent. » Liagre. « Fecit hoc ad confirmationem amplificationemque miraculi, quòd de morte nihil dubitationis apud eos restaret. » Luc. Brug.

Et surrexit puella, nempe *confestim,* quasi excitata a somno, *et ambulabat ;* quòque magis constaret eam integræ sanitati esse restitutam, *jussit illi dari manducare.* (Marc. Luc.)

Et exiit, dimanavit *fama hæc,* fama hujus miraculi, *in universam terram illam,* Galilæam, « omnibus certatim magnaque contentione tantum miraculum prædicantibus et divulgantibus, quantumvis ipse occultari jussisset (Marc. V. 43): sequitur ènim gloria fugientes. » Luc. Brug.

*
* *

Allegorice « Hemorrhoissa à fluxu sanguinis curata significat populum Gentium, qui præripuit sanitatem et salutem animæ ante filiam Archisynagogi, id est ante Judæos, qui postquam plenitudo Gentium intraverit in ecclesiam, convertentur ad eamdem, et salvabuntur in fine mundi. Unde S. Hieronymus: *Usque hodie,* inquit, *jacet mortua Synagoga ; et qui videntur magistri* (Rabbini Judæorum) *tibicines sunt, carmen lugubre canentes, et turba Judæorum non credentium est, sed tumultuantium.*

Tropologice : tam Hæmorrhoissa à fluxu sanguinis curata, quam filia Jairi suscitata a Christo, significat animam peccatricem, quam Christus a morte peccati suscitat ad vitam gratiæ ; sed prius expelli debent amici et tibicines, id est pravi socii et maligni spiritus, tristi eam carmine demulcentes et in morte peccati

detinentes, dum adulando suggerunt et occinunt peccatum non esse grave, aut ætati indulgendum, aut in senio per pœnitentiam expiandum, etc. Tunc Christus eam tangit, græce κρατεῖ, id est magna potentia, vi et imperio eam apprehendit, vivificat et elevat a profundo mortis ad apicem vitæ. Mox jubetur ambulare ad facienda bona opera, et comedere, id est pasci Eucharistia, quæ eam corroboret vitamque confirmet. Intersunt soli tres Apostoli primarii, Petrus, Jacobus et Joannes, ut significetur Christum per Apostolos et Apostolorum successores peccatores à morte suscitaturum...

Denique Christus legitur tres dumtaxat mortuos suscitasse. Prima est hæc puella duodennis, quam defunctam mox suscitavit. Secundus est adolescens, filius viduæ, quem suscitavit in Naim; cum deferretur ad sepulchrum, Luc. VII, 11. Tertius est Lazarus, quem quatriduanum e sepulcro evocavit, Jo. XI.

Prima puella notat eos qui, ex ætate (quia juvenes fervidi et inexperti), fragilitate vel infirmitate prolabuntur in peccatum, sed mox tacti a Deo, videntes suum lapsum, facile pœnitent et resurgunt ; sicut puella hæc elevatione manus Christi illico resurrexit. Secundus adolescens notat eos qui peccatum iterarunt, ut vergant ad peccandi consuetudinem ; hi difficilius revocantur : unde potentiori et efficaciori Christi gratia et impulsu indigent ; sicut Christus jussit portitores adolescentis stare, loculumque tangens imperiose dixit : « Adolescens, tibi dico, Surge ». Tertius Lazarus notat inveteratos in peccatis; hi difficillime revocantur: unde efficacissima Dei gratia et vocatione indigent, cujus rei symbolo Christus fremens, lacrymans magnaque voce clamans : « Lazare, veni foras, » eumdem suscitavit. Quocirca symbolice Rabanus et alii in puella suscitata censent notari pœnitentiam ejus qui cogitatione dumtaxat et morosa mentis delectatione peccavit,

in adolescente pœnitentiam ejus qui cogitationem opere perpetravit, in Lazaro pœnitentiam ejus qui peccandi habitum et consuetudinem induxit. Denique docet hîc Christus peccata occulta et leviora occultâ pœnitentiâ deleri, ideoque puellam in domo quasi occulte coram paucis suscitavit ; publica vero crimina publico remedio, ideoque adolescentem et Lazarum publice coram turbis revocavit ad vitam. » a Lapide.

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De inferno.

I. Considera et tibi infernum esse timendum. — *Dico autem vobis amicis meis : ne terreamini ab his qui occidunt corpus et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam ; ita dico vobis, hunc timete.* — Ita monuit Christus *amicos* suos, ergo et me Christi sacerdotem et ministrum ; ergo et ego possum infernales pœnas incurrere. Scio enim omnibus et singulis in statu peccati mortalis morientibus, quicumque etiam illi sint, paratum esse infernum : jamvero homo sum, igitur peccare possum lethaliter et in peccato meo mori ; — sacerdos quidem sum ; sed consecratio mea sacerdotalis me non reddidit

impeccabilem... Judas apostolus fuit ab ipso Domino electus, et tamen damnatus est ; et Paulus, *vas electionis,* timuit ne ipse reprobus fieret... Si autem ego ad infernum damner, annumerabor reproborum omnium miserrimis ; scriptum enim *quoniam judicium durissimum his, qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur* — et — *fortioribus fortior instat cruciatio.* Et merito : quià peccatum sacerdotis aliorum peccatis gravius, siquidem importet majorem Dei contemptum, majorem ingratitudinem, majorem gratiarum abusum.

II. Repræsenta tibi sacerdotem in inferno sepultum. — Ecce jacet ibi miser in carcere squalido, *in terra tenebrosa et operta mortis caligine, in terra miseriæ et tenebrarum, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat ; — in camino ignis, — in stagno ardenti pice et sulphure.* — Ibi *habitat cum igne devorante ;* torquetur secundum omnes sensus, sine intermissione, sine ullo levamine : guttulam aquæ petit, quæ refrigeret paululum linguam suam, nec datur ei.

Ibi patitur afflictionem animi inenarrabilem, ob jacturam seu privationem perpetuam summi et infiniti boni, Dei finis ultimi, probe noti, ardentissime concupiti sed irreparabiliter culpa sua deperditi ; ob privationem societatis summe delectabilis Christi, Deiparæ, Angelorum et Sanctorum omnium ; ob perpetuum exilium ex cœlesti patria, civitate sancta Jerusalem, aula Dei deliciis affluente, ubi splendidam gloriæ sedem ei destinatam fuisse novit, sed ad quam in æternum non pertinget. Hæc continuo mente pervolvit et præ dolore ac desperatione in rabiem actus *dentibus fremit* et *tabescit.*

Circumstant alii reprobi, atque legentes in fronte ipsius scriptum : *tu es sacerdos in æternum,* insultant ei dicentes : *Et tu nobis similis factus es !* Tu sacerdos ac minister Dei altissimi, *quomodo cecidisti ? Alios salvos*

fecisti, teipsum salvum facere non potuisti ! Cum in honore esses non intellexisti... ! —

III. Interroga sacerdotes damnatos et pete qua via venerint in hunc locum tormentorum. — Alii aliud responsum dabunt :

Superbiam in sensu meo dominari sivi, et inde jugum Dei ac legitimorum superiorum excussi, et nunc experior quia *Deus superbis resistit* — et *qui sese exaltat humiliabitur.*

Præ nimia *præsumptione* occasiones periculosas non vitavi ; *periculum amavi et in illo perii.*

Divitiis cor apposui ; *propter pecuniam animam venalem habui* et cum Juda prævaricatus sum ab apostolatu ejusque miseram sortem nunc subeo.

Luxuriose vixi ; quare mihi *charactere bestiæ* notato locus inter angelos in cœlo fuit denegatus, et nunc cum divite epulone *crucior in hac flamma.*

Orationem neglexi et sic ad tepiditatis statum deveni; venialia peccata minimi feci, *modica sprevi et paulatim decidi.*

Sacrilegus fui et dum in altari hostiam propitiationis pro aliis immolabam, mihimetipsi *judicium manducavi et bibi.*

Scandalum præbui atque animas in ruinam pertraxi, et ideo justus judex animam pro anima a me requisivit.

Præ desidia et socordia vocationis meæ officia neglexi ; ovem errantem non quæsivi ; non oves sed meipsum curavi et pavi ; quare tanquam minister infidelis ac servus inutilis *ejectus fui in tenebras exteriores* et nunc experior maledictionem latam in eos *qui faciunt opus Dei negligenter.*

*
* *

En igitur viæ præcipuæ quæ ducunt ad infernum : has devita diligenter ne et tu *venias in hunc locum tormentorum.*

—

Examen circa obedientiam sacerdotalem.

Spiritus Ecclesiasticus, quo sacerdos quivis animari debet, importat profecto spiritum obedientiæ ; est enim spiritus Christi : jamvero tota vita Christi continua fuit praxis obedientiæ : *Factus obediens usque ad mortem.*

Estne igitur mihi persuasum de obedientiæ necessitate ? — An illam virtutem maximi facio utpote in se præstantissimam mihique utilissimam, quatenus Deo sacrificium offert acceptissimum, immolans ei quod homo habet nobilissimum, voluntatem videlicet propriam ; — homini vero per viam virtutis ductum præbet tutissimum ; actus ejus de se indifferentes meritorios reddit et bonos merito duplicat ; pacem denique et tranquillitatem in vita et in morte parit ?

An obedio omnibus quibus sive natura, sive professione aut officio sum subditus ? An obedio

Deo, servans omnia mandata ejus quam fidelissime, ita ut pro nulla re mundi ausim aut velim deliberate legem divinam etiam leviter tantum obligantem violare ?

Ecclesiæ, observando ad amussim ejus canones et præscripta, notatim quæ spectant vitam et honestatem clericorum, aut ritus servandos in missæ celebratione ac sacramentorum administratione ?

Episcopo ? An statuta diœcesana habeo uti veras leges in conscientia obligantes ac proinde eorum præscripta sedulo observo ? An memor sum solemnis promissionis Episcopo factæ in die ordinationis meæ sacerdotalis et consequenter ejus mandata sive clero universim sive mihi in specie intimata fideliter exequor ?

Decano in omnibus in quibus Episcopi delegatum agit ?

Pastori (si sim vicepastor aut coadjutor) ? An nunquam obliviscor parochi esse regere parochiam ac divina officia ordinare in ecclesia sua, meque non esse nisi ejus cooperatorem, qui debeat *ei subservire et adjumento esse* (litt. nomin.) ? An igitur caveo ne ipsius

jura usurpem ? An fideliter præsto officia et opera ab illo mihi injuncta ? — Quodsi contingat ut parochus videatur plus æquo me gravare, an juxta statutorum præscriptum « propter bonum pacis et ordinem hierarchicum provisorie obedio donec res ad Decanum vel ad Episcopum relata fuerit » ?

An similiter (si sim professor) subsum et obedio SUPERIORI domus ?

AUCTORITATI CIVILI ? An leges civiles legitimas observo, memor et illas per se in conscientia obligare ? An etiam hac ex parte exemplo sum fidelibus ?

Qualis est mea obedientia ? — An SUPERNATURALIS seu motivo fidei innixa ? An intueri soleo superiores meos uti Dei vicarios, memor quia *omnis potestas a Deo,* et *qui potestati resistit Deo resistit ;* recordatus quoque sententiæ ab ipso Christo prolatæ : *qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit ?* — An quando obediendum est, novi abstrahere a præpositorum qualitatibus aut defectibus humanis, ipsisque juxta monitum Apostoli *servio sicut Domino et non hominibus ?*

An PROMPTA seu cum voluntate bona et ad obediendum paratissima, sine cunctatione me submittendo et quam cito fieri potest jussa exequendo, haud secus ac si ipse Christus visibiliter apparens eadem mihi imperaret ?

An UNIVERSALIS, i. e. sese extendens ad omnia legitime præscripta sive parva sint sive magna, sive facilia sive ardua, sive naturæ placentia sive amori proprio repugnantia, cum semper sit eadem voluntas Dei, mediante superiore, expressa ?

An SIMPLEX ET CÆCA ? *Obedite in simplicitate cordis vestri.* Nonne pronus sum ad dijudicanda superiorum mandata eaque reprobanda tanquam immodica, importuna, imprudentia : an vero sufficit mihi scire ea non imponere aliquid *certo* illicitum, probe noscens, juxta

certam theologorum doctrinam, in dubio de liceitate rei præceptæ, esse obediendum a subdito ? — Annon sum ex illis qui facile sibi persuadent superiorem potestatis suæ limites excedere, et quasi vellent ipsum mandati sui legitimitatem prius demonstrare, dum contra stat præsumptio pro superiore eique est obediendum quousque non constet de potestatis usurpatione? — Nonne assuevi inquirere in causas præcepti, seu cur præpositus hoc vel illud præscribat, et sic me exponere periculo ne claudicet submissio voluntatis ac consequenter ipsa mandati executio ? — An igitur sine examine rejicio quidquid superbia rationis aut sensus repugnantia objicere possit, ac cæco modo obedio, persuasum habens me obediendo non posse errare, nec me judici supremo rationem redditurum de præcepto sed unice de præcepti observantia ?

*
* *

Sumne paratus ad mortem ? Si hac hora mors instaret, nonne forte me dignum inferno reperiret ? At si hodie dignus sum inferno, quomodo cras ero dignus cœlo ? Cras dies incerta et nescio utrum crastinum sim habiturus : quare hodie i. e. statim pedem meum retraham a via quæ ducit ad infernum, ac sincera conversione faciam dignos fructus pœnitentiæ.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cf. supra p. 325.)

§ II

Ordo humanæ cognitionis usque ad notionem Dei apprehensam.

21. Duo solent esse in speculativis intellectu difficiliora: videlicet valde abstracta, ut ajunt, et nimis quasi concreta nobisque intimiora; priora quidem captum aliquatenus effugiunt propter nimiam generalitatem, posteriora vero ægre percipiuntur propter reflectendi et retrospiciendi in nos ipsos propriosque actus difficultatem. Atqui utrumque impedimentum obvium habemus in principio itinerarii mentis ad Deum, cum natura cognitionis humanæ et ordo ejusdem cognitionis exponitur. Ne igitur in ipso limine itineris animos despondeamus, cum via sternitur ad iter jucundissimum commodius perficiendum.

Et hac quidem in re, mira quadam Dei dispensatione contingit ut ratio nostra superba, quæ tam ægre vel ipsi Deo subjicitur, humilitatis documentum invenire queat in ipso principio suæ operationis. Nam, duce natura a Deo indita, ratio admodum facile et sponte sua rerum saltem sensibilium hujus mundi notiones acquirit, dum vero modum quo easdem acquisivit ipsa suo quasi marte reflectendo in seipsam indagare voluerit, nonnisi magna virium contentione illum modum prosequi valet.

22. Redeamus ad propositum.

Modus procedendi intellectus, ex propria hujus natura qua ad verum ipsamque Veritatem divinam factus est, est ascensivus ab imperfectiore ad perfectius, et hoc quidem multipliciter.

Primo enim, objective loquendo seu ex parte objectorum cognoscendorum, incipit intellectus a notione rerum sensibilium, inde procedit ad suprasensibilia et spiritualia nec quiescit donec ad spiritum, quo major cogitari nequit, seu Deum ipsum pervenerit. Item, in singulis objectis directe apprehendendis, progreditur intellectus a notione magis universali ac minus determinata ad minus universalem magisque determinatam, adeoque ad pleniorem ac clariorem rei conceptum.

Secundo subjective loquendo, seu ex parte ipsius operationis intellectualis, incipit intellectus ab apprehensione seu conceptu efformando, tendit vero natura sua ad cognitionem veritatis perfectam, quæ est in judicando, et ita quidem ut, statim ac materiam judicii seu duos terminos apprehenderit, primum judicium eliciat.

23. Ex hisce præmissis et ex dictis de natura cognitionis satis elucet primam omnium intellectus nostri operationem, in ordine tam logico quam chronologico, esse apprehensionem alicujus objecti sensibilis *ut quod est* seu sub ratione entis qua existentis. Hæc igitur *entis* notio est omnium prima.

Hanc primam directam cognitionem sequitur actus reflexus intellectus: videlicet, conceptus ille entis, cum sit in intellectu, eo ipso sine nova intelligibili specie intellectum determinat ut in se respiciat eumdem entis conceptum, et sic duo termini primi judicii efformandi adsunt: objectum nempe directe apprehensum, et conceptus ejusdem objecti in mente, qui fit jam objectum secundi actus intellectualis, scilicet reflexi.

Quomodo autem fit hæc prima reflexio, ut postea primum eliciatur judicium?

Reflexio fit sensu inverso et regressivo, ac facta fuit directa objecti apprehensio. In directa apprehensione, ut vidimus, abstraxit primo intellectus a facto subjectivo sensationis et suæ apprehensionis, deinde a facto objectivo existentiæ objecti apprehensi. In reflexione,

primo conjungit intellectus quod ultimo abstrahendo separaverat, nempe conjungit factum realis existentiæ cum objecto ut existente concepto ; et deinde adjungit illud a quo primo abstraxerat, scilicet factum apprehensionis suæ, ita ut jam consideret objectum existens hoc. Sic distinguit objectum ab ejus conceptu et a seipso, et, repertis duobus terminis, statim judicat : *objectum hoc est,* et non aliud, nec nihil, et perficit judicium, enuntiando fundamentale ac primum principium, quod *contradictionis* appellant, esse excludit non esse, *non potest aliquid esse simul et non esse.*

24. Nemo non videt sic jam confuse saltem et implicite simul oriri in intellectu conceptus fundamentales seu notiones transcendentales eorum quæ sunt supra omne genus, quæque inferiora entis vocari solent, et omne ens consequuntur, scilicet, *res, aliquid, unum, verum, bonum,* imo et horum opposita, præcipue per actum secundum intellectus, nempe reflexum, jam confuse concipiuntur, et ita oriuntur conceptus *nihili, divisionis, distinctionis, numeri,* deinde *limitis,* adeoque *finiti et contingentis, determinationis, privationis,* quamvis hi ultimi magis confuse et implicite. Quæ quidem omnes notiones subsequentibus intellectus operationibus quasi naturaliter et sponte perficiuntur et clarescunt, applicando eas pluribus objectis, hæcque objecta invicem comparando et ab invicem discernendo.

25. Quum intellectus, ut diximus, in directa cognitione a magis universali ad minus universale progrediatur, post notiones transcendentales eorum quæ sunt supra omne genus, perveniet jam ad notiones eorum quæ constituunt suprema genera rerum, nempe ad conceptus *substantiæ* et *accidentis,* quod quidem multiplex est et reduci solet ad novem categorias seu prædicamenta, quæ sunt : *quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, locus, tempus, situs* et *habitus.*

Substantiæ quidem et accidentis notio haud difficulter

acquiritur, reflectendo super experientiam tum internam ipsius animæ cogitantis, tum externam, revelantem mutationes in rebus. Mutatio enim animæ agentis, sicut mutatio rei externæ, dicit finem alicujus rei et initium alius, quod quidem considerando, conceptus perficitur et clarescit existentiæ, nihili, contingentis, possibilis, et dum in eadem re plura sibi succedere videt intellectus, jam concipit notionem accidentis seu affectionis et subjecti permanentis variantium affectionum, qui quidem est conceptus confusus et initialis accidentis et substantiæ, perficiendus rursum comparando subjectum cum affectionibus variis ejusdem, ita ut subjectum appareat ut quod per se est nec alii indiget inesse, accidens vero ut quod necessario inhæret subjecto nec per se esse potest. Simul etiam notiones sponte oriuntur *causæ* et *effectus*.

Non abs re erit hic advertere, quomodo in acquirenda initiali notione accidentis et substantiæ per internam experientiam, homo simul conscientiam suî acquirat et notitiam ejus quod logici *factum primum* vocant, nempe factum propriæ existentiæ, ita ut post primum judicium, quo exprimitur *principium primum* contradictionis, mox sequatur judicium conscientiæ quo factum primum seu propriam suam existentiam homo agnoscit.

Notio initialis accidentis relative ad substantiam considerati præcedit notionem substantiæ ; accidentia autem in se et absolute considerata, post notionem substantiæ apprehenduntur. Porro accidentia, præsertim ea quæ relativa non sunt, ut relatio, locus, etc. sed absoluta, v. g. quantitas et qualitas, valde facile advertuntur, comparando inter se diversa objecta sensibilia. Ordo autem, quem deinceps in acquirendis notionibus accidentium relativorum, et perficiendis substantiæ et accidentium conceptibus, intellectus sequitur, jam indigitari non potest, cum res tota pendeat a circumstantiis extrinsecis in quibus homo versatur.

26. Cæterum, jam generalia et abstracta relinquere licet, et hominem, notionibus supra explicatis instructum, nunc prosequemur in secundo gradu viæ, quo ad notionem suprasensibilium rerum ascendet. Suprasensibile autem et immateriale intelligimus non sola mentis consideratione, qualis est vel ipse primus entis conceptus, sed in se et independenter a consideratione intellectus.

Hic secundus gradus, licet homini sit directe difficilior, cum sit ascensivus ad suprasensibile, est tamen reflexe facilior. Nec mirum, cum notiones in quas reflectendum est jam minus universales minusque abstractæ sint, et ipsa reflexio sit facilior, siquidem hæc directa cognitio magis quam præcedens a propria virium intellectualium applicatione pendet, ita ut totus fere labor ante reflexionem sit peractus et intellectus reflectens perfecte conscius sit viæ directe confectæ.

Unum manet alterumve prænotandum. Primo quidem, ex antea dictis de natura cognitionis humanæ sequitur conceptus nostros omnes rerum suprasensibilium necessario esse analogos, non proprios. Ita quidem, licet ipse homo immediate conscientiam suî habeat adeoque intuitive intelligat se esse et operari seu apprehendat quod sit, notio tamen animæ suæ quid sit, seu notitia naturæ animæ suæ et ipsa analoga tantummodo est: omnes enim conceptus nostri rerum suprasensibilium et spiritualium formantur per species a rebus sensibilibus abstractas, quæ proportione solum analogica animæ spirituali conveniunt.

Præterea, in memoriam revocare juvat, jam non unam deinceps viam esse, sed multiplicem pro diversis in quibus versari potest homo adjunctis, qua ad suprasensibile et spirituale ascenditur, seposito etiam verbo seu signo quocumque extrinsecus accepto; nos, externa item doctrina et institutione seposita, eam viam sequemur quæ nobis visa est magis obvia homini

integro, propriis ac naturalibus viribus relicto, et communibus in adjunctis posito.

27. Homo, quemadmodum vidimus, sponte notitiam confusam propriæ animæ, tamquam principii substantialis actuum suorum, per experientiam internam acquisivit; itemque sponte in objectis sensibilibus externis initialem notionem substantiæ cognovit per experientiam externam; imo vero antea, eadem objecta externa a seipso distincta esse deprehendit et rursum inter se diversa agnovit per accidentia præsertim absoluta majoris aut minoris extensionis, figuræ diversæ, etc.

Hisce positis, intellectus natura sua ad ulteriorem ac clariorem cognitionem provehitur, ita ut non jam extensive majora aut minora, sed, additis novis notis conceptui substantiæ, intensive majus aut minus distinguat, comparando secum et inter se diversa objecta sub respectu accidentis activitatis quam in eis advertit: per propriæ enim activitatis accidens seipsam primum cognovit anima, et in rebus non directe substantiam sed accidentia deprehendit.

28. Itaque accidentia diversæ activitatis altius intellectum ducent: videlicet, comparando inter se res sensibiles sub activitatis respectu, videt aliis aliquid pluris inesse quod in aliis non est, scilicet aliquas crescere et propagari, alias insuper se movere et sentire, alias super hæc omnia uti ratione, et singulas omnes inter se substantialiter esse distinctas et operationem sibi propriam habere; sicque efformat sibi notionem suppositi materialis, vegetalis, animalis, humani.

Post hæc animadvertit id quod superius est in plantis, animalibus, hominibus, manifestari quidem in re sensibili sed ipsum non esse sensibile, et præterea esse distinctum a re sensibili cui inest, cum ramos a stipite avulsos absque crescentia et vita, membra a corpore separata absque motu et sensu, imo ipsum corpus, quod prius sese movebat et operabatur, nunc

jacere videat absque motu, vita ac sensu ; et ita ad notionem pervenit rei suprasensibilis, quæ principium et causa sit motus et vitæ in re sensibili.

Dein, cum semper altius tendat intellectus, hanc notionem perficere conatur investigando naturam hujus principii suprasensibilis, comparando illud cum re sensibili cui inest. Et, cum primum res sensibiles, ut supra vidimus, inter se contulerit et ab invicem distinxerit ratione accidentium extensionis et figuræ diversæ, statim advertit principium vitæ esse in toto corpore, non extensione partium, ut sunt extensæ res sensibiles, sed totum corpus cui inest pervadere et totum esse in singulis partibus : et sic pervenit ad notionem simplicitatis plus minusve perfectæ.

29. Præterea, comparando principia vitæ vegetalis, animalis et rationalis inter se, advertit principia vitæ vegetalis et animalis ita uniri et alligari materiæ, ut extra ipsam existendi rationem non habeant, solum vero principium vitæ rationalis materiæ ita alienum ac superius esse ut qua tale a corpore non pendeat, et existendi rationem perfecte habeat extra materiam, imo eo perfectius sit, quo magis sit a corpore animando independens ; sicque pertingit ad notionem substantiæ spiritualis. Rursum notio spiritus perficitur eodem modo comparando sub diverso respectu substantiam spiritualem cum substantiis inferioribus. Nempe deprehendit intellectus spiritum secundum se consideratum esse perfectionem, quam ajunt, simpliciter simplicem, id est, quæ nullam de se involvit imperfectionem ; nullam proinde rationem habet intellectus limitandi, et impellitur ad cogitandum spiritum continuo perfectiorem ; quum autem idem intellectus natura sua tendat ad summum, nec antea quiescat, removet a notione spiritus possibilitatem perfectionis majoris ; et en notio efformata spiritus quo major seu perfectior cogitari non potest, quæ est ipsa prima notio summi Dei. Ultra jam in apprehendendo tendere nequit intellectus, ideoque

in hac apprehensione qua tali quodammodo quiescit, hoc solum intendens ut eam notionem clarius et plenius percipiat.

30. Dicimus : in hac apprehensione *qua tali* quodammodo quiescit intellectus : nam, in sola apprehensione non sistit, cum enim objectum ejus proprium sit veritas, veritas autem non sit proprie in apprehensione, sed in judicio, remanet quæstio an Deus sit, adeoque non quiescet investigando intellectus, donec judicaverit: Deus est ; et dein quam perfectissimam licet in hac vita notionem quid sit Deo, ut reapse existenti, applicaverit, Eique plena agnitione intellectus, imperante voluntate, adhæserit.

Et hæc quidem quodammodo quies est, scilicet viæ, quæ collata cum vera quiete patriæ, quando Deum videbimus sicut est, potius inquietudo dicenda est quam requies, cum semper Deum anhelemus nec unquam satis cognoscendo ac amando attingere valeamus.

O Domine, optime, maxime Deus, concupiscit et deficit anima mea in te. Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.

31. Antequam ad secundum articulum de cognitione existentiæ Dei transeamus, unum remanet præstandum: scilicet notionem illam spiritus quo major cogitari nequit breviter explicare, prout eam intellectus sibi evolvit ut ad quærendum an Deus sit naturaliter deducatur.

Statim ac intellectus adeptus est notionem spiritus quo major cogitari nequit, eam confert cum notionibus rerum inferiorum antea acquisitis, et advertit ac intelligit has quidem omnes esse omni modo limitatas ac finitas tum secundum se, tum relate ad tempus et spatium, tum in operatione sua, spiritum vero quo major cogitari nequit excludere hujusmodi limites et esse infinitum secundum se, scilicet esse vim intelli-

gendi ac volendi infinitam, nec contineri limitibus temporis et spatii, sed esse æternum et immensum, tandem, secundum operationem, esse actum purum intelligendi ac volendi.

Advertit præterea spiritum hujusmodi infinitum concipi non posse nisi unicum, cum major sit qui superiorem non habet nec æqualem ; tandem, concipi non posse nisi ut existentem, et a quo reliqua omnia secundum totum esse suo dependeant, secus enim non esset infinitus quo major cogitari nequit. Et en transitus ad quæstionem an realiter Deus sit.

32. Dicitur transitus ad hanc novam quæstionem. Nam, ex dictis non est soluta quæstio : dum enim omnia inferiora usque ad propriam animam primo et immediate apprehendit homo ut quod sunt, et dein quid sunt indagavit ; contra, notionem spiritus et Dei, quid est, primum analogice ex inferioribus deduxit, non vero primum et immediate ut quod est intellexit ; notio igitur Dei est mere subjectiva et in ordine logico: unde, si a notione tali ad objectum, ab ordine intellectionis ad ordinem ontologicum concluderetur, incurreretur vitium argumenti, quod S. Anselmi vocari solet ; quamquam dicere nolumus S. Doctorem rem ita intellexisse ut reapse hoc vitium incurrerit.

Est tamen transitus seu naturalis occasio, qua intellectus deducitur ad solvendam quæstionem existentiæ Dei, ut facile intelligitur et declarabitur amplius in sequentibus, ex quibus simul apparebit hanc esse viam naturalem et unicam, qua homo, notionem spiritus adeptus, ad acquirendam notionem initialem Dei, et ad cognitionem existentiæ ejus, absque externa institutione suis naturæ viribus procedit.

(Sequitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Enarra II Reg. VII, 14 : *Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium.*

II

Explana Luc. IX, 53-56 : *Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos ? Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

III

Explicando responsum indica quisnam fuerit in creatione universi *finis operis.*

IV

Determina jus illius qui in fundo alieno sive re aliena thesaurum invenit.

V

Quænam est in conscientia efficacia præscriptionis liberativæ a) quinque annorum pro omnibus præstationibus annue aut breviori spatio periodice solvendis, juxta art. 2277 c. c. ; b) quinque annorum, duorum annorum, unius anni aut sex mensium pro multis aliis debitis, juxta art. 2271-2273 ?

VI

Le curé d'une paroisse de 6000 âmes annonce au prône, le premier dimanche de Décembre, que les

membres du conseil de fabrique sont invités à se réunir au presbytère, à l'issue des Vêpres du même jour, pour procéder au remplacement de deux membres décédés. Cinq membres, y compris le curé, sont présents à la séance. On procède au vote par appel nominal ; deux membres s'abstiennent, deux autres portent leur voix sur Pierre, sacristain de la paroisse ; et le cinquième vote pour Paul. Le président est d'avis qu'il faut déclarer élu Pierre, qui a la pluralité des voix. Cependant, un membre ayant soulevé des doutes sur la validité de cette élection, on décide de faire un nouvel appel nominal, qui donne le résultat suivant : un membre s'abstient, et les autres partagent également leurs voix sur les deux candidats. Le bourgmestre prétend que Paul doit être déclaré élu, parce qu'il est le plus âgé ; le curé soutient qu'il y a lieu d'appliquer la prérogative épiscopale de l'article 8 du décret du 30 Décembre 1809 ; un troisième veut qu'on décide par la voie du sort ; enfin le président opine que Pierre doit être préféré, parce qu'il lui a donné sa voix qui est prépondérante, et il proclame Pierre membre du conseil de Fabrique.

Comment appréciez-vous les différentes opérations de cette séance ? L'élection de Pierre est-elle valide ? Et pourquoi ?

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Augusti propositas

I

Q. Explana I Reg. II, 25. « *Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.* »

R. *Et non audierunt vocem patris sui,* non auscultarunt patri suo corripienti, sed impudenter peccare perseverarunt: *quia voluit Dominus occidere eos.* « Particula *quia,* non denotat hic proprie dictam causam, vel directam et absolutam intentionem Dei: sed solum *conditionatam, indirectam, et improprie dictam.* Neque enim impulit illos Deus in peccatum, aut vi præcipites egit (ut blasphemant Calvinistæ), sed tantùm subtraxit illis, utpote indignis, extraordinaria et indebita auxilia, quibus peccatum quod punire voluit, et peccato debitum decretumque supplicium effugerent » Tirinus. — « Nota: Prima causa, eaque directa et propria, cur filii Heli non audierint patrem monentem, fuit eorum prava et perversa voluntas in malo obstinata, ob quam noluerunt audire patris monita: sacra tamen Scriptura hîc more suo causam aliam indirectam assignat, scilicet in altissimam Dei providentiam et judicium id refert: nimirum, quod Deus noluerit eorum ob tanta scelera toties iterata misereri, eisque dare gratiam efficacem, qua pœniterent et mortem evaderent, sed permiserit eos in suis criminibus volutari et obfirmari, ut eos justissime toties merita morte puniret, ad reparandum scandalum toti populo ab eis datum, et ad exemplum terroremque aliorum sacerdotum. Solet enim Scriptura passim inculcare Dei attributa, præser-

tim misericordiam et judicium, ut significet Deum omnium omnino rerum, tam bonarum quam malarum exactam habere providentiam, ut illas præmiet, has castiget. Hoc enim facit homines Deum timere et colere, eosque a peccatis coercet. Nullum enim magis est peccatorum frenum quam Numinis metus, et Dei vindicis seria cogitatio. » Ita a Lapide egregie.

G. V. D. P.

II

Q. Explica Luc. I, 17 « *Et ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ : ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* »

R. *Et ipse* Joannes *præcedet,* præibit, tempore scilicet, *ante,* ἐνώπιον « in conspectu, coram, proxime ante, ita ut sit illi proximus, tamquam apparitor : quales solent præcedere ante Reges et principes, quos ubi conspexeris, statim intelligas Regem non procul abesse. Et Prophetæ præcesserant Christum, sed longe ante : Johannes proxime præcessit. » Luc. Brug. — Ante *illum,* scilicet *Dominum Deum ipsorum,* v. 16, brevi venturum in mundum, ut caro factus salvet mundum. « Manifeste docet Angelus, Christum fore Deum, et quidem eumdem illum quem Israelitæ hactenus coluerant. » Luc. Brug. — *In spiritu, et virtute Eliæ,* i. e. eadem animi fortitudine seu efficacitate (δυναμει), vel eadem gratia Spiritus sancti efficaciter potenterque in eo operante, qua Elias præcedet posteriorem Christi adventum. « Nostræ ætatis hæretici, qui negant Eliæ reditum, nihil aliud subaudiunt, quàm *quali Elias præditus olim fuit :* sed veteres omnes tam Græci quam Latini subaudiunt, *quali Elias præcedet ante illum,* quali Elias præcedet posteriorem illius adventum. Verum est quidem, quod Eliæ spirita-

lis potentia seu efficacitas, intelligi queat ex actis ejus prioribus, si in memoriam revocetur, qua animi fortitudine restiterit conatibus Jezabelis, qua libertate increpaverit Regem impium, quo zelo certaverit contra prophetas Baal, ut reduceret populum ad Dominum Deum ipsorum : sed non præcipue hic ad præterita respicit Angelus, sed ad futura, quòd pari modo Johannes se geret in officio præcedendi ante Christum, atque prædictum est quòd Elias se geret. Alludit enim Angelus ad prophetiam Malachiæ, cap. 4, v. 5, promittentem : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Nam subjungit mox subsequentia apud Malachiam verba : *Et convertet cor patrum ad filios,* etc. » Luc. Brug.

« Præivit autem Joannes ante Dominum variis modis. Nam sua nativitate præcessit Christi nativitatem : sua prædicatione, suoque baptismo, Christi prædicationem, et baptismum : sua passione, Christi occisionem : suo ad lymbum descensu, Christi descensum ad inferos... Quamvis autem sic variis modis Joannes Dominum præiverit, potissimum tamen intelligendum est, eum hic dici præcessurum ratione prædicationis, et baptismi, quibus convertit corda patrum in filios, et paravit Domino plebem, quemadmodum et Zacharias postea (v. 76) dicit : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus.* » Jans. Gand.

Ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum. « His verbis declaratur in quem finem et quo exitu Joannes præcursoris Christi munus sit exsecuturus. Ad quod significandum angelus verba fere mutuatur a Malachia, qui de Elia sub finem mundi venturo dixerat (IV, 6) : *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Quos autem propheta in altero commate *filios*, eos angelus explicatius *incredulos,* ἀπειθεῖς, h. e. *immorigeros* seu *contumaces,* appellat ; et quos propheta *patres,* ipse *justos* vocat.

Prudentiam, φρονησιν, rectam sentiendi rationem intelligit, sapientiam ergo cum pietate et virtutis studio junctam; ut sensus sit: et filios contumaces adducat in fidem ac pietatem patrum justorum. — Dictum fuerit εν φρονησει ideo quia una cum conversione ad sapientiam cogitatur stabilitas in ea » Liagre.

« Convertere autem cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, est, corda patrum et filiorum inter se mutuo ita conciliare, ut sint ejusdem sententiæ ac fidei; ut idem cor, eadem mens atque eadem sapientia et fides sit in posteris, quæ olim fuit in patribus. *Ut credant,* inquit Hieronymus in Malachiam, *posteri eorum in Dominum Salvatorem, in quem et Patriarchæ crediderunt*... Porro istud, convertere inquam corda patrum et filiorum ad se mutuo, tunc fecit Johannes, quando suæ ætatis Israelitas docuit instare adventum Christi patribus promissi ac desiderati; quando persuasit ut Christum, in quem patres crediderant venturum, ipsi præsentem agnoscerent ac reciperent; denique quando fidem illam, desiderium ac devotionem patrum antiquorum erga venturum Messiam, jam multis vitiis refrigerata, revocavit atque accendit, ita ut filii patrum exemplo Messiam viva fide ac devotione desiderarent, quærerent atque amplecterentur. » Luc. Brug.

Parare, ut paret. Interpres hic retinuit infinitivum, quem mox clarius verterat per subjunctivum *(ut convertat).* — *Domino,* Deo ipsorum, proxime post se venturo, id est, Christo. — *Plebem perfectam* « Κατεσκευασμενον, instructam, adornatam, dispositam, præparatam... ut apparet et disponat populum Israel ad Christum excipiendum: *ut populum,* ait Titus, *Christo Domino reddat instructum, fideique capessendæ aptum*... Expositio est ejus quod præcedit: *Ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, ut* inquam *paret Domino plebem* recte perfecteque dispositam: quamquam et superior versiculus ad apparationem

spectet. *Convertendo enim Israelitas ad Dominum Deum ipsorum, simul etiam convertendo corda patrum et filiorum ad se mutuo,* id est, reddendo filios patribus consentientes fideque ac moribus similes, paravit adaptavitque populum ad Christum ejusque doctrinam recipiendam. Rudis erat populus et impolitus: Johannis præcursu aptatus est ac formatus, ut non omnino rudis, sed jam agnitione peccatorum suorum, exspectatione regni cælorum, ac desiderio venturi Messiæ instructus, Christo venienti ad salvandum mundum, docilem se præberet, et salutis quam ille adferret capacem. » Luc. Brug.

G. V. D. P.

III

Q. Dic quid sit creatio, explicando responsum.

R. Missis variis sensibus latioribus et minus propriis quibus vox *creatio* adhibetur, stricte et proprie creatio definitur : *effectio rei ex nihilo*, qua in definitione effectio exprimit genus, cætera differentiam specificam.

Jam singula definitionis verba explicamus. Dicitur *effectio.* Hæc vox indicat propriam virtutem, efficaciam seu causalitatem *causæ efficientis.* Effectio est actio producens aliquid ab ordine intelligibili seu ideali ad ordinem realem, ab ordine possibili ad ordinem actualem seu existentiæ in rerum natura.

Dicitur *ex nihilo,* qua locutione potissimum exprimitur specifica natura hujus effectionis specialis, quæ creatio dicitur, et ideo diligentius hæc verba sunt perpendenda, primo vim vocis *nihilum* præcipue indagando, dein vim præpositionis *ex.*

1° *Nihilum* a) evidenter sumi nequit ita absolute, ut esse essentiæ possibilis seu mere intelligibile rei creatæ excludatur, quo sensu recte Scotus dicit (2, dist. 1, 9, 2) nullam rem creari de *nullo modo* ente. Excluditur solum esse quodvis *actuale* rei creatæ.

b) Nec ita absolute sumi potest nihilum, ut vel ipsa

causa efficiens excludatur, ita ut ante effectum creationis nihil prorsus extitisse significetur, vel res per creationem a semetipsis oriri. Etenim ut vidimus, in ipsa notione generica effectionis, jam ipsa causa efficiens inclusa ponitur. Ponitur ergo rem creatam a solo producente, et a nullo alio dependere in quocumque genere causæ.

c) Aliunde nihilum non est solum intelligendum secundum quid, quasi tantummodo significaretur rem antecedenter ad creationem aliter exstitisse ac nunc est, sicuti contingit in mutatione proprie dicta : nam, omnis effectio facit aliquid esse, sive substantiale sive accidentale, quod prius non erat, secus nihil efficeret ; sed intelligendum est nihilum absolute respectu effectus creandi, ita ut nihil eorum quæ ad esse actuale seu existentiæ rei pertinent antecedenter ad creationem exstitisse ponatur, ut jam diximus ; item nihilum absolute intelligendum est respectu causæ creantis, quatenus nihil ipsi præsto fuerit quod habeat rationem subjecti seu materiæ actionem ejus recipientis. Primus respectus dicitur *nihilum sui*, secundus *nihilum subjecti* in definitione creationis sæpius proposita, qua dicitur creatio : *productio rei ex nihilo suî et subjecti.*

Ex his jam habemus quid intelligatur in definitione nostra per vocem *res,* quando dicitur effectio rei ex nihilo.

Res intelligitur producta quoad *esse simpliciter et totale,* non solum quoad esse *tale vel tale,* per formas accidentales, nec quoad *hoc vel illud,* per formas substantiales ; ex quibus apparet quomodo creatio differat a formatione et a generatione.

Equidem cum substantia concreantur omnes ejus partes integrales ejusque accidentia, cum tamen terminus creationis sit ipsa rei substantia, accidentia non dicuntur creari sed *concreari* seu *increari.* Producitur ergo per creationem substantia tota quanta est, et hoc

exprimit S. Thomas dicendo : *creationem esse productionem alicujus rei secundum totam suam substantiam nullo præsupposito*. Quod etiam declaravit concilium Vaticanum definiendo res omnes quæ in mundo continentur secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas.

2° Indicanda remanet vis præpositionis *ex* in locutione *ex nihilo*.

a) Evidens est particulæ *ex nihilo* non adscribi rationem causæ materialis, cum absurdum sit nihilum concurrere ad productionem effectus. Adhibetur igitur hæc locutio hoc sensu ad negandam causam materialem, ut affirmetur productio ex nulla materia præjacente.

b) Potest eadem locutio *ex nihilo* alio sensu adhiberi, tamquam exprimens ordinem nihili ad esse, quasi termini a quo ad terminum ad quem : sic creatio dicitur productio rei a non esse ad esse et negatur quivis terminus a quo realis, actualis, affirmatur vero prioritas nihili seu non esse actuale præ esse rei creatæ. Quæ quidem prioritas certe est prioritas naturæ, nam res quoad totum esse producta concipitur necessario ut contingens et indifferens ad esse et non esse, ita ut necessario non esse natura præcedat esse.

An vero prioritas illa sit etiam prioritas temporis, ita ut non esse etiam duratione necessario præcedat esse creaturæ, difficilioris est disputationis.

Cæterum de fide est nullam rem ab æterno fuisse creatam, hic autem quæritur non de facto sed de possibilitate. (V. Van Hoonacker, *de rerum creatione ex nihilo,* pag. 55.)

V. J. C.

IV

Quisnam est actus proprius virtutis infusæ prudentiæ, et quænam sunt vitia prudentiæ opposita ? Breviter explica responsum.

R. I. Actus proprius virtutis infusæ prudentiæ est judicium ultimum practicum conscientiæ supernaturalis. Est scilicet actus *dictandi* seu præcipiendi quid hic et nunc, omnibus consideratis, ut conveniens fini supernaturali sit agendum, quid ut disconveniens fugiendum. Qui actus proprius et immediatus prudentiæ stricte sumptæ supponit tum actum *bene consultandi,* quem prudentia elicit per annexam sibi virtutem eubuliæ, tum actum *bene judicandi,* quem elicit per annexas virtutes synesis et gnomes.

II. Inter vitia prudentiæ opposita alia per defectum, alia per excessum seu abusum opponuntur.

1) Per defectum opponitur vitium genericum imprudentiæ, quæ quatuor præcipua vitia sub se continet : *præcipitationem, inconsiderationem, inconstantiam* et *negligentiam;* prout nempe adest defectus *consilii,* aut *judicii,* aut *firmi dictaminis,* aut *sollicitudinis intellectus in executione dictaminis.* — Imprimis « *præcipitatio* in actibus animæ metaphorice dicitur, secundum similitudinem a corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundum corporalem motum quod a superiori in ima pervenit secundum impetum quemdam proprii motus vel alicujus impellentis, non ordinate descendendo per gradus. Summum autem animæ est ipsa ratio ; imum autem est operatio per corpus exercita ; gradus autem medii, per quos oportet ordinate descendere, sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis majorum ; per quos quidem gradus aliquis ordinate descendit recte consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. » S. Th. 2-2, q. 53, a. 3. Sicut autem præcipitatio deficit in actu bene consultandi, ita *inconsideratio* deficit in actu recte judicandi et incurritur ab

eo qui « contemnit vel negligit ea ex quibus rectum judicium procedit (a. 4). » Similiter *inconstantia* defectus est in ipso actu præcipiendi seu dictandi : nempe « importat recessum quemdam a bono proposito definito... Ex hoc enim dicitur aliquis esse inconstans, quod ratio deficit in præcipiendo ea quæ sunt consiliata et judicata (a. 5). » Tandem *negligentia* hic non sumitur pro ipsa omissione cujuscumque actus debiti, quia sic non opponitur prudentiæ tamquam speciale peccatum, sed opponitur virtuti in cujus materia reperitur. Nec sumitur pro negligentia qua quis deficit in studio eorum quæ ipsi cognoscenda sunt : quæ quidem negligentia speciale peccatum est, at non opponitur prudentiæ sed studiositati (quæ est virtus annexa temperantiæ), neque est in intellectu sed in voluntate remisse se habente circa studium. Sumitur ergo hic pro defectu sollicitudinis seu vigilantiæ intellectus non satis excitantis ac dirigentis voluntatem in bono opere exequendo.

2) Per excessum sive abusum opponitur prudentiæ multiplex falsæ speciei prudentia ; potissimum : *prudentia carnis* sive *mundi, astutia* et *sollicitudo temporalium* ac præsertim *futurorum*. — *Prudentia carnis* abutitur ratione ad prosequendum finem malum, carnalia scilicet sive mundana. *Astutia* utitur, ad finem bonum aut malum, mediis seu viis simulatis, adeoque dolosis et fraudulentis. Ad astutiam igitur referuntur *dolus* et *fraus* tamquam ejusdem executio ; et dolus quidem generatim sive de verbis sive de factis, fraus vero speciatim de factis dicitur. *Sollicitudo temporalium* est nimia animi occupatio in temporalibus rebus conquirendis et conservandis ; item *sollicitudo futurorum* est nimia animi occupatio circa temporalia futura. Immoderatam hanc sollicitudinem rerum terrenarum pluribus argumentis impetit Christus apud Matth. VI, 25-34 et Luc. XII, 22-31 ; moderatam talium sollicitudinem commendat Sapiens, Prov. VI, 6-11.

O. E. D.

V

Da notionem juris stricti seu rigorosi.

R. Est potestas moralis aliquid tamquam suum, id est in proprium suum commodum, exclusis cæteris, habendi.

Dicitur *potestas,* seu quædam habitudo exigentiæ in subjecto juris ad aliquid obtinendum aut retinendum.

Moralis, quæ scilicet non ex viribus physicis, sed ex principiis rationalibus seu moralibus oritur et pariter in facultates morales aliorum suam vim exerit. Unde solum ens ratione præditum est subjectum tum juris stricti activi de quo agimus, tum juris stricti passivi, ut aiunt, seu debiti huic juri activo respondentis.

Aliquid, quo verbo designatur generatim quidquid esse potest objectum juris stricti, sive res sit, sive actio.

Tamquam suum, i. e. in proprium commodum, exclusis cæteris. Est igitur ista habitudo quædam moralis connexio, seu morale vinculum, inter illud quod habetur (juris objectum) et illum qui habet (juris subjectum), vi cujus connexionis res censeri debet exclusive destinata utilitati et commodo illius qui jus obtinet; adeo ut in usu istius rei morali prælatione gaudeat erga cæteros omnes, qui sine læsione ordinis moralis hanc rem sibi vindicare nequeunt. Differt omnino istud jus strictum a jure dominationis aut jurisdictionis quod superior in subditum exercet: superior enim non in suum proprium commodum utitur subdito, sed ei in bonum ipsius præcipit.

Habendi, id est: vel obtinendi, si ista connexio nondum actualiter est sed petit esse; vel retinendi, si connexio est actualis. In primo casu dicitur *jus ad rem,* jus nempe ad rem aliquam exigendi eamque nostram faciendi; in altero casu dicitur *jus in re,* quod nempe circa rem jam nostram habemus.

Q. E. D.

VI

Q. Quid in jure ecclesiastico statuitur circa sepulturam eorum qui seipsos occidunt vel in duello moriuntur?

R. Rituale Romanum, *De exequiis*, sub rubrica « QUIBUS NON LICET DARE SEPULTURAM ECCLESIASTICAM », hæc habet :

« Ignorare non debet parochus, qui ab ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi, ne quemquam ad illam contra sacrorum canonum decreta unquam admittat.

« Negatur igitur ecclesiastica sepultura...

« Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ.

« Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa. »

Ex quo textu apparet seipsos occidentes vel in duello morientes ab ecclesiastica sepultura ipso jure esse excludendos.

Ut tamen hæc pœna incurratur, nonnullæ requiruntur conditiones, quarum aliæ utrique delicto (imo et omni delicto quod pœna privationis sepulturæ plectitur) sunt communes, aliæ singulis propriæ, scilicet :

I. Pro *suicidis* et *morientibus in duello*.

1° Requiritur ut delictum sit *publicum et manifestum ;* pœna enim publica est, et de jure sacramenta et sacramentalia non negantur nisi publicis peccatoribus.

2° Quum sepulturæ concessio pro baptizatis regula sit, denegatio vero exceptio et valde quidem odiosa, utpote pœna gravissima, ideo lex qua sepultura sacra denegatur stricte est interpretanda, nec applicanda nisi *certum* sit delictum ac certa ejus notorietas. In omni dubio, sive juris, sive facti, ea eligenda est pars quæ, salvis tamen rectis de legis odiosæ interpretatione regulis, personis magis faveat, quia *In pœnis benignior est interpretatio facienda* (Reg. jur. 49 *in 6*).

De casu dubii infra sermo redibit.

II. Pro *suicidis*.

1° Ulterius requiritur ut occisio sit *mortaliter mala ;* imo, juxta nonnullos, ut sit *directe seu in se voluntaria*. Moulart, *De sepult. et cœmet.*, p. 278 (1).

Hinc a) quiquid voluntarium aut plenam deliberationem tollit, defectus usus rationis, ignorantia, error, vis, impedit quominus pœna incurratur. Merito tamen observat De Angelis, « quando constitit suicidium esse commissum, non semper esse retinendum quod acciderit ex *insania,* prout hodie communiter dictitatur, et Doctores aliqui plus æquo modernis placitis indulgentes admittunt ad hoc ut suicidæ omnes sepultura ecclesiastica donentur, sed potius ex facti et personarum circumstantiis (2) esse despiciendum, an ex desperatione aliaque injusta imputabili causa, vel potius ex insania hoc advenerit, et in primo casu privandos esse ecclesiastica sepultura, in alio vero non privandos. Ad hanc suam opinionem firmandam Doctores isti duobus utuntur argumentis, quæ tamen nihil valent, nempe primo, ex eo quod dicant neminem velle sibi perimere vitam usquedum mente sanus est, cum vita sit omnium bonorum fundamentum ; sed isti nolunt intelligere malitiæ humanæ profunda mysteria, præser-

(1) Huic opinioni consonare videtur Pastorale Brugense, *De exequiis*, p. 172, ubi inter illos quibus non licet dare sepulturam ecclesiasticam, enumerat : « V. Qui sana mente, *ex intentione*, seipsos occiderunt. »

(2) Varia sunt indicia quibus insania rationabiliter conjicitur. Sequentia post Layman tradit *Thesaurus*, De pœn. eccles., part. II. V° *Manus*, c. 1, n. 5 : *primo*, si constet illum qui sibi manus intulit antea fuisse virum probum et sat pium ; *secundo*, si constet eum melancoliæ morbo affectum fuisse, seu atra bile laborasse ; *tertio*, si passio sibi manus inferendi perseverans et habitualis fuerit, etc. Cfr resp. S. Off. 16 Martii 1866 (*Nouv. rev. théol.* T. XVII, p. 449).

In diœcesi autem Brugensi exstat synodale statutum quo decernitur ut « *Ad incudiendum suicidii horrorem, quantumvis constare videatur de indeliberatione admissi criminis, sepultura ecclesiastica suspendatur, donec Episcopus intervenerit.* » Decr. congr. prosyn. 22 Maii 1888, n. 4 (*Coll. epist. past.*, T. XIV, p. 19).

tim quando fides supernaturalis ex animo exulavit, et nulla habetur futuræ vitæ spes. Alterum vero argumentum in hoc est, quod etiam Ecclesia omnes suicidas post Benedictum XIV retinuerit velut insanos ; quod pariter falsum est, prout ex allegatis a Rituali Romano ab eodem Benedicto XIV emendato patet ». *Prælect. jur. can.*, T. II, part. 2, p. 31. b) Sepultura sacra privandus non est qui, absque intentione sese occidendi, causa juxta theologorum doctrinam sufficienti, in manifestum mortis periculum se conjecit ; imo, juxta aliquos, neque ille qui ex temeritate hoc fecit, quin tamen intentionem sibi ipsi mortem inferendi habuerit.

2° Tandem, si quis animo se occidendi, lethaliter quidem se vulneravit, ante obitum tamen absolutionem sacramentalem receperit, aut indubia dederit pœnitentiæ signa, perinde ac cæteri fideles, loco sacro inferri debebit.

Nota. Ex principiis hucusque traditis facile colligitur quid decidendum sit in casu, haud infrequenti, quo quis reperiatur in flumine vel puteo submersus, vel laqueo suspensus, veneno aut ferro interfectus. Docet Reiffenstuel cum communi quod talis « sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet quod se ipsum occiderit ; id quod in dubio præsumendum non est, cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumatur... Accedit, quod potuerit talis per insidias aut vi per alium in flumen præcipitari, aut suspendi ; aut ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum occidere... Secus foret, si mentis compos prius jam ex tædio vitæ, impatientia, desperatione, vel alia simili causa, cogitationes et consilia se ipsum occidendi agitasset ; vel si ex circumstantiis manifeste appareret, quod a nullo alio quam a se ipso sibi bene præsente interfectus fuerit ». L. V, tit. 28, n. 89.

III. Pro *morientibus in duello*.

Præter duas priores conditiones supra memoratas, requiritur et sufficit verum et proprie dictum duellum, scilicet « pugna inita inter duos vel plures in pari

numero, privata auctoritate, et ex condicto, statuto loco, et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris ». Ita Ferraris, v° *Duellum,* n. 1. Cfr dec. S. C. C. 9 Aug. 1890 (*Nouv. rev. theol.,* T. XXII, p. 582 ss.).

Tridentina Synodus, *Sess.* XXV, c. 19 *De ref.,* pœnas a RR. PP. contra duellantes antea latas iteravit ac ampliavit; et præter alia decrevit ut « *si in ipso conflictu decesserint,* perpetuo careant sepultura ecclesiastica ».

Quum autem dubitatum postea fuerit an pœna privationis latæ esset sententiæ, et an illam incurrerent qui extra locum conflictus a vulnere in duello accepto extinguerentur, nec controversiam omnem Rituale Romanum sustulisset; Benedictus XIV, ad exitiosam duellorum licentiam validiore manu coercendam omnemque disceptationibus viam præcludendam, decrevit ac declaravit « sepulturæ sacræ privationem a Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam *ante sententiam* judicis, a decedente quoque *extra locum conflictus* ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac *etiamsi vulneratus ante mortem non incerta* pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate. » Const. *Detestabilem,* § 9 (*Bullar.,* T. X, p. 80).

Duellistæ igitur, ante omnem Ordinarii sententiam vel condemnatoriam, vel etiam declaratoriam modo crimen sit notorium, sepultura sacra ipso jure privati sunt quotiescumque e vulnere in conflictu accepto concidunt, etiamsi ante obitum pœnitentiæ signa dederint, et absolutionem sacramentalem obtinuerint. Quare ultra quam par est progreditur Emin. Gousset, dum in sua Theologia morum, T. II, n. 635, dicit: « Cependant si, se sentant atteint du coup mortel,

il réclamait le prêtre ou les secours de la religion, et que ce fait fût constaté par plusieurs témoins, nous pensons qu'on peut tempérer la rigueur des canons et accorder au duelliste la sépulture ecclésiastique. Le refus, quoique canonique, n'en serait pas compris, parmi nous, dans le cas dont il s'agit. S'il meurt à la maison, ou tandis qu'on le porte à la maison, il ne peut y avoir de difficulté. Il suffit qu'il ait montré du repentir pour pouvoir être inhumé avec les cérémonies de l'Eglise ».

Quum tamen Benedictus XIV nullum omnino tempus determinaverit, existimant sat communiter auctores, quod si unus alterve dies intercesserit inter inflictum vulnus et mortem, duellistæ pœnitenti liceret sacram sepulturam (1) concedere : tunc enim facile oriri poterit dubium utrum mors ex duello vel ex alia causa secuta sit. Verum semper ad Ordinarium recurrendum est antequam aut negetur aut concedatur sepultura ecclesiastica.

Cæterum in Diœcesi Brugensi sapienter præscriptum est, ut « in his et aliis quibuslibet casibus, ad hanc materiam pertinentibus, ubi vel minimum quid dubium occurrerit, nihil agere præsumat parochus, nisi consulto prius Ordinario. Quin imo semper id fiat, si per tempus licet, dum ex negatione sepulturæ ecclesiasticæ difficultates prævidentur orituræ ». Pastorale Brugense, *l. c.* Iste autem recursus habeatur « non per commissam postæ epistolam, ad quam tempestivum plerumque dari nequit responsum ; sed per nuntium directum, puta familiæ defuncti membrum cui tradantur litteræ explicatrices ; vel etiam, pro circumstantiarum gravitate, per vicarium aut ipsum pastorem ». Decr. congr. prosyn. 12 Junii 1876, n. 12 (*Coll. epist. past.*, T. XII, p. 196).

C. V. C.

(1) Quid de viatico et extrema unctione sive publice sive secreto dandis iis qui duello aliquamdiu supervixerint sit statuendum, alibi dicetur.

Evangelia dominicarum

DOM. II ADVENTUS.

—

Responsum Christi ad discipulos Joannis. Joannes a Christo laudatus. Matth. X, 2-10. Cnf. Luc. VII, 18-27.

Te dien tijde, 2. toen Joannes in de gevangenis de werken van den Christus vernomen had, zond hij twee van zijne leerlingen, en zei tot hem : 3. Zijt gij deze, die komen zou, of verwachten wij eenen anderen? 4. En Jesus antwoordde en zei tot hen: Gaat heen en boodschapt Joannes wat gij gehoord en gezien hebt: 5. De blinden zien, de kreupelen wandelen, de melaatschen worden gereinigd, de dooven hooren, de dooden verrijzen, den armen wordt het Evangelie verkondigd ; 6. en zalig is hij, die aan mij niet en zal geërgerd zijn.

7. Als nu deze heengingen, begon Jesus tot de scharen te zeggen van Joannes: Wat zijt gij uitgegaan te zien in de woestijne? Een riet dat van den wind bewogen wordt? 8. Maar wat zijt gij uitgegaan te zien? Eenen mensch met zachte kleederen gekleed? Zie, die zachte kleederen dragen, zijn in de huizen der koningen. 9. Maar wat zijt gij uitgegaan te zien? Eenen Profeet? Ja, zeg ik u, en meer dan eenen Profeet. 10. Want deze is het, van wien geschreven staat: Zie, ik zende mijnen engel vóór uw aangezicht, die uwen weg bereiden zal vóór u.

* * *

Notationes

Tu es, qui venturus es... « i. e. Esne tu Messias ille qui jam proditurus est, an alium exspectemus oportet? Profecto non dubitabat Joannes Jesum esse verum Messiam : quod ipse divino afflatu didicerat et non

semel palam professus erat (Cf. Joan. I, 26 sqq. III, 26 sqq.) Verum multi ex ejus discipulis, partim humili Jesu conditione et minus austera discipulorum hujus vivendi ratione offensi (Cf. Matth. IX, 14), partim majori de magistro suo existimatione falsi ideoque male animati in Jesum, quem tanta auctoritate gaudere dolebant, hunc Messiam agnoscere nolebant. Quorum saluti ut consuleret præcursor, jam morti proximus, duos ex illis ad Jesum misit, qui coram ex eo audientes, imo et factis perspicientes quis esset, eum tandem agnoscerent et ad eum reliquos discipulos adducerent. Consulto autem illos suo nomine Jesum interrogare jussit, quo nimirum liberius rogarent et facilius se instrui paterentur, quum non tam ipsi rogare et instrui viderentur, quam ipsorum magister. » Liagre.

Et respondens Jesus... « Christus ad illorum quæsitum non directe respondet, ne suum de seipso testimonium calumniæ pateat (Cf. Joann. VIII, 13) : sed illos vocat ad efficacius testimonium miraculorum, quorum alia ipsi propriis oculis viderant (Cf. Luc. VII, 21), alia, ante suum adventum aut alias edita, ex ore adstantium audierant. Porro, dum hæc commemorat, manifesto respicit ad notissima duo Isaiæ (XXXV, 5, 6 ; LXI, 1 coll. Luc. IV, 18) oracula, non obscure significans se eum exsistere de quo propheta talia prædixerat, Messiam nempe. Eâdem autem, quâ Joannes, industriâ usus, illos jubet hæc ad suum magistrum referre : *Euntes renuntiate Joanni... — Pauperes evangelizantur.* q. d. Lætus regni Dei sive salutis per Christum obtinendæ nuncius promulgatur pauperibus, hominibus scilicet humilis et abjectæ conditionis : quos magno numero coram Jesu stantes, hujusque doctrinæ cupidos Joannis legati cernebant. In quorum memoriam dum celebre Isaiæ vaticinium reducit, Jesus una consulto cavet ne maximâ illâ, quâ cingebatur, pauperum coronâ offendantur. » Liagre.

Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me « id est, qui nulla re offensus fuerit ex me, quò minùs mihi tanquam salutis authori credat et adhæreat. Nam uti nunc, ita et olim alios aliud in Christo offendit, nascendi ex muliere abjectio, crucis ignominia quasi stultitia, conversationis humilitas, doctrinæ severitas, etc. quâ de causâ Christus dicitur *Lapis offensionis,* et *Petra scandali,* I Pet. 2, v. 8, et *positus in ruinam multorum,* Luc. 2, sed non credentibus. Notat autem Hieron. tacite Christum notasse discipulos Joannis, tanquam scilicet qui essent scandalizati in ipso, quasi non eâ severitate viveret, quà Joannes, ut patuit etiam supra c. 9, v. 14. » Jans. Ipr.

Et cum discessissent... « Postquam Dominus per præcedentia satis egit pro curatione discipulorum Joannis, restabat ut et multitudinem curaret, quæ ex discipulorum interrogatione intelligere potuit, Joannem jam dubitare de Jesu, num esset Christus, cui prius tam eximia et multa perhibuerat testimonia, et ob id a Christo dictum jam fuisse contra Joannem : *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Itaque ne ex illa interrogatione Joannes jam putaretur dubitare de eo quod prius asseruerat, et illa Salvatoris sententia putaretur propter Joannem dicta, cum Joannis discipuli abiissent (nam illis præsentibus Joannem laudare non conveniebat, ne multitudo putaret assentatiunculis gratiam Joannis Christum colligere) cœpit Joannem multùm commendare, eximendo eam de Joanne suspicionem, quæ propter prædicta in auditorum mentem venire potuit. Et primùm quidem instabilitatis et levitatis suspicionem tollit, idque non ex sua statim sententia, sed ex ipsorum priùs auditorum opinione, ostendens, eos non verbis solùm, verum etiam factis stabilitatem Joannis attestatos fuisse. Dixit ergo : *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* ac si diceret : Cur omissis civitatibus atque domibus vestris ad desertum omnes

cucurristis? An ut videretis hominem similem calamo, qui omni vento circumfertur, et levitate mentis nunc hæc, nunc illa sentiret : Certe non potuissetis tanto studio in desertum impelli, tot tantarumque civitatum populi, nec ita facilè omnes ex universa Judæa effusi ad Joannem fuissetis, nisi magnum quemdam et mirabilem virum, et adamantinis lapidibus firmiorem Joannem putassetis... Deinde ne quis putare posset, Joannem sive ambitionis, sive cupiditatis, sive lasciviæ studio excidisse a sua stabilitate, et opinione quam de Christo priùs habuit, ostendit deinceps, ipsum ab his omnibus alienum fuisse, idque ex vestitu rigido quo amiciebatur, et deserto quod incolebat. Si enim ambitionis studiosus fuisset, aut terrenorum commodorum, nequaquam desertum inhabitasset, sed regum et principum potiùs aulas. Et quod lascivia ejus animum non emollierit et mobilem fecerit, declarat etiam desertum, declarat vestitus, declarat postremo et carcer, quamvis de eo Dominus tacuerit. Postquam autem Dominus efficacibus interrogationibus ostendit, quid Joannes non esset, nec obnoxium illum esse posse suspicioni, vel instabilitatis et levitatis, vel ambitionis et lasciviæ, ostendit deinceps quid sit, priùs quidem opinionem populi quam de Joanne habuit comprobans, cum dicit : *Etiam,* hoc est, utique, et certe dico vobis ; deinde et suam de Joanne sententiam pronunciat, cum dicit : *et plus quam prophetam.* Quod testimonio Scripturæ probat dicens : *Hic est enim de quo...* » Jans. Gand.

« *Propheta* fuit Joannes, quia vir sanctus immediate à Deo missus, pœnitentiam conversionemque ad Deum, populo Judaico prædicavit, et Messiam venturum prædixit, præsentemque divino spiritu cognovit nemine indicante... Porro ex hoc jam vaticinio (Malach. III, 1) ostensum vult Jesus, plus ipsum esse quam Prophetam : quia angelicam in terris vitam ducens, Christum, quem cæteri Prophetæ, è longinquo vaticinati fuerant ali-

quando venturum, mox esse venturum nuntiaverit ; immo et ubi jam venisset præsentem ostenderit, ac, coram facie illius positus, digito ipso monstraverit, suisque manibus baptizaverit, et regnum cælorum ac redemtionis tempus, quod cæteri eminùs et obscurè sub umbris præcinuerant, ipse propè jam appropinquasse palàm primus nunciaverit, ac viam Christo ad homines, hominibusque ad Christum et cælorum regnum, munire cœperit baptismi et pœnitentiæ denuntiatione, denique ab aliis ipse Prophetis, nominatim à Malachia, prædictus sit futurus hujusmodi. Ex quibus jam luce meridiana clarius efficere Jesus vult, longè à Joanne esse, ut in dubium jam revocaverit, quod aliàs fuerat ex officio sibi à Deo delegato disertè testatus, nempè Jesum esse Christum. » Luc. Brug.

Consideremus

1. Quanto zelo, quanta prudentia, quantaque constantia Joannes munere Præcursoris Christi defunctus sit. Ita et nos...

2. Quanta sapientia Jesus non tam verbis quam operibus manifestè divinis demonstraverit se talem esse qualis reapsè erat, nimirum Messiam promissum. Ita et nos operibus nostris ostendamus nos esse genuinos Christianos...

3. Quanta diligentia, quantaque nominatim fide ac pœnitentia, tempore Adventùs corda nostra præparare debeamus ad solemne Festum Nativitatis Domini...

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De Purgatorio.

I. Considera gravitatem pœnarum quas animæ in purgatorio detentæ patiuntur ; quæ sunt duplicis speciei : pœna damni ac pœna sensus.

Pœna *damni* seu amaritudo cordis quam persentiunt illæ animæ sanctæ ob dilatam visionem beatificam admodum gravis est, quod ex quadruplici consideratione luculenter apparet : etenim a) corpore solutæ, nunc clarius seu vividiori fide percipiunt quantum sit illud bonum quod jam possidere deberent et quo adhuc culpa sua privantur ; quam pulcher, quam amabilis sit Deus, earum finis ultimus ac æterna beatitudo : hæc autem clarior cognitio vehemens nimis in iis excitat desiderium fruendi visione beatifica ac proin auget dolorem qui ex ejus dilatione oritur : *Spes enim quæ differtur affligit animam.* — b) Charitas in illis animabus expedita est ab omni distractione et occupatione aliena : unde in Deum objectum amoris sui feruntur intensius ; ipsum continuo anhelant ac vehementi impetu in eum rapiuntur, et intimis sensibus ingemiscunt : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est ! Quando veniam et apparebo ante faciem Domini ?* — c) Anguntur ignoratione temporis ad quod ipsarum liberatio sit differenda : nam etsi divinæ sese committant voluntati, dura tamen est eis incerta exspectatio. Accedit quod pœnitudine torquentur dum considerant sese olim fuisse minus sollicitas de exercendis operibus satisfactoriis quibus tam facile tempus exilii ac separationis a dilecto suo

abbreviare potuissent. — Tandem d) inde etiam cruciantur quod simul a Christi humanitatis conspectu atque a benedictæ Matris Mariæ et Angelorum ac Sanctorum dulcissima societate arceri sese videant. — Itaque credibile est illum animi dolorem longe majorem esse, quam homines in hac vita ex quovis damno temporali concipere possint : quia bonum concupitum longe est excellentius, et apprehensio vividior, et desiderium ardentius...

Pœna *sensus* et ipsa gravissima. Includuntur animæ purgantes in carcere tenebricoso et quasi in profundo lacu et in camino ignis : qui ignis si non idem saltem similis est igni quo torquentur dæmones ac damnati, miris sane sed veris modis. Quantus inde cruciatus ! et eo quidem acerbior quo in purgatorio nulla sit causa quæ a sensu doloris animam avertat aut distrahat : dum in hac vita sive somno sive alia distractione sensus ille doloris sæpe intermittitur aut temperatur. Unde secundum quosdam SS. patres « ille ignis gravior est quam quiquid homo possit pati in hac vita ; — et nunquam in carne tanta inventa est pœna, quanta est in purgatorio, licet mirabilia passi sint martyres. » (Aug.) — Quis mortalium non moveretur corde ac totis visceribus horreret videndo hominem vivum igne comburi : et tamen quis serio recogitat ipsummet ultro et frequenter ejusdem imo et gravioris pœnæ reatum contrahere ?

II. Consideratis diris cruciatibus, quibus animæ justorum in purgatorio torquentur :

Apparet 1) quantus sit justitiæ divinæ rigor, cum ibidem sævit in Dei amicos, filios et regni ipsius hæredes, hos in loco teterrimo procul a suo conspectu ablegans et horrendo supplicio subjiciens ! et sane si rem altius perpendere volo, non me tantopere terrere debet quod Deus reproborum animas in inferno detrusas iræ suæ potestate corripiat et torqueat, siquidem

istæ ipsi sunt inimicæ et actu illum oderunt et detestantur ; sed quod animas purgatorii, quas uti amicas paterno amore prosequitur et a quibus vicissim tenere amatur, horribilibus pœnis sinat cruciari, hoc multo magis terrere me debet et salutarem timorem mihi ingerere. Hoc igitur timore quasi clypeo muniam me adversus tentationes, et rogabo Dominum cum Propheta : *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. — Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.*

Apparet 2) quantum malum sit peccatum veniale, siquidem Deus, *judex justus et æquissimus,* tanta pœna illud punit ! Et ego forsan hucusque illud parvifeci et quam facile admisi intra me dicens : « non est nisi veniale » ; et interim congessi ligna multa, fœna et stipulas quibus aletur ignis purgatorii mei ; ligna np. avaritiæ ; fœna sensualitatis ; stipulas vanitatis et superbiæ. Jam magis sapiam, et quantum per humanam fragilitatem licet, quæcumqne etiam venialia peccata vitabo.

Apparet 3) quam sollicitus esse debeam ut in hac vita debitis per peccata mea contractis satisfaciam. In hoc enim sæculo locus est misericordiæ, in futuro soli justitiæ. Nunc facile Deus nostris afflictionibus vel sponte susceptis vel patienter toleratus commovetur ad ignoscendum et millesima parte debiti soluta acquiescit, reliquam summam liberaliter expungens, tunc vero uti durus exactor novissimum extorquebit quadrantem ; et merito quidem : « nam qui oblatam misericordiam et facilem redimendæ pœnæ rationem hic neglexerunt, digni sunt ut sentiant rigorem justitiæ. Suæ fatuitati assignent quod in hanc calamitatem devenerunt. » (Lessius) — Ego vero libenter nunc amplectar pœnitentias et corporis afflictiones : quidquid enim in hac vita patimur et modicum est et breve, multumque ad progressum in virtute, et ad gratiæ gloriæque augmentum promerendum confert ; cum in purgatorio multo graviora et diuturniora toleranda sint quin ullo modo ad prædictos fines juvare valeant.

— Diligenter quoque studebo mihi applicare merita Christi et Sanctorum lucrando indulgentias, ut etiam hoc modo, ante exitum meum, debita mea justitiæ divinæ persolvam. — Tandem per opera misericordiæ, sive corporalia sive spiritualia, signanter juvando miseras animas in purgatorio detentas, *faciam mihi amicos, qui, cum amotus fuero* (ab hac vita), *recipiant me in æterna tabernacula.*

—

Examen circa officia sacerdotis erga Sanctissimum Sacramentum.

—

Quadruplex præsertim officium præstare debet sacerdos erga Eucharistiæ sacramentum ; est nimirum ipsius consecrator, custos, administrator et prædicator :

I Consecrator. — An æstimo Missam uti opus omnium divinissimum, et quasi centrum vitæ meæ sacerdotalis ? Nonne verò illam videor habere tanquam actionem communem de qua non magis quam de cæteris curare debeam : nonne et hæc sacratissima functio præ *consuetudine* apud me viluit ?...

Quomodo me ad Missam celebrandam dispono : an *remote,* conando indies sanctius vivere quatenus minus indignus fiam tanto ministerio ? An studeo purificare cor meum non tantum a peccato mortali, sed imo ab omni nævo delicti etiam levis et maxime ab omni *affectu* ad quodvis veniale peccatum, recordatus quod ministerium angelicum decet angelicum ministrum ? — An me præparo *proxime,* Missæ præmittendo piam meditationem, majorem saltem animi recollectionem et devotam quamdam precationem ? Nonne quandoque vident me quasi rectà a lecto procedere ad altare ? An, dum paramenta sacra induo pie et attente recito oratiunculas ab Ecclesia propositas ? Nonne interdum

vident me illo momento vere solemni vacare confabulationibus cum aliis sacerdotibus, cum acolythis aut aliis sacristiæ officialibus ?

Quomodo me gero ad altare dum sacrum perficio ? An numquam indulgeo distractionibus mentis? An soleo unire intentiones meas intentionibus Christi, principalis offerentis? An attendo ad sensum precum et formularum quas ore recito : annon illas pronuntio præcipitanter, eas truncando, mutilando, præsertim preces *canonis*, quas utpote quotidie recurrentes forte minus attente recito, etsi omnium sint dignissimæ. — Nonne est quædam levitas aut quid indecorum in gestibus ? An integræ ac vere reverentes sunt meæ genuflexiones ; annon incomposite ac præcipitanter efformo signa crucis ; an manus teneo elevatas, apertas, clausas, quando et sicuti Rubricæ præscribunt ? — Nonne, dum verto me ad populum, libere ac curiose aspicio adstantes in ecclesia ? — An Rubricas omnes religiose observare studeo, memor eas esse de se obligatorias, ac proinde earum violationes voluntarias importare peccatum, quod sane aliquid indignissimum præ se fert, inspecto momento quo committitur ? (Cfr. *Collat.* suprà p. 230 sqq.)

An Missæ celebrationi impendo tempus congruum, ita ut Missa lecta nec multo infra semihoram absolvatus, nec ultra semihoram protrahatur ?

An pie ac ferventer instituo gratiarum actionem post Sacrum ? Nonne quandoque illam omitto aut multum decurto sine ratione gravi ? An nunquam vident me, post regressum ab altari, omnino distractum, colloquiis aut etiam risibus deditum ?

II Custos ac curator. — Sacerdoti veluti alteri Joseph committitur custodia Domini sui, Jesu eucharistici : an præclarum illud officium sedula diligentia impleo ? — An cura mihi est ut omnia in ecclesia ac præsertim ad altare sint decentia, munda, imo, quan-

tum licet, splendida : putà tabernaculum, vasa sacra, corporalia, mappæ altaris, indumenta sacra etc. ? Nonne videor majorem curam habere de domo ac mensa meis quam de domo Dei, de altari ac tabernaculo Christi ? — An invigilo ut semper lampas nitida accensa pendeat *coram* tabernaculo (stat. diœc.) (potius quam in angulo chori sit posita), ita ut quivis ecclesiam ingrediens statim videat quo loco SS^{m} sit reconditum ? — An curo ut hostiæ consecratæ tempore debito renoventur ? — Numquid satago impedire ne ulla irreverentia committatur in ecclesia, et an exigo speciatim ut cuncti ecclesiæ aut altari inservientes in exercendis suis officiis omnem servent dignitatem et decentiam ?

III Administrator. — An semper præsto sum, præsertim mane, ad ministrandam S. communionem fidelibus ? — An ministerium illud semper exerceo cum magna reverentia ac dignitate? Nonne videor quandoque sacram hostiam tractare uti rem communem ? — An exacte servo ritum præscriptum : an pro singula persona communicanda pronuntio formulam integram : *Corpus D^{ni}* etc., et signum crucis cum hostia super pixide distincte efformo ? — An maxime sollicitus sum ut nullus infirmus, mea culpa, moriatur quin sacro viatico sit munitus ? An servo fideliter statuta circa communionem infirmis deferendam ? An, dum publice gesto SS^{m} Sacramentum, sedulo vito omnem immodestiam, et studeo mea reverentia ac pietate externa populum ædificare et ad devotionem provocare ?

IV Prædicator. — An sæpe et instanter fidelibus commendo pietatem erga S. Eucharistiam, assistentiam Missæ sacrificio et laudibus ac processionibus SS^{mi}, frequentem accessum ad divinam mensam, visitationes ad Jesum in tabernaculo nobiscum commorantem ? — An curo ut solemnitas adorationis perpetuæ splendide celebretur ac multum frequentetur ? — An meis adhortationibus ac prædicationibus conor obtinere ut

fideles, inter omnes devotiones, illam SS^{mi} Sacramenti habeant uti primam ac præstantissimam ; et an hæc præcellentia vel externe apparet in ecclesia mea ? Nonne contrà altare SS^{mi} est minus splendide ornatum quam illud B. M. Virgini aut alii Sancto dicatum ? Annon quandoque juxta SS^{mum} publice expositum minori numero ardent candelæ quam circa statuam quandam aut reliquiam venerationi fidelium exhibitam ?

Numquid etiam exemplo meo profiteor eximiam devotionem erga divinum Sacramentum ? An v. g. mane ingrediendo ecclesiam soleo primum salutare et adorare divinum hospitem tabernaculi, priusquam ad sacristiam tendam ; — an semper decenter genuflecto transeundo coram tabernaculo ; — an quandoque per diem vident me coram SS^{mo} orantem ? — An, quoties ad alienam parochiam die adorationis perpetuæ accedo, nunquam omitto visitationem aliquatenus protactam ad ecclesiam expositionis ?

* * *

Sumne ad mortem paratus ? — Quodsi nunc mihi esset moriendum, nonne timere deberem saltem purgatorium diuturnum, propter affectum ad aliquod peccatum veniale quod sæpe committo, vel propter neglectum pœnitentiæ ac satisfactionis pro reatu pœnæ temporalis peccatis præteritis contracto ? — Quid igitur faciendum ut purgatorium evadam aut saltem multum abbreviem ?

De Catechizandis pueris

(Sequitur. — Cf. p. 313 sqq.) (1)

B. De modo memoriter addiscendi textum catechismi.

Quatuor sunt notanda circa modum textum catechismi memoriter addiscendi ; sed quum hic etiam dicamus de modo quo pueri lectionem catechismi recitare debeant quinque habemus numeros.

1° *Necessarium est ut catechismi textum* MEMORITER *addiscant pueri.*

Ratio est quia secus nullum stabilem aut permanentem fructum produceret instructio doctrinæ christianæ. Quod enim a pueris memoriter non addiscitur fere tam cito oblivioni traditur quam fuit ab ipsis auditum. Proindeque pueri, si textum catechismi memoriter non addiscunt, scholam relinquent absque ulla solida, præsertimque absque ulla stabili doctrinæ christianæ notione.

2° *Oportet ut hunc textum* VERBOTENUS *addiscant memoriter.*

Dogmata enim christiana persæpe formulis omnino determinatis et ab Ecclesia sancitis exprimuntur. Deinde omnes methodologiæ scriptores et puerorum

(1) Post jam conscriptos, typisque mandatos, præcedentes articulos, recepimus libellum cui titulus : *Onderrichtingen wegens godsdienst en zedenleer door de diocesane opzieners van West-Vlaanderen.* Quem libellum omnibus commendamus. In illo plurima invenient catechistæ tum quoad methodum catechismum docendi, tum quoad officia R. D. Pastoris et institutoris in re doctrinam christianam spectante, tum quoad indicem rerum in lectionibus catechismi per annum docendarum. Quæ vel omnia non tantum in se optima sunt ; sed hoc bonum præ se ferunt quod fuerint edita ab illis ipsis, qui, auctoritate Episcopi nostri, totam rationem doctrinam christianam tradendi in diœcesi nostra moderantur.

institutores attestantur pueros nihil addiscere memoriter valere nisi id *verbotenus* addiscant. Tandem incapaces sunt pueri ut aptis expressionibus ac formulis ideas suas exprimant. Quod noverunt pueri, verbis exprimere fere nullatenus valent, et eo ipso facillime oblivioni tradunt. Omnino ergo oportet ipsam formulam et expressionem, ipsa verba rem exprimentia, addiscant, ut ipsis possibile sit tum cognitiones suas exprimere, tum, in memoriam servando expressionem, memoriter tenere ipsam realem doctrinam.

3° *Oportet ut non modo pure* MECHANICO *addiscant textum.*

a) *Ratio* est textum catechismi non addisci nisi ut addiscatur et cognoscatur ipsa doctrina religionis christianæ. Mechanicè autem addiscere textum non producit nisi cognitionem verborum et vocum quæ nullam notionem rerum in mente gignunt.

b) *Modus* hoc obtinendi est ut catechista sensum verborum et expressionum in textu adhibitorum rite et apte explicet, atque phraseos constructiones et forsan inversiones a pueris intelligere faciat ; aliis verbis ut litteralem saltem explicationem de qua supra in secundo prærequisito diximus (p. 315), et de qua infra loquemur, apte tradat.

c) *Tempus* tandem quo hæc explicatio dari debet differt pro puerorum diversa jam institutione.

Pro pueris junioribus, quum adhuc generatim incapaces sint ut per semetipsos textum catechismi intelligant hæc explicatio tradi debet antequam pueri memoriter addiscant textum catechismi. Hoc autem necessarium est quia, uti optime notat Sieuw in introductione sui opusculi, si pueri, ante explicationem, textum quemdam memoriter addiscant, frequenter eveniet ut vel nullum vel perversum sensum intellectu percipiant, quæ perversa intellectio aut conceptio frequenter difficillime expellitur. Adde pueros facilius

memoriter addiscere, et in memoria sua servare ea quæ melius intellexerunt.

Pro pueris vero provectioribus, si jam capaces sint textum per semetepsos intelligendi, melius erit tradere explicationem postquam memoriter didicerunt lectionem.

4° *Catechista dirigere debet exercitium addiscendi memoriter.*

Pueri enim, quamvis jam possint legere, nondum valent per semetipsos memoriter aliquid addiscere. Instituor ipsis auxilio esse debet. Ad hoc ipsemet pronuntiabit responsionem quamdam catechismi, quæ si longior sit ab ipso in plures partes breviores dividetur. Post hoc, hanc responsionem repetere faciet a pueris intelligentioribus, et deinde ab omnibus simul, postea rursus ab aliquibus singillatim, et denuo ab omnibus simul usquedum omnes perfecte responsionem memoriter teneant. Hic notare debet magister quæstionem catechismi esse jungendam et addiscendam cum responsione sua; deinde per totam hebdomadam repetendas esse quæstiones cum responsionibus quas diebus præcedentibus didicerunt pueri; et tandem repetitionem generalem faciendam esse pridie illius diei quo a Rev. Domino Parocho tradenda erit explicatio catechismi.

5° *Lectio, quam memoriter didicerunt, bene debet recitari.*

Recitari debet lectio scilicet nec nimis lente nec nimis præcipitanter sed ita ut omnia verba optime possint pronuntiari et audiri. Recitatio fieri debet alta et intelligibili voce, et modo distinctissimo ita ut textus exacte pronuntietur absque eo quod aliquid addatur aut dematur, absque eo quod ulla vox male pronuntietur, et ut observentur omnia signa punctuationis. Verba tandem tono debito efferri debent, accentum tum singularum vocum tum præsertim phraseos ejusque partium, rite observando. Hæc omnino necessaria sunt ut pueri

recitantes attendant ad sensum verborum quæ pronuntiant, sicque phrasim intelligant. Vitari ergo debet species illa cantus quam pro recitatione plures usurpant. Hic modus recitandi efficit quidem ut citius memoriæ mandetur id quod recitatur sed hoc fit absque ulla utilitate siquidem nullatenus intelligitur quod recitatur.

—

C. De forma adhibenda in docendo catechismum.

Formas plures noverunt methodologiæ scriptores. Omnes autem formæ in duplici differentia sunt : simplices et compositæ seu mixtæ.

Simplices rursum duæ habentur : *communicativa* et *provocativa*

Compositæ autem tot numerantur quot modi inveniri possunt duas simplices simul componendi aut miscendi.

Forma *communicativa* est illa qua utitur docens, quando oratione continua ipsemet exponit rem docendam, ita ut discipulus audire et attendere tantummodò debeat.

Vocatur *communicativa* quia magister directe notitiam communicat discipulo ; *acroamatica* (ἀκροάομαι = audio, ausculto) quia discipulus tantummodo auscultat; *expositiva* quia magister rem exponit ; *dogmatica* quia hæc forma usurpari debet ad docendas scientias quæ dogmatibus positivis constant, saltem relatè ad hæc dogmata. Flandricè tandem audit : *Voordragende leerwijze.*

Hac forma utuntur verbi divini prædicatores, oratores, professores scholæ superioris.

Habet autem quasdam difficultates :

Ut enim usurpari possit requiritur ut discipuli vel auditores jam quadam intellectûs culturà gaudeant, quibusdamque notitiis instructi sint. Necessarium enim

est ut jam noverint omnes terminos, omnesque expressiones quibus in expositione continua utitur docens. Vitare ergo debet magister omnes terminos, v. gr. abstractos aut minus frequenter usitatos, quos auditores non apprime noverunt. Necessaria est etiam quædam cultura, ac quædam vis intellectus ut possint non modo intelligere et capere tum in suo toto tum in singulis suis partibus orationem continuam aliquatenus longiorem sed etiam ut vel per aliquod tempus attendere valeant. Nemo autem est qui ignoret quantæ difficultatis sit vel simplex quadamtenus diuturnior attentio, quæ difficultas, pro mobilitate naturali eorum ingenii, in pueris maxima est et fere nunquam superatur.

His non obstantibus bona tamen hæc forma est utpote quæ præclarissima commoda offert.

Non enim tantummodo minus requirit temporis ad rem aliquam docendam ; non tantum sola est quæ dogmata positiva docere valeat ; non tantum optima erit exercitatio intellectus puerorum ut ita acquirant facultatem audiendi et intelligendi orationes continuas, quæ ipsis in futoro sive a verbi divini prædicatoribus, sive ab aliis oratoribus identidem fient : sed etiam hac forma res docenda melius accuratius et vividius exponitur. Termini enim quibus res exprimitur selectiores et accuratiores sunt ut objectum scientiæ clarius atque accuratius intelligatur. In ipso etiam modo exponendi sensa sua intima cordis tum toni tum vocis variis inflexibus pandit magister docens, suæ orationi animam vitamque confert, sensus imos auditorum inflectit, atque non modo in intellectu notitiam sed in corde amorem atque admirationem doctrinæ suæ producit.

Quibus difficultatibus ac commodis inspectis jam sat clare sequitur in scholis inferioribus hac forma non utendum esse nisi quando vere necessarium est, uti erit ad docendas primas notiones alicujus scientiæ, ad docendas scientias quæ dogmatibus vel factis positivis

constant, ut v. gr. doctrinam religionis christianæ, historiam, geographiam, sed unice ad docendum id quod revera in his positivum est.

Sequitur etiam oportere, ut in usu hujus formæ, quantum fieri potest, difficultates ejus vitentur, et ut proinde oratio continua non diuturnior sed valde brevis sit, ut modo vivido et attentionem allicienti expositio fiat, ne attentio puerorum amittatur; et præsertim ut modo claro, id est intellectui parvulorum accomodata, semper fiat locutio magistri.

Forma e contra *provocativa* est illa qua utitur magister, quando non directe communicat discipulo rem docendam, sed quando dirigendo et adjuvando efficit ut ipse discipulus rem noscendam inveniat.

Quum hæc directio atque illud adjutorium magistri possit fieri duplici modo, scilicet sive dando discipulo opus quoddam faciendum et indicando quonam modo procedere debeat ut hoc opere faciendo ad alicujus veritatis notitiam perveniat, sive proponendo discipulo seriem quamdam ordinatam quæstionum, quæ excitent attentionem et reflexionem alumni, et quæ ipsum hoc labore proprio attentionis et reflexionis ad novæ cujusdam veritatis notitiam perducant, sequitur duplicem esse formam provocativam; provocativa scil. simplex et provocativa interrogatoria. De hac posteriori tantum nobis est dicendum.

Vocatur *provocativa* quia discipulum provocat ad quærendam veritatem; *hauritiva* quia notitia veritatis hauritur ex ipso intellectu discipuli; *euristica* quia discipulo non datur doctrina, sed quia ipsemet invenit rem docemdam; *interrogativa* et *erotematica* quia procedit per interrogationes ordinatas; *socratica* quia Socrates frequentissime hac forma utebatur; flandricè verò audit *opwekkende, uitlokkende; ondervragende leerwijze.*

Incommoda quædam hæc forma præ se fert. Modus ille docendi longum requirit tempus. Multæ enim

proponendæ sunt quæstiones antequam alumnus per semetipsum ad ipsius veritatis notitiam perveniat. Forma illa tædium quoddam parit si nimium illà utatur magister. Impossibilis est pro omnibus illis veritatibus quæ in aliis veritatibus jam notis non continentur, et quæ proinde ex nulla alia præcognita hauriri possunt. Adde multas requirere qualitates bonam interrogationem. Clara enim sit oportet, brevis et concinna, simplex, cum ipsi materiæ docendæ tum auditoris intellectui adaptata, accurata, ordinata, multisque modis varia et repetita :

Quæ tamen omnes difficultates si eas superare, et incommoda si ea vitare quoad posse conatur magister, non talia sunt quæ commoda hujus formæ vincant. Optima enim hæc forma est tum pro intellectus cultura, tum pro scientiæ acquisitione.

Discipulus, hac forma doctus, necessariò multum operatur. Attendere debet ut respondere possit ; reflectere debet tum in objecta quæ jam novit, tum in objecta de quibus interrogatio procedit. Ipsi enim videndum est quidnam præcise sit illud objectum cujus jam scientiam habet, quodnam sit illud de quo interrogatur ut intelligere possit utrum necne hoc in illo contineatur, aut ex illo cognosci possit. Multus labor erit in facultate intelligendi, quumque omnis facultas vitalis exercitatione et labore sese perficiat, magnam acquiret intellectus alumni culturam atque perfectionem.

Ipsa etiam rerum notitia profundius et intimius in mente alumni imprimitur. Acquisita est enim non per simplicem et meram quasi passivam receptionem, magistro loquente et docente ; sed ab ipso alumno, labore suo proprio, in semetipso, fuit inventa, et inde quasi proprietas facta est ipsius intellectus discipuli in quo tam intime imprimitur ut pars quasi ipsius efficiatur.

Notetur deinde magistrum continuo animadvertere utrum et quomodo alumni intellexerint explicationes.

Adde alumnum, quum ad notitiam veritatis cujusdam post talem laborem pervenerit, vividius et intimius in corde sentire intellectus gaudia atque voluptates, indeque studii cupiditatem ac desiderium in ipso nasci et crescere, animumque ad suis viribus propriis laborandum atque ad per semetipsum veritatem investigandam pronum acquirere.

Hac forma ergo quam frequentissime utendum est, id est, quotiescumque revera possibilis est ; sed in ea usurpanda conditiones bonæ interrogationis servandæ sunt.

Ex quibus omnibus sequitur evidenter formas tum communicativam, tum provocativam sua habere commoda et incommoda, indeque quæritur utrum inveniri non possit forma quædam quæ commoda utriusque formæ complectatur, uniuscujusque autem incommoda vitet.

Quem ad scopum attingendum experimenta instituere methodologi et variis modis composuere et miscuere duas formas simplices, ex quo ortæ sunt formæ compositæ seu mixtæ.

De quibus in sequenti articulo dicemus simulque modum indicabimus quo formis illis uti bonum esse videtur.

V. J. C.

(Sequetur.)

Ex Secretaria Brevium.

Breve quo universis Franciscalibus Tertiariis participatio indulgentiarum cum primo et secundo ordine S. Francisci ad quinquennium conceditur.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Cum dilectus filius Bartholomæus a S. Donato, Commissarius Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, in Cœnobio de Aracœli almæ hujus urbis Nostræ degens, suo et universorum dicti Tertii Ordinis confratrum ac consororum nomine, enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut Tertiariis utriusque sexus, ubique terrarum existentibus, omnes et singulas indulgentias ac spirituales gratias communicare velimus, quibus Ordinis Franciscalis fratres monialesque gaudent, Nos quibus nihil antiquius, quam ut tam frugifera societas, conspicuis in rem catholicam meritis præclara, uberiores capiat in Domino fructus, simul animo intendentes in spirituale emolumentum dictorum sodalium, votis hujusmodi annuendum existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnes et singulos nunc et pro tempore, utriusque sexus fideles, ubique terrarum in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis legitime adlectos, tum quoad vitam vixerint, tum post obitum, servatis quæ serventur opus est, ac dummodo respective quæ pro iis lucrifaciendis pietatis opera injuncta sunt rite præstiterint, Apostolica Nostra auctoritate vi præsentium, indulgentiarum ac piorum operum quibus Primus et Secundus Ordo Franciscalis pollet, participes esse volumus, edicimus, ac mandamus. Non obstantibus Nostra et Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibus-

cumque. Præsentibus ad *Quinquennium* valituris. Volumus autem ut præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII Julii MDCCCXCVI.

Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

Pro D^no^ Card. DE RUGGIERO.
Nicolaus Marini, Substit.

Adnotationes. Hoc brevi *Cum dilectus* restituitur, cum restrictione tamen quoad tempus et extensionem, privilegium communicationis quo gaudebant Tertiarii Franciscales ante constitutionem Leonis XIII *Misericors Dei Filius* diei 30 Maii 1883. Vi hodiernæ concessionis participes redduntur non quidem *privilegiorum* sed « *indulgentiarum ac piorum operum quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet.* »

Inter insigniores indulgentias quæ hoc privilegio communicantur notari merentur :

1° *Indulgentiæ stationis SS^i^ Sacramenti.*

Juxta Summarium indulgentiarum Ordinis Seraphici a S. C. Indulg. 20 Julii 1841 approbatum, n. 6. (*Rescripta Auth.* p. 386) : « Qui recitabit *ante altare sanctissimi sacramenti* sex *Pater noster,* sex *Ave Maria* et sex *Gloria Patri* lucratur indulgentias stationum Romæ, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiæ et Portiunculæ ». « Hæc statio... acquiri potest sæpius in die. ». (Ibid. n. 8) Notetur eam stationem fieri posse ante altare SS^i^ Sacramenti *cujuscumque ecclesiæ* et ad lucrandas indulgentias nec confessionem nec S. Communionem requiri. (*Decr. Auth.* n. 374.)

2° *Indulgentia recitationi corona Seraphicæ adnexa.* Corona Seraphica seu septem gaudiorum B. M. V. « constat 70 *Ave Maria* et septem *Pater Noster* et insu-

per uno *Pater Noster* et uno *Ave Maria* pro summo Pontifice ». Tertiarii eam recitando « lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Leone X et Paulo V » (Ibid n. 34, coll. decr. S. C. Indulg. 29 Aug. 1864 ap. *Decr. Auth.* n. 412).

S. C. Indulg. insuper eodem decreto 29 Aug. 1864 declaravit ad effectum lucrandi dictam indulgentiam necesse non esse ut præfatæ coronæ benedicantur, adeo ut Tertiarii uti possint ex. g. corona SS. Rosarii.

3° *Indulgentiæ adnexæ recitationi psalmi XIX Exaudiat.* Tertiarii qui confessi et S. Communione refecti recitabunt pro Romano Pontifice et S. Ecclesia psalmum XIX qui incipit *Exaudiat te Dominus,* cum versiculis et orationibus statutis, lucrantur omnes indulgentias quæ acquiri possunt hac die in omnibus ecclesiis Urbis et Orbis, quæque enumerantur in optimo opusculo R. P. Liberti a Mechlinia. *Manuel complet du Tiers-Ordre,* (2e part. ch. III) et inter quas invenitur indulgentia plenaria quam *singulo die* lucrari possunt qui visitant basilicam Portiunculæ, juxta constitutionem *Redemptoris* ab Innocentio XII datam die 18 Augusti 1695.

Hanc indulgentiam psalmi *Exaudiat* primitus ab Urbano VIII, 23 Dec. 1623 et a Clemente IX, 15 Oct. 1669 Camaldulensibus concessam et a Gregorio XVI 20 Junii 1837 Capucinis duarum provinciarum datam Pius IX per breve diei 7 Aug. 1868 extendit ad totum ordinem Capucinorum (Bullar. Cap. t. X, 552), eamque nunc Leo XIII vi communicationis concedit Tertiariis Franciscalibus cujusque obedientiæ.

4° *Benedictiones cum indulgentia plenaria.*

In constitutione *Misericors Dei Filius* enumeravit Leo XIII novem dies in quibus possunt Tertiarii Franciscales recipere *absolutionem,* hoc est *benedictionem cum indulgentia plenaria.* Sunt nempe festa Nativitatis Paschatis, Pentecostis, SS. Cordis Jesu, Immaculatæ

Conceptionis, S. Josephi, impressionis SS. stigmatum S. Francisci (17 Sept.), S. Ludovici (25 Aug.) et S. Elisabeth Hungaricæ (19 Nov).

Sed præter hos dies possunt regulares ordinis Franciscalis recipere *absolutionem generalem* in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, SS. Trinitatis, SS. Sacramenti ; Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Præsentationis B. Mariæ Virginis ; Omnium Sanctorum, SS. Petri et Pauli, S. Francisci Assisiensis, S. Claræ et S. Catharinæ Virg. et Mart. ; per totam majorem hebdomadam ac præterea quatuor in anno diebus quibus maluerint. (Decr. Auth. p. 430).

Quæritur nunc utrum vi communicationis *indulgentiarum* Tertiarii possint recipere benedictionem cum indulgentia plenaria etiam diebus ultimo enumeratis. Negat *Nouv. Revue Théol. Française,* I, 456, quia « absolutionis generales primo et secundo ordini concessæ juxta decretum 18 Martii 1819 pro objecto non habent concessionem indulgentiæ plenariæ. »

Huic decreto, cujus textum, deficiente quacumque fontis indicatione, nec inter *Decreta* aut *Rescripta authentica* (Schneider), nec apud Prinzivalli aut Falise invenimus, rationes graves opponi posse videntur. Quum enim disputaretur utrum Paulus V omnes revocasset indulgentias absolutioni generali adnexas, etiam indulgentias pro defunctis, propositum fuit dubium sequens: « 1° Utrum gratiæ prædictæ sint adhuc adnexæ his formulis (absolutionis generalis) non obstante Bulla Pauli V de indulgentiis Regularium ? » S. C. Indulg. 12 Martii 1855 respondit : « ad primum affirmative, excepta indulgentia plenaria pro vivis » (Decr. Auth. p. 431).

Die 18 Sept. 1878, Assessor S. C. Indulg. nomine ipsius Congregationis scripsit ad Ill. de Segur epistolam in qua ita exponit et restringit virtutem absolutionis

generalis ut inde, legitime ut videtur, concludat *Nouv. Rev. Théol.*, XII, p. 199 absolutioni generali præcise eamdem efficaciam inesse ac indulgentiæ plenariæ.

Tandem proposito dubio: « 10. an absolutioni generali adnexa sit indulgentia pro defunctis? » respondit S. C. Ind. 22 Mart. 1879: « 10. consulendum Sanctisimo ut concedat ad cautelam indulgentiam pro defunctis... Sanctitas sua præfatas resolutiones benigne approbavit et confirmavit. » (*Decret. Auth.*, n. 444).

Unde salvo meliori, non apparet nobis ratio sufficiens ut illas indulgentias excludamus ex beneficio communicationis (Cf. R. P. LIBERTUS: *Manuel du Tiers-Ordre*, 2e part., ch. VI, p. 138^ 2e édit.)

C. C.

Ex sacra Congregatione Rituum

DECRETUM.

Instantibus nonnullis Rmis Episcopis pro resolutione authentica aliquoram dubiorum consecrationem Ecclesiæ respicientium, Sacra Rituum Congregatio, suffragia unius et alterius tum ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, tum ex Sacræ ipsius Congregationis Consultoribus, necnon cl. cujusdam professoris in Jure Canonico, exquisivit et typis edenda curavit. Hinc Emus et Rmus Dnus Cardinalis Franciscus Segna in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, eadem dubia discutienda ita proposuit, nimirum:

I. An Ecclesia, in cujus consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit valide consecrata?

II. Utrum Ecclesia, e cujus parietibus vel partim, vel integre disjicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco*, ut renovetur, consecrata maneat, vel execrata?

III. An Altare, sive fixum sive portatile, enormiter fractum, sed firmiter cœmentatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit ?

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, propositis dubiis, respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, nempe valide ; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia Altaria jam consecrata reperiantur ; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur.

Ad II. Ecclesia consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum.

Ad III. Negative ; scilicet non potest Altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per infrascriptum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacræ ejusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 8 Junii, eodem anno.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C., Præf.
A. Tripepi, Secretarius.

L. † S.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — Legs pour l'entretien d'un caveau ou monument funéraire

Un arrêté royal du 13 Août 1896 (*Monit.*, p. 3418), autorise la fabrique d'église de Notre-Dame de Laeken, à accepter le legs ci-dessous :

« ... Je donne et lègue à la fabrique chargée de l'entretien du cimetière de Laeken, à Bruxelles, la somme de dix mille francs, pour l'entretien de la tombe de mes parents. »

Observations. Cet arrêté résoud pratiquement deux questions de droit, très difficiles et fort controversées. Notre intention n'est pas de discuter ici ces questions ; nous nous contenterons de les indiquer, et d'exposer brièvement les solutions diverses et même contradictoires que la jurisprudence leur a données.

I. On soulève tout d'abord la question préalable, et on se demande si l'entretien des tombeaux et monuments funéraires peut constituer l'objet d'une fondation faite à un établissement public. Lentz, dans son ouvrage : *Des dons et legs en faveur des établissements publics,* I, nº 286, défend la négative, parce que, dit-il, cet entretien est une affaire d'intérêt strictement privé, qui est à la charge exclusive des concessionnaires de sépultures, et qui ne rentre dans les attributions d'aucun établissement public existant (1). Cependant, on est assez généralement d'avis « qu'il est loisible à ceux qui ont obtenu la concession d'une sépulture, de faire des fondations pour assurer l'entretien et la conservation des caveaux, monuments ou chapelles qu'ils y érigent ». Giron, *Dictionnaire de droit administratif,* Vº INHUMATION, nº 23. C'est d'ailleurs l'opinion qui a prévalu en pratique.

II. Une autre question, plus compliquée, est celle-ci: quels sont les établissements publics qui ont qualité pour accepter les fondations de ce genre ? Et notamment, les fabriques d'église sont-elles aptes à recevoir les libéralités qui leur sont faites pour ce but ?

Les auteurs sont loin d'être d'accord sur la solution à donner à cette importante question ; et la jurispru-

(1) L'excellente revue *Het Vlaamsch Bestuur*, III, 5, partage absolument cette manière de voir ; mais elle ne paraît pas avoir été absolument convaincue, puisque, à la page 301 du même volume, elle admet la compétence des communes ! Voy. aussi la 7me année, p. 276, de la même revue.

dence administrative belge (1) a successivement adopté trois systèmes différents.

1° Nous trouvons dans le *Moniteur* une série d'arrêtés royaux autorisant, absolument et sans restriction, les fabriques d'église à accepter des libéralités faites en vue de l'entretien de monuments de sépulture. Un arrêté, en date du 18 Juin 1871 (*Moniteur belge*, p. 1653), qui porte cette autorisation, la justifie ainsi : « En ce qui concerne la compétence de la fabrique pour l'entretien d'un caveau de sépulture ; considérant que le décret du 30 Décembre 1809, article 37, n° 4, range, parmi les charges obligatoires des fabriques, celle de veiller à l'entretien des cimetières ; considérant que rien ne s'oppose à ce que la fabrique se charge de l'entretien d'une sépulture concédée, lorsqu'il y est pourvu par une dotation spéciale » ;... Voir encore les arrêtés royaux du 4 Octobre 1864 (*Monit.*, p. 4904) ; du 28 Mars 1870 (*Monit.*, 1245) ; des 24 Mai, 12 et 27 Juin 1871 (*Monit.*, pp. 1477, 1590 et 1739) ; du 7 Avril 1872 (*Monit.*, p. 1050); du 26 Octobre 1873, etc. (2)

2° Toutefois, cette jurisprudence ne s'est pas maintenue. Un arrêté royal, en date du 13 Juillet 1879 (*Monit.*, p. 2454), a décidé que « l'administration publique, qui a qualité pour accepter une disposition de cette nature, ne saurait être la fabrique d'église, attendu que la charge imposée à celle-ci par l'article 37, n° 4, du décret du 30 Décembre 1809, laquelle est corrélative au droit de jouir du produit spontané des

(1) En France, le Ministre des cultes, dans une lettre du 6 Avril 1868, admet que les dispositions qui ont pour objet l'entretien d'une tombe ne constituent pas une clause qui rentre nécessairement dans les attributions d'un établissement déterminé ; et il en conclut que la charge peut être imposée indifféremment à n'importe quel établissement public.

(2) La compétence reconnue aux fabriques d'église n'était pas exclusive de celle des communes. Voy. p. ex., l'arr. roy. du 26 Septembre 1870 (*Monit.*, p. 3898).

lieux de sépulture (article 36, n° 4, du même décret), ne comprend ni les caveaux, ni les monuments funéraires ; d'autre part, que l'article 10 (1) du décret du 23 Prairial an XII, dispose que les lieux de sépulture, soit qu'ils appartiennent aux communes, soit qu'ils appartiennent à des particuliers, sont soumis à l'autorité, police et surveillance des administrations municipales ; que, dès lors, il est rationnel d'admettre que c'est l'autorité communale *seule* qui a qualité pour recevoir les libéralités faites en vue de l'entretien d'un caveau ou monument de sépulture ». Voir dans le même sens les arr. roy. du 16 Août 1881 (*Monit.*, du 12 Août 1881) ; des 10 et 13 Février 1883 (*Monit.* pp. 528 et 641). (2)

3° Enfin, dans l'état actuel de la législation, la question est résolue par une distinction, qui, en théorie du moins, reconnaît le principe libéral de la compétence exclusive des communes pour toutes les dispositions

(1) Ainsi porte le texte de l'arrêté royal du 13 Juillet 1879. C'est une erreur : la police des cimetières est confiée aux adminisirations municipales, non par l'article 10, mais par l'article 16 du décret de Prairial. La même erreur se retrouve dans les trois autres arrêtés consacrant la même jurisprudence ; ce qui prouve qu'il n'y a pas lieu de l'attribuer à la négligence des typographes ! — Du reste l'article 10, qui est relatif aux concessions de terrain, fournit lui-même un argument en faveur de la compétence des communes. Voir plus loin.

(2) Le raisonnement sur lequel s'appuie cette jurisprudence manque de solidité. D'une part, si l'on adopte la thèse, invoquée contre les fabriques, que la capacité de recevoir, reconnue aux établissements publics, doit être limitée aux seuls services constituant des dépenses obligatoires ; s'il est vrai que les particuliers ne peuvent étendre à volonté la sphère de cette compétence, et que les établissements ne peuvent être chargés, même sans qu'il leur en coûte, d'un service que la loi ne fait pas entrer dans leur attributions, ne faut-il pas reconnaître que la commune est incapable, comme la fabrique, de recevoir des fondations pour l'entretien des sépultures, vu que cet entretien ne lui incombe pas plus qu'à la fabrique, qui d'ailleurs est légalement tenue d'entretenir le cimetière ? D'autre part, comme nous verrons, les arguments que l'on invoque en faveur des communes ne sont guère plus concluants.

ayant pour objet l'entretien des monuments funéraires.

Actuellement, les fondations qui ont pour objet *direct et exclusif* l'érection ou l'entretien d'un monument funéraire, doivent être faites à la commune, qui est seule capable de les recueillir. Il n'entre pas dans les attributions des fabriques d'église (ou des établissements charitables) de veiller à l'entretien des monuments funèbres ; dès lors, les dites administrations n'ont pas qualité pour accepter les sommes données ou léguées pour se but, toutes les fois que l'obligation d'entretenir un monument constitue l'objet même de la disposition. Voir en ce sens les arr. roy. du 4 Mars 1888 (*Monit.*, p. 762), et du 4 Septembre 1891 (*Monit.*, p. 2719) ; le jugement du tribunal de Termonde, du 5 Décembre 1891 (*Het Vlaamsch Bestuur,* III, 299) ; l'arrêt de la Cour de Gand du 8 Juillet 1893 (*ib.*, V, 8), et le récent arrêté royal du 30 Août 1896 (*Monit.*, p. 3589). (1)

Lorsque, au contraire, l'obligation d'entretenir un monument constitue, non l'objet même de la fondation, mais simplement *la charge d'une libéralité principale* en faveur du culte, la fabrique instituée a qualité pour accepter la libéralité dont il s'agit et pour se charger de l'entretien du monument en question. « Vainement à l'appui de la compétence exclusive de la commune, on invoquerait l'article 15 (2) du décret du 23 Prairial

---

(1) Ces trois derniers documents se rapportent à certaines dispositions testamentaires, prises par la dame Marie Cornillie, veuve de M. Joseph De Backer, propriétaire à Moorseele. La fabrique d'église avait été autorisée par arrêté royal du 27 Juin 1871, à accepter ces dispositions ; mais les tribunaux ayant dénié tout droit à la fabrique, la commune a été autorisée, par arrêté royal du 30 Août 1896, à recueillir la libéralité.

(2) Lisez : l'article 16. — Les rédacteurs des arrêtés royaux ne consultent-ils donc pas le texte des lois ? Il n'est pas étonnant, dès lors, qu'ils donnent de temps en temps des solutions si peu conformes au droit et à la légalité !

an XII ; en effet, cet article confère uniquement aux administrations communales la police et la surveillance des lieux de sépulture, et on ne saurait établir la corrélation entre ces attributions et l'entretien des monuments funèbres ». Arrêté royal du 23 Février 1865 (*Monit,*, p. 917). (1) Voir dans le même sens les arrêtés royaux du 2 Avril 1886 (*Monit.*, p. 1389) ; du 4 Mars 1888 (*Monit.*, p. 762) ; des 20 Octobre et 2 Décembre 1890 (*Monit.*, pp. 3125 et 3511) ; des 11 Janvier, 12 et 19 Décembre 1892 (*Monit.*, pp. 156, 3739 et 3768), etc... ; et, plus récemment, les arrêtés royaux des 4 Février, 25 Mai et 13 Août 1896 (*Monit.*, pp. 542, 2398 et 3418). (2)

Mais, comment pourra-t-on discerner si l'obligation d'entretenir un caveau doit être envisagée comme constituant l'objet même de la fondation, ou bien simplement comme une charge dont la libéralité est grevée ? Voici la règle pratique indiquée par l'administration : lorsque les termes mêmes de la disposition ne manifestent pas suffisamment l'intention du

---

(1) Les partisans de la compétence exclusive des communes se fondent aussi sur l'article 10 du décret de Prairial, qui confère aux communes seules, disent-ils, le droit de concéder les terrains sur lesquels se construisent les caveaux, monuments ou tombeaux. Nous savons que, d'après une jurisprudence qui paraît invariablement fixée, « les concessions de sépultures dans les cimetières appartiennent aux attributions exclusives des conseils communaux » (Circ. min. du 13 Août 1887 : *Monit.*, p. 1887) ; mais, en droit, cette compétence exclusive des communes et fort contestable. D'ailleurs, nous ne voyons pas quelle corrélation existe entre cette prétendue attribution et l'entretien des monuments, qui incombe exclusivement aux concessionnaires.

(2) Comme corollaire de ce système, et pour les mêmes motifs, le gouvernement reconnait que les établissements de bienfaisance sont aussi capables que les fabriques d'église, lorsqu'il s'agit de simples charges grevant des libéralités, et non de fondations. Voir les arrêtés royaux du 22 Septembre 1884 (*Monit.*, p. 4629) ; du 15 Décembre 1890 (*Monit.* du 19 Décembre 1890) ; des 7 Avril, 27 et 31 Août et 4 Septembre 1891 (*Monit.*, pp. 1052, 2607, 2674 et 2719) ; du 2 Novembre 1892 (*Monit.*, p. 3277) ; etc.

disposant des considérations de fait peut aller à l'encontre. Ainsi, toutes les fois que la somme donnée ou léguée à la fabrique pour entretenir un monument funéraire est assez importante pour couvrir les frais d'entretien et laisser encore une part convenable de revenus à la fabrique intégrale, l'obligation d'entretenir le monument peut être considérée comme une simple charge d'une fondation faite en faveur du culte : si, au contraire, l'entretien du monument absorbe entièrement les revenus de la libéralité ou ne laisse qu'un excédant insignifiant à la fabrique, l'obligation d'entretien doit être envisagée comme constituant l'objet même, l'unique objet, de la fondation, vu que, des lors, le disposant n'a pu avoir l'intention de réserver une part des revenus pour être affectée aux dépenses du culte. Cette règle se trouve énoncée dans les arrêtés royaux du 20 Février 1885, du 2 Avril 1886, du 4 Mars 1888 et du 4 Septembre 1891.

Comp. Giron, *Dict. de droit adm.*, V° INHUMATION, n° 23 ; les *Pandectes belges* V° CIMETIERE, n° 248 ss. ; *Het Vlaamsch Besuur*, III, 3 et 290 ; VII, 270.

C. V. C.

AVIS.

L'abondance des matières nous oblige à remettre encore le commentaire sur *l'usage des cloches et des clochers des églises*. Voir les *Collationes*, I, p. 414.

Consultatio

Feria VI quæ prima unoquoque in mense occurrit, in iis ecclesiis et oratoriis, ubi *peculiaria exercitia pietatis* in honorem Divini Cordis, *approbante loci Ordinario, mane* peraguntur, Leo XIII (decreto 28 Junii 1889) indulsit, ut his exercitiis *addi* valeat missa votiva de Sacro Corde Jesu, certis tamen quibusdam diebus exceptis. Quæritur quid veniat nomine peculiarium exercitiorum pietatis, quæ sufficiant ut hæc missa tanquam votiva privilegiata celebrari possit ?

Resp. Hoc nomine veniunt quæcumque exercitia, quæ peraguntur in honorem Divini Cordis. Nullum in decreto specialiter determinatur ; sive ergo sit Sanctissimi Sacramenti expositio, sive parvula concio aut lectio, sive preces quas vocant *reparationis* vel *consecrationis,* sive hymni liturgici aut cantica, hæc omnia, si pro objecto habent honorem SS. Cordis Jesu, sufficiunt ut iisdem addi valeat missa votiva. Requiritur tamen 1° ut fiant *mane,* sive ante, sive infra, sive post missam, quæ conjuncta esse debet his exercitiis, ut unum cum his moraliter actum constituat, cum in decreto dicatur *mane, addi.* 2° Ut habeatur *approbatio loci Ordinarii.* Non sufficit autem ut *celebratio* missæ votivæ approbetur, sed *ipsa exercitia* approbari debent. Quæ approbatio exercitiorum qualiumcumque non conceditur eo ipso quod decretum 28 Junii 1889 publicetur, v. gr. in calendario Diœcesano, sed ut hæc exercitia tribuant jus ad missam votivam celebrandam requiritur quædam approbatio quæ magis directe illa respiciat. Approbatio autem potest esse plus minusve explicita, generalis aut specialis, dummodo de ea constet. Sufficeret v. gr. ut Ordinarius faciat generalem potestatem ecclesiarum rectoribus, ad instituendum quodlibet exercitium pietatis ex libro precum, pro exercitiis publicis in diœcesi præscripto et approbato, desumptum.

De facto, pro diœcesi Brugensi, statuta Tit. IV, art. IV, permittunt ut SS. Sacramentum exponatur in missa quæ cantatur « prima feria VI cujuslibet mensis, in honorem SS. Cordis Jesu ». Hæc expositio ergo in missa cantata est exercitium approbatum ab Ordinario et sufficiens ut celebrari possit votiva, sub conditionibus tamen et restrictionibus in decreto appositis.

H. V. D. W.

Monitum

Ut omnis dubitatio tollatur quoad conditionem approbationis Ordinarii appositam in indulto 28 Junii 1889, quo permittitur sub certis conditionibus celebratio missæ votivæ de Sacro Corde Jesu, primis feriis VI cujusque mensis, Reverendissimus Dominus Episcopus Brugensis pro sua diœcesi sequens proponit et approbat exercitium: In missa (una) sive cantata, sive etiam lecta, quæ celebratur in honorem SS. Cordis dictis feriis VI, exponi potest SS. Sacramentum; post missam autem (et recitatis precibus a SS. D. Leone Papa XIII præscriptis, si missa est privata) publice legi potest Oratio quam *reparationis* vocant (Akte van eerboet, Amende honorable): *O aanbiddelijk Hert van mijnen goddelijken Zaligmaker,* etc. *O Cœur adorable de mon divin Sauveur,* etc. approbata à Rev^mo D. Episcopo Faict et inserta in libro: *Orationes et aliæ preces in quibusdam functionibus* etc. anno 1882 edito. Illam orationem sequetur Benedictio cum Sanctissimo, servatis consuetis ritibus ac cæremoniis. Ubi autem vel concio, vel lectio spiritualis fieri solet, vel cantus hymni liturgici infra missam privatam, Reverendissimus Dominus hæc exercitia ideo non improbat, imo exoptat ut serventur.

Collationes Brugenses

LITTERÆ APOSTOLICÆ

Sanctissimi domini nostri Leonis divina providentia Papæ XIII

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

Apostolicæ curæ et caritatis, qua *Pastorem magnum ovium, Dominum nostrum Jesum Christum* (1), referre pro munere et imitari, aspirante ejus gratia, studemus, non exiguam partem pernobili Angelorum nationi tribuimus. Voluntatis in ipsam Nostræ ea præcipue testis est epistola quam superiore anno dedimus propriam *ad Anglos, regnum Christi in fidei unitate quærentes :* ejusdem quippe gentis et veterem cum Ecclesia matre conjunctionem commemorando revocavimus, et felicem reconciliationem, excitata in animis orandi Dei sollertia, contendimus maturare. Rursusque haud ita pridem, quum communibus universe litteris de unitate Ecclesiæ fusius agere visum est, non ultimo loco respeximus Angliam ; spe prælucente, posse documenta Nostra tum catholicis firmitatem tum dissidentibus salutare lumen afferre. Atque illud fateri libet, quod æque gentis humanitatem ac multorum sollicitudinem salutis æternæ commendat, id est quam benevole Anglis probata sit instantia Nostra et dicendi libertas, nullo quidem acta humanæ rationis impulsu. — Nunc autem eadem Nos mente eodemque animo deliberatum habemus studia convertere ad quamdam non minoris momenti causam, quæ cum ea ipsa re votisque Nostris cohæret. Quod enim apud Anglos, aliquanto postquam ab unitatis christianæ centro abscessum est, novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub rege Eduardo VI, fuit publice inductus ; defecisse idcirco verum Ordinis sacramentum, quale Christus instituit, simulque hierarchicam successionem, jam tenuit communis sententia, quam non semel Ecclesiæ acta et constans disciplina firmarunt. Attamen

(1) Hebr., XIII, 20.

recentiore memoria hisque maxime annis invaluit controversia, sacræne Ordinationes ritu eduardiano peractæ, natura sacramenti effectuque polleant ; faventibus, affirmate vel dubitanter, non modo scriptoribus anglicanis nonnullis, sed paucis etiam catholicis præsertim non anglis. Alteros quippe movebat præstantia sacerdotii christiani, exoptantes ut duplici ejus in corpus Christi potestate ne carerent sui ; movebat alteros consilium expediendi quodammodo illis reditum ad unitatem : utrisque vero hoc persuasum esse videbatur, jam studiis in eo genere cum ætate provectis, novisque litterarum monumentis ex oblivione erutis, retractari auctoritate Nostra causam non inopportunum fore. Nos autem ea consilia atque optata minime negligentes, maximeque voci obsequentes apostolicæ caritatis, censuimus nihil non experiri quod videretur quoquo modo conducere ad animarum vel avertenda damna vel utilitates fovendas.

Placuit igitur de retractanda causa benignissime indulgere: ita sane, ut per summam novæ disquisitionis sollertiam, omnis in posterum vel species quidem dubitandi esset remota. Quapropter certo numero viris doctrina et eruditione præstantibus, quorum compertæ erant dissimiles in ipsa causa opiniones, negotium dedimus ut momenta sententiæ suæ scriptis mandarent : eos deinde ad Nos accitos jussimus communicare inter se scripta, et quidquid eo amplius ad rem cognitu esset dignum, indagare atque expendere. Consultumque a Nobis est, ut ipsi diplomata opportuna omni possent copia in tabulariis vaticanis sive nota recognoscere sive inexplorata educere ; itemque ut prompta haberent quæcumque ejusdem generis acta apud sacrum Consilium quod *Suprema* vocatur, asservarentur, neque minus quæcumque ad hoc tempus doctiores viri in utramque partem evulgassent. Hujusmodi adjumentis instructos, voluimus eos in singulares congressiones convenire ; quæ ad duodecim sunt habitæ, præside uno ex S. R. E. Cardinalibus a Nobismetipsis designato, data singulis facultate disputandi libera. Denique earumdem congressionum acta, una cum ceteris documentis, Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus ex eodem Consilio jussimus exhiberi omnia, qui meditatâ causa eâque coram

Nobis deinde agitata, suam quisque sententiam dicerent.

Hoc ducendæ rei ordine præstituto, ad intimam tamen æstimationem causæ æquum erat non ante aggredi, quam id perstudiose quæsitum apparuisset, quo loco ea jam esset secundum Apostolicæ Sedis præscriptiones institutamque consuetudinem ; cujus consuetudinis et initia et vim magni profecto intercrat reputare. Quocirca in primis perpensa sunt documenta præcipua quibus Decessores Nostri, rogatu Reginæ Mariæ, singulares curas ad reconcilliationem ecclesiæ Anglicæ contulerunt. Nam Julius III Cardinalem Reginaldum Polo, natione Anglum, multiplici laude eximium, Legatum de latere ad id opus destinavit, *tamquam pacis et dilectionis angelum suum,* eique mandata seu facultates extra ordinem normasque agendi tradidit (1) ; quas deinde Paulus IV confirmavit et declaravit. In quo ut recte colligatur quidnam in se commemorata documenta habeant ponderis, sic oportet fundamenti instar statuere, eorum propositum nequaquam a re abstractum fuisse, sed rei omnino inhærens ac peculiare. Quum enim facultates Legato apostolico ab iis Pontificibus tributæ Angliam dumtaxat religionisque in ea statum respicerent, normæ item agendi ab eisdem eidem Legato quærenti impertitæ, minime quidem esse poterant ad illa generatim decernenda sine quibus sacræ ordinationes non valeant, sed debebant attinere proprie ad providendum de ordinibus sacris in eo regno, prout temporum monebant rerumque conditiones expositæ. Hoc ipsum, præter quam quod ex natura et modo eorumdem documentorum perspicuum est, inde pariter liquet, quod alienum prorsus fuisset, inde velle de iis quæ sacramento Ordinis conficiendo necesse sunt, propemodum commonefieri Legatum, eumque virum cujus doctrina etiam Concilio Tridentino eluxerat.

Ista probe tenentibus non difficulter patebit quare in litteris Julii ad Legatum apostolicum, perscriptis die VIII martii MDLIV, distincta sit mentio de iis primum qui *rite et legitime promoti,* in suis ordinibus essent retinendi, tum de iis qui *non*

(1) Id factum augusto mense MDLIII per litteras sub plumbo, *Si ullo unquam tempore* et *Post nuntium Nobis,* atque alias.

promoti ad sacros ordines, possent, *si digni et idonei reperti fuissent, promoveri.* Nam certe definiteque notatur, ut reapse erat, duplex hominum classis : hinc eorum qui sacram ordinationem, vere suscepissent, quippe id vel ante Henrici secessionem, vel si post eam et per ministros errore dissidiove implicitos, ritu tamen catholico consueto ; inde aliorum qui initiati essent secundum Ordinale eduardianum, qui propterea possent *promoveri,* quia ordinationem accepissent irritam. Neque aliud sane Pontificis consilium fuisse, præclare confirmat epistola ejusdem Legato, die XXIX Januarii MDLV, facultates suas episcopo Norwicensi demandantis. Id amplius est potissime considerandum quod eæ ipsæ Julii III litteræ afferunt, de facultatibus pontificiis libere utendis, etiam in eorum bonum quibus munus consecrationis, *minus rite et non servatâ forma Ecclesiæ consueta,* impensum fuit : qua quidem locutione ii certe designabantur qui consecrati eduardiano ritu ; præter eam namque et catholicam formam alia nulla erat eo tempore in Anglia.

Hæc autem apertiora fient commemorando legationem quam Philippus et Maria reges, suadente Cardinali Polo, Romam ad Pontificem februario mense MDLV miserunt. Regii oratores, viri tres *admodum insignes et omni virtute præditi,* in quibus Thomas Thirlby episcopus Eliensis, sic habebant propositum, Pontificem de conditione rei religiosæ in eo regno notitia ampliore edocere, ab ipsoque in primis petere ut ea quæ Legatus ad ejusdem regni cum Ecclesia reconciliationem curaverat atque effecerat, haberet rata et confirmaret : ejus rei causâ omnia ad Pontificem allata sunt testimonia scripta quæ oportebat, partesque Ordinalis novi proxime ad rem facientes. Jamvero Paulus IV legatione magnifice admissa, eisdemque testimoniis per certos aliquot Cardinales *diligenter discussis,* et *habita deliberatione matura,* litteras *Præclara carissimi* sub plumbo dedit die XX Junii eodem anno. In his quum comprobatio plena et robur additum sit rebus a Polo gestis, de ordinationibus sic est præscriptum :... *qui ad ordines ecclesiasticos... ab alio quam ab episcopo rite et recte ordinato promoti fuerint, eosdem ordines... de novo suscipere teneantur.* Quinam autem essent episcopi tales, *non rite recteque ordinati,* satis jam indicaverant superiora

documenta, facultatesque in eam rem a Legato adhibitæ : ii nimirum qui ad episcopatum, sicut alii ad alios ordines promoti essent, *non servatà forma Ecclesiæ consueta* vel *non servata Ecclesiæ forma et intentione,* prout Legatus ipse ad episcopum Norwicensem scribebat. Hi autem non alii profecto erant nisi qui promoti secundum novam ritualem formam ; cui quoque examinandæ delecti Cardinales attentam operam dederant. Neque prætermittendus est locus ex eisdem Pontificis litteris, omnino rei congruens ; ubi cum aliis beneficio dispensationis egentibus numerantur qui *tam ordines quam beneficia ecclesiastica nulliter et de facto obtinuerant. Nulliter* enim obtinuisse ordines idem est atque irrito actu nulloque effectu, videlicet *invalide,* ut ipsa monet ejus vocis notatio et consuetudo sermonis ; præsertim quum idem pari modo affirmetur de ordinibus quod de *beneficiis ecclesiasticis,* quæ ex certis sacrorum canonum institutis manifesto erant nulla, eo quia cum vitio infirmante collata.

Huc accedit quod, ambigentibus nonnullis quinam revera episcopi, *rite et recte ordinati,* dici et haberi possent ad mentem Pontificis, hic non multo post, die xxx octobris, alias subjecit litteras in modum Brevis : atque, *Nos,* inquit, *hæsitationem hujusmodi tollere, et serenitati conscientiæ eorum qui schismate durante ad ordines promoti fuerant, mentem et intentionem quam in eisdem litteris Nostris habuimus clarius exprimendo, opportune consulere volentes, declaramus eos tantum episcopos et archiepiscopos qui non in forma Ecclesiæ ordinati et consecrati fuerint, rite et recte ordinatos dici non posse.* Quæ declaratio, nisi apposite ad rem Angliæ præsentem, id est ad Ordinale eduardianum, spectare debuisset, nihil certe confecerat Pontifex novis litteris, quo vel *hæsitationem tolleret* vel *serenitati conscientiæ consuleret.* Ceterum Apostolicæ Sedis documenta et mandata non aliter quidem Legatus intellexit, atque ita eis rite religioseque obtemperavit: idque pariter factum a Regina Maria et a ceteris qui cum ea dederunt operam ut religio et instituta catholica in pristinum locum restituerentur.

Auctoritates quas excitavimus Julii III et Pauli IV aperte ostendunt initia ejus disciplinæ quæ tenore constanti, jam tribus amplius sæculis, custodita est, ut ordinationes ritu eduardiano haberentur infectæ et nullæ ; cui disciplinæ

amplissime suffragantur testimonia multa earumdum ordinationum quæ, in hac etiam Urbe, sæpius absoluteque iteratæ sunt ritu catholico. — In hujus igitur disciplinæ observantia vis inest opportuna proposito. Nam si cui forte quidquam dubitationis resideat in quamnam vere sententiam ea Pontificum diplomata sint accipienda, recte illud valet : *Consuetudo optima legum interpres.* Quoniam vero firmum semper ratumque in Ecclesia mansit, Ordinis sacramentum nefas esse iterari, fieri nullo pacto poterat ut talem consuetudinem Apostolica Sedes pateretur tacita ac toleraret. Atqui eam non toleravit solum, sed probavit etiam et sanxit ipsa, quotiescumque in eadem re peculiare aliquod factum incidit judicandum. Duo ejusmodi facta in medium proferimus, ex multis quæ ad *Supremam* sunt subinde delata : alterum, anno MDCLXXXIV, cujusdam Calvinistæ Galli, alterum, anno MDCCIV, Joannis Clementis Gordon ; utriusque secundum rituale eduardianum suos adepti ordines. In primo, post accuratam rei investigationem, consultores non pauci responsa sua, quæ appellant vota, de scripto ediderunt, ceterique cum eis in unam conspirarunt sententiam, *pro invaliditate ordinationis :* tantum quidem ratione habita opportunitatis, placuit Cardinalibus respondere, *Dilata.* Eadem vero acta repetita et ponderata sunt in facto altero : quæsita sunt præterea nova consultorum vota, rogatique doctores egregii e Sorbonicis ac Duacenis, neque præsidium ullum perspicacioris prudentiæ prætermissum est ad rem penitus pernoscendam. Atque hoc animadvertisse oportet quod, tametsi tum ipse Gordon cujus negotium erat, tum aliqui consultores inter causas *nullitatis* vindicandæ etiam adduxissent illam prout putabatur ordinationem Parkerij, in sententia tamen ferenda omnino seposita est ea causa, ut documenta produnt integræ fidei, neque alia ratio est reputata nisi *defectus formæ et intentionis.* Qua de forma quo plenius esset certiusque judicium, cautum fuerat ut exemplar Ordinalis anglicani suppeteret ; atque etiam cum eo singulæ collatæ sunt formæ ordinandi, ex variis orientalium et occidentalium ritibus conquisitæ. Tum Clemens XI, Cardinalium ad quos pertinebat consentientibus suffragiis, ipsemet feria V, die XVII aprilis MDCCIV, *decrevit :* « Joannes

Clemens Gordon *ex integro et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et præcipue presbyteratus, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum Confirmationis suscipiat ». Quæ sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem *traditionis instrumentorum* quidquam momenti duxit: tunc enim præscriptum de more esset ut ordinatio *sub conditione* instauraretur. Eo autem pluris refert considerare, eamdem Pontificis sententiam spectare universe ad omnes Anglicanorum ordinationes. Licet enim factum attigerit peculiare, non tamen ex peculiari quapiam ratione profecta est, verum ex *vitio formæ,* quo quidem vitio ordinationes illæ æque afficiuntur omnes: adeo ut, quoties deinceps in re simili decernendum fuit. toties idem Clementis XI communicatum sit decretum.

Quæ quum ita sint, non videt nemo controversiam temporibus nostris exsuscitatam, Apostolicæ Sedis judicio definitam multo antea fuisse: documentisque illis haud satis quam oportuerat cognitis, fortasse factum ut scriptor aliquis catholicus disputationem de ea libere habere non dubitarit. Quoniam vero, ut principio monuimus, nihil Nobis antiquius optatiusque est quam ut hominibus recte animatis maximâ possimus indulgentia et caritate prodesse, ideo jussimus in Ordinale anglicanum, quod caput est totius causæ, rursus quam studiossime inquiri.

In ritu cujuslibet sacramenti conficiendi et administrandi jure discernunt inter partem *cæremonialem* et partem *essentialem,* quæ *materia et forma* appellari consuevit. Omnesque norunt, sacramenta novæ legis, utpote signa sensibilia atque gratiæ invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quæ significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma, haberi debet, præcipue tamen ad formam pertinet; quum materia sit pars per se non determinata, quæ per illam determinetur. Idque in sacramento Ordinis manifestius apparet, cujus conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio; quæ quidem nihil definitum per se significat, et æque ad quosdam Ordines, æque ad Confirmationem usurpatur.

Jamverò verba quæ ad proximam usque ætatem habentur

passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum,* minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel ejus gratiam, et potestatem, quæ præcipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini* (1), eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in Cruce peracti* (2). Forma hujusmodi aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyterii :* sed hoc potius convincit, Anglicanos vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adjectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formæ posset, serius est inducta, elapso jam sæculo post receptum Ordinale eduardianum ; quum propterea, Hierarchià extincta, potestas ordinandi jam nulla esset. Nequidquam porro auxilium causæ novissime arcessitum est ab aliis ejusdem Ordinalis precibus. Nam, ut, cetera prætereantur quæ eas demonstrent minus proposito sufficientes in ritu anglicano, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quæ id nempe reticet quod deberet proprium significare.

De consecratione episcopali similiter est. Nam formulæ, *Accipe Spiritum Sanctum,* non modo serius adnexa sunt verba, *ad officium et opus episcopi,* sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, judicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse præfationis precem, *Omnipotens Deus ;* quum ea pariter deminuta sit verbis quæ *summum sacerdotium* declarent. Sane, nihil huc attinet explorare, utrum episcopatus complementum sit sacerdotii, an ordo ab illo distinctus : aut collatus, ut ajunt, *per saltum,* scilicet homini non sacerdoti, utrum effectum habeat necne. At is procul dubio, ex institutione Christi, ad sacramentum Ordinis verissime pertinet, atque est præcellenti gradu sacerdotium ; quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali nostra consuetudine *summum sacerdotium, sacri ministerii summa* nuncupatur. Inde fit ut, quoniam sacramentum

(1) Trid., Sess. XXIII *de sac. Ord.,* can. 1.
(2) Trid., Sess. XXII *de sacrif. Missæ,* can. 3.

Ordinis verumque Christi sacerdotium a ritu anglicano penitus extrusum est, atque adeo in consecratione episcopali ejusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac jure possit conferri : eoque id magis quia in primis episcopatus muniis illud scilicet est, ministros ordinandi in sanctam Eucharistiam et sacrificium.

Ad rectam vero plenamque Ordinalis æstimationem, præter ista per aliquas ejus partes notata, nihil profecto tam valet quam si probe æstimetur quibus adjunctis rerum conditum sit et publice constitutum. Longum est singula persequi, neque est necessarium : ejus namque ætatis memoria satis diserte loquitur, cujus animi essent in Ecclesiam catholicam auctores Ordinalis, quos adsciverint fautores ab heterodoxis sectis, quo demum consilia sua referrent. Nimis enimvero scientes quæ necessitudo inter fidem et cultum, inter *legem credendi et legem supplicandi* intercedat, liturgiæ ordinem, specie quidem redintegrandæ ejus formæ primævæ, ad errores Novatorum multis modis deformarunt. Quamobrem toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii offerendi ; sed immo omnia hujusmodi rerum vestigia, quæ superessent in precationibus ritus catholici non plane rejectis, sublata et deleta sunt de industria, quod supra attigimus. Ita per se apparet nativa Ordinalis indoles ac spiritus, uti loquuntur. Hinc vero ab origine ducto vitio, si valere ad usum ordinationum minime potuit, nequaquam decursu ætatum, quum tale ipsum permanserit, futurum fuit ut valeret. Atque ii egerunt frustra qui inde a temporibus Caroli I conati sunt admittere aliquid sacrificii et sacerdotii, nonnullà dein ad Ordinale facta accessione : frustraque similiter contendit pars ea Anglicanorum non ita magna, recentiore tempore coalita, quæ arbitratur posse idem Ordinale ad sanam rectamque sententiam intelligi et deduci. Vana, inquimus, fuere et sunt hujusmodi conata : idque hac etiam de causa, quod, si qua quidem verba, in Ordinali anglicano ut nunc est, porrigant se in ambiguum, ea tamen sumere sensum eumdem nequeunt quem habent in ritu catholico. Nam semel novato ritu, ut vidimus, quo nempe negetur vel adulteretur sacramentum Ordinis, et a quo quævis notio repudiata sit consecrationis et sacrificii ; jam

minime constat formula, *Accipe Spiritum Sanctum,* qui Spiritus, cum gratia nimirum sacramenti, in animam infunditur; minimeque constant verba illa, *officium et opus presbyteri* vel *episcopi* ac similia, quæ restant nomina sine re quam instituit Christus. — Hujus vim argumenti perspectam ipsi habent plerique Anglicani, observantiores Ordinalis interpretes; quam non dissimulanter eis objiciunt qui nove ipsum interpretantes, Ordinibus inde collatis pretium virtutemque non suam spe vana affingunt. Eodem porro argumento vel uno illud etiam corruit, opinantium posse in legitimam Ordinis formam sufficere precationem, *Omnipotens Deus, bonorum omnium largitor,* quæ sub initium est ritualis actionis; etiamsi forte haberi ea posset tamquam sufficiens in ritu aliquo catholico quem Ecclesia probasset.

Cum hoc igitur intimo *formæ defectu* conjunctus est *defectus intentionis,* quam æque necessario postulat, ut sit, sacramentum. De mente vel intentione, utpote quæ per se quiddam est interius, Ecclesia non judicat: at quatenus extra proditur, judicare de ea debet. Jamvero quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio, innititur doctrina quæ tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis hæretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

Isthæc omnia diu multumque reputavimus apud Nos et cum Venerabilibus Fratribus Nostris in *Suprema* judicibus; quorum etiam Cœtum singulariter coram Nobis advocare placuit feria v, die xvi julii proximi, in commemoratione Mariæ D. N. Carmelitidis. Iique ad unum consensere, propositam causam jam pridem ab Apostolica Sede plene fuisse et cognitam et judicatam: ejus denuo instituta actâque quæstione, emersisse illustrius quanto illa justitiæ sapientiæque pondere totam rem absolvisset. Verumtamen optimum

factu duximus supersedere sententiæ, quo et melius perpenderemus conveniret ne expediretque eamdem rem auctoritate Nostra rursus declarari, et uberiorem divini luminis copiam supplices imploraremus. — Tum considerantibus Nobis ut idem caput disciplinæ, etsi jure jam definitum, a quibusdam revocatum sit in controversiam, quacumque demum causa sit revocatum ; ex eoque pronum fore ut perniciosus error gignatur non paucis qui putent se ibi Ordinis sacramentum et fructus reperire ubi minime sunt, visum est in Domino sententiam Nostram edicere.

Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, easque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronunciamus et declaramus, ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.

Hoc restat, ut quo ingressi sumus *Pastoris magni* nomine et animo veritatem tam gravis rei certissimam commonstrare, eodem adhortemur eos qui Ordinum atque Hierarchiæ beneficia sincera voluntate optent ac requirant. Usque adhuc fortasse, virtutis christianæ intendentes ardorem, religiosius consulentes divinas litteras, pias duplicantes preces, incerti tamen hæserunt et anxii ad vocem Christi jamdiu intime admonentis. Probe jam vident quo se bonus ille invitet ac velit. Ad unicum ejus ovile si redeant, tum vero et quæsita beneficia assecuturi sunt et consequentia salutis præsidia, quorum administram fecit ipse Ecclesiam, quasi redemptionis suæ custodem perpetuam et procuratricem in gentibus. Tum vero *haurient aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,* sacramentis ejus mirificis ; unde fideles animæ in amicitiam Dei, remissis vere peccatis, restituuntur, cœlesti pane aluntur et roborantur, adjumentisque maximis affluunt ad vitæ adeptionem æternæ. Quorum bonorum revera sitientes, utinam *Deus pacis, Deus totius consolationis* faciat compotes atque expleat perbenignus. — Hortationem vero Nostram et vota eos majorem in modum spectare volumus, qui religionis ministri in communitatibus suis habentur. Homines ex ipso officio præcedentes doctrina et auctoritate, quibus profecto cordi est divina gloria et animarum salus, velint alacres vocanti Deo parere in primis et obsequi, præclarumque de se

edere exemplum. Singulari certe lætitia eos Ecclesia mater excipiet omnique complectetur bonitate et providentia, quippe quos per arduas rerum difficultates virtus animi generosior ad sinum suum reduxerit. Ex hac vero virtute dici vix potest quæ ipsos laus maneat in cœtibus fratrum per catholicum orbem, quæ aliquando spes et fiducia ante Christum judicem, quæ ab illo præmia in regno cœlesti! Nos quidem, quantum omni ope licuerit, eorum cum Ecclesia reconciliationem fovere non desistemus: ex qua et singuli et ordines, id quod vehementer cupimus, multum capere possunt ad imitandum. Interea veritatis gratiæque divinæ patentem cursum ut secundare contendant fideliter, per viscera misericordiæ Dei nostri rogamus omnes et obsecramus.

Præsentes vero litteras et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in judicio et extra observari debere decerminus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quæ Nostræ voluntatis significationi his præsentibus ostensis haberetur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, idibus septembribus, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. Card. Bianchi — C. Card. De Ruggiero
Pro-Datarius

Visa De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✝ *Plumbi.*

Reg. in Secret. Brevium. — I. Cugnoni.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1897.

—

I

Explica II Reg. VIII, 18 : « Filii autem David *sacerdotes* erant. »

II

Expone Act. Apost. II, 22 : « Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis : 23 hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.»

III

Ex S. Scriptura demonstra existere angelos, i. e. substantias spirituales per se subsistentes, Deo inferiores, ab hominibus distinctas, eisque superiores.

IV

An et cur lex civilis potest contractus irritare in foro conscientiæ et quidem ante sententiam judicis ?

V

Qualis et quanta est obligatio promissionis gratuitæ ?

VI

Quelles sont les formalités prescrites pour la régularité des délibérations des conseils de fabrique ?

Responsa

ad quæstiones in conferentiis mensis Septembris propositas

—

I

Q. Ex I Reg. XXIII, 10-13 proba Deum habere *scientiam mediam,* seu certo cognoscere futura libera conditionata.

R. « Status præsentis quæstionis est tum universim, utrum Deus liberos actus creaturarum sub conditione futuros infallibiliter cognoscat; tum (strictius definiendo) utrum Deus infallibiliter cognoscat, quid creata voluntas esset electura, si constitueretur sub his illisve conditionibus actus primi ita comparatis, ut non ex natura et internis conditionibus actus primi, sed solum ex libera determinatione voluntatis infallibiliter futurus esset determinatus actus secundus ». Franzelin, *De Deo uno,* p. 480.

Jam vero, I Reg. XXIII, 10-13 hæc habentur : « *Et ait David : Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me : Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus ? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus ? Domine Deus Israël, indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet. Dixitque David : Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manus Saul ? Et dixit Dominus : Tradent. Surrexit ergo David et viri ejus quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti : nuntiatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila, et salvatus esset : quam ob rem dissimulavit exire* ».

Ex hoc textu sequitur Deum habere *scientiam mediam,* seu certo cognoscere futura libera conditionata. Nam :

« a) Nec descensus Saulis contra urbem Ceilam nec

proditio Ceilanitarum erat factum aliquando absolute futurum.

b) In hypothesi, quod maneret David in urbe, et in omnibus adjunctis actum primum concomitantibus, nihil erat, quocum actus secundus, ut Saul descenderet et cives Davidem proderent, infallibiliter et certitudine absoluta necteretur. Quod Ceilanitæ jam proditionem meditabantur, non est in historia, ex quo potius contrarium colligitur ; sed id fingit Thomassinus (l. VII, c. 23, n. 13) ; et si hoc concederetur, nondum cum actu primo absoluta et metaphysica certitudine necteretur actus secundus proditionis. Absolutam autem certitudinem enuntiari verbis veritatis infinitæ : « *descendet, tradent,* » nescio quomodo auctor idem negare ausus sit. Itaque

c) Deus prædicit absoluta affirmatione, fore ut, *si David maneat in civitate, Saul descendat ad eam obsidendam, et cives ipsum tradant.* Est igitur sine dubio credendum, utrumque hunc actum liberum sub ea conditione infallibiliter futurum fuisse, et hanc veritatem a Deo absoluta certitudine fuisse cognitam ; cum tamen, Davide fuga elapso, nec descensus Saulis nec proditio civium umquam re ipsa futura erant ; sed solum futura fuissent sub conditione, si David mansisset Ceilæ » Franzelin, *ibid. p. 481.* »

G. V. D. P.

II

Q. Explana Luc. I, 68, 69 « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ : Et erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui ».

R. *Benedictus,* (εὐλογητος,) *benedicendus, laudandus,* scil. *est,* adeoque laudibus, prout dignus est, celebretur ab omnibus. « Benedicit homo Deo, laudando ; Deus

autem homini, benefaciendo. Est igitur exordium a laude et gratiarum actione, quòd summum beneficium prædicet redemptionis per Christum » Luc. Brug.

Dominus : usurpatur id nomen loco proprii et ineffabilis nominis Dei, scil. *Jehovah.* Vide Exod. III, 14, 15.

Deus (ὁ Θεος) *Israel,* i. e. unicus ille verus Deus, quem Israeliticus populos singulariter agnoscit et colit : « Et est quidem Deus omnium, Rom. 3, v. 29 : sed quia a solo illo populo, docto a suis patribus Abraham, Isaac, et Jacob (qui et Israel) agnoscebatur et colebatur, idcirco passim a Prophetis vocatur *Deus Israel :* quæ est *periphrasis veri Dei* qua distinguitur a diis Gentium, qui sunt dii falsi, ac proinde non dii. Porro eo magis hic usus est Zacharias hoc epitheto, quòd mens ejus esset, loqui de redemptione Israelitici populi, juxta promissa Dei Abrahamo et Israeli patribus facta ». Luc. Brug.

Quia visitatit, invisit, supple ex consequentibus verbis, plebem suam Judaicam. Sensus est : quia in populum suum insigne beneficium contulit, dando scilicet ipsi redemptionem. « Visitare aliquem, est, absentem, cujus curam geras aut rationem habeas, invisere, ut scias quo res ejus sint statu. Id proprie Deo non congruit qui semper hominibus adest, semperque eos videt, ac novit illorum res : sed metaphorice visitare homines dicitur, quando exteriori aliquo opere præsentem se illis esse, et res eorum videre, eorumque rationem habere declarat : ut quando vel per justitiam eos punit... vel per misericordiam beneficiis afficit..., præsertim vero si etiam mittat ad eos aliquem e servis suis... Intelligit autem Zacharias, quod jam visitaverit Deus populum suum, non per Prophetam, aut Angelum, aut alium legatum, sed per seipsum... Per seipsum autem, quia per Filium, unum Deum secum, quem de cælo in mundum misit, et carnem induit ex Maria Virgine, illâ quæ jam trimestri domi ipsius egerat... Hæc Dei visitatio, qua populum invisit per Filium

suum, omni alia Dei visitatione est excellentior, ac proinde laudandus ac benedicendus Deus, ob hanc magis quam ob quamvis aliam, quod hic facit Zacharias » Luc. Brug. — *Visitare* hîc in bonam partem sumi liquet ex eo quod sequitur :

Et fecit redemptionem plebis suæ, græce *plebi suæ.* Particula *et* vim hic habet *exegeticam :* declarat enim Zacharias quatenus Deus *visitaverit* plebem suam : nimirum faciendo illi redemptionem, seu redimendo illam : « *Redemit* autem, i. e. liberavit, a captivitate scilicet : redemptio enim ponit captivitatem : captivitate autem peccati ac Satanæ, et consequentibus animi corporisque miseriis ac malis : ab omnibus enim liberat et redimit Deus per Christum, sed prius a servitute peccati et Satanæ, tandem etiam a morte et corporis miseriis... Redemptio de qua hic est sermo, cum λυτρωσις Græce appelletur, significatur hujusmodi esse, quæ fiat *persoluto justo pretio,* quod λυτρον Græce dicitur. Christus enim redemit Israel ex omnibus iniquitatibus ejus, et Diaboli potestate, non vi ac potentia, multoque minus favente Diabolo, sed soluto justissimo pretio, sanguine suo ; satisfactione, qualem hominum peccata promeruerant, moriendo data, non Diabolo, sed Deo Patri, tamquam Domino offenso, qui justitia exigente hominem Diabolo inimico permiserat puniendum ac pro meritis tractandum » Luc. Brug.

« Zacharias tempore præterito, *visitavit, fecit redemptionem,* usus est non more prophetarum tantum, sed quia Spiritus sancti instinctu noverat re ipsa inchoatum esse redemptionis opus ; si quidem Verbum Dei carnem, qua nos redimeret, jam assumpserat. — Dicit autem *fecit redemptionem plebis suæ,* non quod redemptionis beneficium ad reliquas gentes non pertineat, quum et Abrahæ dictum sit : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (Gen. XXII, 18) ; sed quia Israelitarum progenitoribus, non ita gentibus, peculiariter repromissum fuerat : ob idque, licet per misericordiam facta

fuerit promissio, tamen, postquam facta est, propter veritatem Dei, per justitiam quamdam confirmanda et exhibenda erat Israeliticæ genti. Ideo etiam Christus Judæis tantum evangelium salutis prædicavit : qua ratione aiebat ipse : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel* (Matth. XV, 24), et *minister circumcisionis* a Paulo (Rom XV, 8), appellatur. » Liagre.

Et erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui. Particula και « iterum vim *exegeticam* habet, inservitque declarando quatenus Deus *fecerit redemptionem plebis suæ,* sive redemptionis illius opus inchoaverit : nempe excitando (nam græce est ἤγειρε, quod latinus Interpres reddidit hic *erexit,* ut quod magis conveniret ad metaphoram *cornu*) illi in domo David potentissimum et illustrem salvatorem. Christus intelligitur, secundum assumptam naturam *e progenie* David per Mariam, matrem suam, oriundus.

Hebræi, metaphora sumpta ab iis animalibus, quibus robur ac vitæ præsidium est in cornibus, vocem *keren, cornu,* frequenter usurpant ad potentiam et robur significandum. Itaque *cornu salutis,* metaphora dempta, recte intelligitur potentissima salus, seu salvator potentissimus (seu, secundum nonnullos, regnum salutiferum, ita ut hic significetur quod regnum Davidis jam collapsum per Messiam in antiquum splendorem et robur restituerit, ad adferendam salutem nobis). Ita Psaltes de Deo : *Protector meus, et cornu salutis meæ.* Ps. XVII, 3 » Liagre.

Pueri servi seu ministri *sui* « Servum Dei vocat, non tam quia Deo placuit, vir juxta cor Dei I Reg. 13, v. 14; quam quia regnum et regimen populi, sibi a Deo creditum, ita sancte ac fideliter administravit, Psal. 77, v. 71, 72, ut promiserit Deus illud in ipsius posteritate fore æternum, Psal. 88, v. 36 et seq. » Luc. Brug.

G. V. D. P.

III

Q. Quænam sunt diversæ opiniones catholicorum circa dies creationis ?

R. Diversissimæ inter catholicos, tum antiquiores tum recentiores, exstant sententiæ circa naturam dierum creationis. Præcipua systemata interpretationis narrationis mosaïcæ breviter referemus.

1° PRIMUM SYSTEMA interpretatur mosaicos dies allegorice. Plurimi ex antiquioribus, uti Judæi scriptores *Aristobulus* et *Philo ;* uti plures Patres et Doctores scholæ Alexandrinæ, nominatim: *Clemens Alexandrinus* (Strom VI, 16), *Origenes* (de Princip 1, 4, 16), *Athanasius* (3ª orat. contra Arianos) ; uti alii Patres : *Gregorius Nyssenus,* et forte *Hilarius* (de Trin. XII, 40); præsertim vero *Augustinus* in pluribus suis operibus, nominatim « de Genesi ad litteram » et « de Civitate Dei » hanc opinionem sequuntur. Longum et inutile esset omnes opiniones horum Patrum prosequi. Sufficiet explanasse sententiam S^i Augustini. Sanctus ille Doctor proponit sententiam juxta quam Deus non sex veris successivis diebus condidisset mundum, sed uno instanti omnia simul. Si vero quæratur ab eo cur, quæ uno instanti facta sunt, sex dierum spatio narrantur, duplicem præsertim rationem moralem reddit, quarum altera est, quod licet nulla sit dierum distinctio quatenus aliqua opera facta sint uno die, alia alio, est tamen quædam mystica, sed vera significatio, juxta quam et *dies* in creatione, et *vesperum* et *mane* in qualibet die distinguuntur. Hujusmodi autem distinctionem fieri putat juxta rationem qua Angeli in creaturarum cognitionem venerunt. Nam, dicit, verbis Geneseos : *In principio creavit Deus cœlum et terram* etc., edocemur Deum a principio totam mundanam materiam uno instanti creavisse, informem tamen sed talem ut in se haberet vim seipsum evolvendi et formandi. Quando vero postea ligimus : « *Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux...*

Appellavitque lucem Diem et tenebras Noctem ; factumque est vespere et mane, dies unus. », lux illa quæ primitus creata est, non corporalis sed spiritualis est, id est, sunt *Angeli*. Quemadmodum vero lucem interpretatur Angelorum mentem, ita distinctionem *vespere* et *mane* sexies repetitam petit ex angelorum cognitione. Nam duplex est admittenda in Angelis creaturarum cognitio ; altera quam habent contemplando res in seipsis, harum tamen pulchritudini non inhærentes, sed ad Dei gloriam referentes ; altera, qua res cognoscunt in Verbo, in quo sunt rerum creandarum rationes ; priorem, ut minus perfectam vocat *vespertinam,* posteriorem utpote perfectiorem vocat *matutinam.* Tandem quia in Angelorum mente vespertinæ cognitioni sine ignorantiæ et errorum tenebris statim matutina succedit, ideo nulla mentio fit de Nocte.

1° SECUNDUM SYSTEMA est *interpretationis litteralis antiquæ :*

Antiquo ævo Patres ecclesiarum Syriæ, tum qui syriaco tum qui græco idiomate scripserunt : *Ephrem, Chrysostomus, Severianus Gabal, Theodoretus, Cosmas, Theophilus Antiochenus, Gregorius Nyssenus* et præsertim *Basilius Cæsariensis,* qui in homiliis novem doctissime disseruit de Hexæmero, hoc systema propugnant. Cum quibus consentiunt non modo plurimi Patres Latini, uti *Gregorius Magnus, Hieronymus* et præsertim *Ambrosius,* sed etiam ferme omnes Scholastici Doctores cum *Bonaventura* et *Thoma,* inde a medio ævo usque ad nostra fere tempora. Immo nostris etiam diebus non desunt qui cum Athanasio Bosizio S. J. (*Hexæmeron und Geologie* Mainz, Kirckheim 1865) hoc systema tuentur.

Consistit autem in hoc quod statuunt quidem aliquam creationem simultaneam, materiæ scilicet omnium rerum universalis, quam creationem refert primus versiculus Geneseos ; rerum autem singularum ex illa

materia eductionem censent opus sex dierum naturalium sibi realiter per spatia 24 horarum succedentium. Tres primos dies productos dicunt per lucis primigeniæ diffusionem et eliminationem successivam.

2° TERTIUM SYSTEMA est *interpretationis litteralis recentioris.*

Recentioris ævi interpretes studium conciliandi narrationem genesiacam cum scientiis naturalibus induxit ad propugnandum ex una parte narrationem mosaicam vere *historicam* esse, et ex altera parte ad admittendos sex dies creationis tanquam temporis periodos ingentis et indeterminatæ durationis. Solet hæc sententia vocari *concordistica,* quia demonstrare conatur in narratione mosaica *easdem* illas inveniri epochas, de quibus naturales scientiæ testimonium ferunt, ac proinde scripturam scientiis plene *concordare.*

Bifariam tamen subdividitur hæc sententia:

a) Alter nempe concordismus propugnat non tantum *easdem* esse epochas admittendas tum in scriptura tum in scientiis naturalibus sed etiam illas *in eodem chronologico ordine* tum in scriptura tum in scientiis naturalibus apparere; ita ut singula entium genera fuissent revera producta eo ordine qui a Moyse indicatur. Ille concordismus abhinc aliquot annis excogitatus et propugnatus fuit a Cuvier (*Recherches sur les ossements fossiles,* Paris 1821), a Pianciani S. J. (*In historiam creationis commentatio,* Neapoli 1851), ab Ill. Meignan (*Le monde et l'homme primitif,* 1869).

b) Alter vero concordismus admittit successionem dierum formationisque terræ haud stricte in chronologico ordine esse accipiendam, sed admitti posse quod forte primus hujus aut illius generis entium ortus haud exacte sit declaratus aut etiam quædam inverso ordine sint proposita. Ita sentiunt Marcel de Serres (*La cosmogonie de Moïse comparée aux faits géologiques,* 2e édition, Paris 1841), Hummelauer (*Der Biblische*

Schöpfungsbericht, Herder, Freiburg, 1877) et plurimi alii uti Ebrard, Dawson, De Valroger, C. Guttler, Dr Molloy, Pozzy, Moigno, Palmieri, Arduin, Jean d'Estienne, Vigouroux, Corluy, S. J.

3° QUARTUM SYSTEMA, intermedium inter secundum et tertium.

Aliqui, duce Buckland, professore Oxfordiensi admittunt creationem duplicem : Primam versiculo primo Geneseas indicatam, sed non explicatam, ad quam pertineant omnia strata continentia reliquias vegetalium et animalium, quorum species ante hominis apparitionem post longam seculorum seriem excepit, aiunt, universalis quædam rerum destructio, qua *terra* facta sit *inanis et vacua* (vs 2). Postea sex diebus naturalibus 24 horarum Deus opus suum restauravit et per productionem hominis ad apicem perduxit. Ita sentiunt, inter alios : Ill. Wiseman (*Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée,* Bruxelles 1839), Michelis, Westermayer, Schubert, Wagner. Duo ultimi contendunt hanc mundi destructionem effectam esse ab angelis malis e cœlo a Deo ejectis.

Aliqui auctores putant theoriam concordisticam dierum-epocharum nullatenus sufficere ad solvendas difficultates quæ scientiarum naturalium cultores opponunt primo capiti Geneseos. Aliam ergo hujus capitis explicationem exquisierunt. Tenent Moysen in capite primo Geneseos nullatenus scientiarum naturalium documenta proposuisse sed tantum fidem docuisse. Ibi ergo non agitatur quæstio utrum per aliquos dies Deus operatus sit aut creaverit, sed in hac narratione agitur de diebus hebdomadæ Judaicæ. Quod tamen diverso modo explicant. Inde :

QUINTUM SYSTEMA. Ill. D. Clifford, episcopus Cliftoniensis in opere periodico *Dublin Review,* mense Aprili, 1881, contendit Hexæmeron non esse partem libri *historici* Geneseos sed ad illum quasi præfationem

poeticam. Totum hexæmeron non est nisi *carmen liturgicum* singulos dies hebdomadæ Judaïcæ *dedicans* singulis creatoris operibus. Sicut enim, ait, Ægyptii singulos hebdomadæ dies singulis numinibus, septem planetis sacrabant, ita voluit Moyses singulos illos dies ad unum verum Deum referre. Hic vero Deus cum in se unus sit, non nisi in operibus suis distinctionis alicujus fundamentum præbet. Quare varia Dei opera in sex categorias, minime chronologicas sed logicas dumtaxat pro arbitrio distribuit et suum cuique diem assignavit. Septimus hebdomadæ dies, sabbatum quietis liturgicæ, Dei a creando cessantis quieti celebrandæ debebatur.

Sextum Systema. R. adm. D^us^ De Gryse (*de Hexæmero,* Brugis, 1889) propugnat dies capitis primi Geneseos dies esse viginti quatuor horarum, in illoque capite enarrari *constitutionem* hebdomadæ Hebraïcæ. Caput primum Geneseos, ait, est *historicum* tria facta realia referens, nempe : mundi creationem ; præterea mundi tum physici tum civilis tum religiosi formationem et ordinationem ; tandem speciatim hebdomadæ Judaicæ institutionem. Opus suum Deus non per plures dies confecit sed tamen ordinatissime partitum creavit, et ideo similis est operario qui pluribus diebus opificio suo adlaborat. Totum opus Moyses in sex partes dividit et proinde vult in hebdomada Judaica sex sint dies operabiles, unus vero dies requiei. Indicando nobis separatim primum ex operibus Dei, Moyses instituit primam diem operabilem hebdomadæ Judaicæ ; indicando tunc secundum opus, instituit diem operabilem secundam et ita porro. Juxta hanc explicationem in capite primo Geneseos legendum est : « Dixitque Deus : Fiat lux... et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane, dies unus. » id est : Factusque est dies quidam civilis, dies unus (seu primus hebdomadæ.) Unumquodque ergo opus instituit unamquamque diem hebdomadæ Judæorum.

Septimum systema. Ill. D. de Harlez, in opere periodico *Museon,* Januarii 1885, etiam propugnat dies Genesiacos dies esse hebdomadæ Judaïcæ. Differt tamen a præcedentibus in hoc quod pro ipso dies hebdomadæ *non consecrentur* singulo operi Dei, nec *instituantur* a singulo illo opere. In ejus mente mera est externa *appositio* absque ulla connexione inter dies hebdomadæ et opera Dei. « Tout ce que Moïse voulait et tout ce qu'il a fait ce fut de présenter à l'imagination du peuple chaque jour de la semaine *apposé* à l'un des grands actes de la création et le septième au repos de Jehovah... C'est pourquoi il s'exprime d'une manière vague et indéterminée, et place, d'espace en espace, la mention d'un jour, *sans jamais rattacher directement* ce jour à l'acte créateur qui est mentionné avant lui, ni dire que telle création a été faite en tel ou tel jour.

Tandem octavum systema. Nuper fuit expositum a *Kürtz* (Bibel und astronomie, p. 72 seqq.), et potest ad hæc capita reduci :

Opus creationis mundi, nullis hominum oculis spectatum, nonnisi Dei revelatione cognosci potuit. Ejus ergo notitia ad spiritum propheticum, non secus ac rerum futurarum præscientia est referenda. Unde probabile fit eam sacro scriptori simili modo advenisse ac prophetis advenit rerum futurarum revelatio. Hæc autem, ut plurimum, eis per visionem aliquam fuit proposita. Ergo et illam sic fuisse propositam merito supponi potest; idque eo magis quod Mosaïca creationis narratio tam graphice exhibetur, ut quasi scenica actio coram mentis oculis sese evolvat Dei operatio. Visio itaque illa hujusmodi fuerit. Primo apparet Chaos ; auditur Deus loquens, *Fiat lux;* et lux omnia illustrat. Qua deinde paulatim pallescente, redeunt tenebræ, iisque dissipatis lux iterum fulget. Hæc prima lucis et tenebrarum vicissitudo videri debuit prophetæ satis similis diei, ut eam *diem* appellandum duxerit,

vespera et nova matutina luce redeunte terminatum. Sic porro de ceterarum rerum creatione. Post visionem completam propheta res prout eas vidit, accurate describit. Ordo autem, secundum quem variæ creationes in varios visionis dies fuerint distributæ, non est necessario habendus ut ordo chronologicus sed potius ut ordo logicus, ab imperfectioribus creaturis ad perfectiores gradum faciens.

Similem omnino opinionem sequitur Hugh Miller, geologus scotus, et Dr Schäfer professor theologiæ Monasteriensis (*Bibel und Wissenschaft,* 1881, et *Revue des questions scientifiques,* t. I, p. 144) eamque « ut saltem inexpugnabili probabilitate gaudentem » amplectitur Illmus D. Lambrecht, egregie eam exponens et propugnans in suo majore tractatu *de Deo creatore* etc., p. 173, *quinta sententia.*

Cæterum unusquisque inter hasce varias catholicorum sententias, eam liberrime eligat, quæ sibi magis placuerit.

V. J. C.

IV

Quo sensu bona temporalia dicuntur ex jure naturæ *omnibus communia ?*

R. Ex jure naturæ, ante omnem hypothesim, bona temporalia dicuntur communia *communitate negativa,* quatenus scil. a Deo humano generi communiter tradita sunt et quasi in medium projecta, ita ut unius individui non fuerint potius quam alterius. Non autem dici possunt ex jure naturæ communia *communitate positiva,* quæ proprietatem excludat, ita ut secundum jus naturæ unius potius quam alterius fieri non potuerint.

Explicatur. Deus, rerum omnium creator et Dominus, terram in usum tradidit humano generi ; hominem nempe in terram, quasi in domum opibus refertam,

introduxit ac dixit : « Crescite, et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram (Gen. I, 28). » Ex ipso igitur jure naturæ, ante omne factum, nemo potest se dominum prædicare portionis alicujus rerum externarum, eisque in proprium commodum, exclusis cæteris, uti ; at simul nemo prohibetur a tali appropriatione legitime facienda. An etiam suadeat aut jubeat jus naturæ hanc appropriationem, pendet jam ab hypothesi, seu a statu in quo genus humanum respicimus. Si homo in statu integritatis permansisset, nec necessaria nec utilis fuisset bonorum divisio. Contra, in statu præsenti post lapsum (sicut et in statu naturæ puræ), necessaria est bonorum divisio et ipsa privata proprietas, ita ut nec totius orbis communismus, nec singularum civitatum collectivismus cum bono individuorum, familiarum, societatis, componi possit. Cf. Resp. seq.

Eamdem distinctionem inter negativam et positivam communitatem adhibet et explicat Summus Pontifex in Encycl. *Rerum novarum :* « quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriæ hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. »

Jam explicato sensu quo vere dicuntur *bona temporalia jure naturæ ante omnem hypothesim omnibus communia,* juvabit etiam indicare sensum alicujus dicti passim apud theologos occurrentis : *in extrema necessitate omnia sunt communia ;* item asserti S. Thomæ (2-2, q. 66, a. 2), quod Summus Pontifex, cit. Encycl., tamquam ipsius Ecclesiæ doctrinam proponit : *quantum*

ad usum, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes. Quoad primum : homo constitutus in extrema necessitate ineluctabili jus strictum habet bonum alienum sibi necessarium etiam ab invito auferendi, dummodo alter per hanc ablationem in eamdem necessitatem extremam non conjiciatur. Quum ergo dicitur in extrema necessitate omnia esse communia : imprimis subintelliguntur plures limitationes statim indicatæ ; deinde, non significatur omnia ipso facto fieri nullius. Etenim dominus non perdit rei suæ dominium antequam ab indigente arripiatur ; et quamvis iste jure stricto polleat arripiendi, ille charitatis tantum, non justitiæ, obligatione tenetur ad ultro largiendum. Dicuntur ergo in casu bona esse communia, quia extrema indigentia « facit, ut sicut res quæ non sunt in ullius bonis possit sibi aliquis accipere juste et valide; sic indigens posset rem alienam sibi accipere juste et valide, *perinde ac si in nullius bonis esset.* » Lugo, *de just.* disp. 16, n. 143. — Quoad secundum : jus utendi et fruendi rebus propriis non ipsam fruitionem pro fine habet sed conceditur tamquam medium, ut in ordine ad finem ultimum attingendum, tum propriis necessitatibus satis demus, tum etiam proximo subveniamus. Ut igitur secundum hanc normam recte agat in usu rerum externarum, ut jure suo utatur licite « non debet homo habere res exteriores ut proprias sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit : divitibus hujus sæculi præcipe... facile tribuere, communicare (S. Th. l. c.). » Porro præceptum istud habendi res proprias *ut communes,* easque *communicandi* per eleemosynam, manifeste non evertit sed plane supponit proprietatem.

Cfr. præsertim : Lugo, *de just. et jure,* disp. 6, n. 2-6; Ill. ac Rev. Waffelaert, *de justitia*, I, n. 30 cll. sqq. et *Principes généraux de la science sociale,* n. 119, 123 ; Bouquillon, *de virtutib. theolog.* n. 479-480.

O. E. D.

V

Ostende proprietatem privatam in præsenti ordine esse necessariam.

R. — Ostendendum est *in ordine præsenti,* seu humanæ naturæ lapsæ, haberi veram *necessitatem* moralem proprietatis privatæ, adeoque non esse *possibilem,* ad modum stabilis conditionis, universalem bonorum *communismum,* imo nec hodiernum *collectivismum*. Hic nempe proprietati privatæ substituere intendit proprietatem Status (sive reipublicæ universalis, sive gubernii singularum regionum) qui solus agrorum, fodinarum, officinarum omniumque laboris instrumentorum dominium tenens, necessarios labores et officia inter cives distribuat, laborantibus invigilet, laborem singulorum remuneret. Jamvero « quod homo propria possideat » esse « necessarium ad humanam vitam » ostendit S. Thomas (2-2, q. 66, a. 2) tribus considerationibus (1), quas paululum evolventes ad sequentia argumenta revocamus.

I. Ut genus humanum convenienter naturæ vivere atque proficere possit, necesse est ut homines communiter arduum continuumque laborem rebus producendis impendant.

Atqui sine stimulo proprietatis privatæ, strenuus hic labor magna ex parte deficeret.

Ergo necessaria est proprietas privata.

---

(1) « Primo quidem, quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum ; quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. Alio modo, quia ordinatius res humanæ tractantur, si singulis imminet propria cura alicujus rei procurandæ ; esset autem confusio, si quilibet indistincte quælibet procuraret. Tertio, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. Unde videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur. »

Probatur Major. Arduum hunc laborem generi humano in pœnam peccati Deus imposuit : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es.. » Gen. III, 17-19. Et revera ab initiis homines hanc duri laboris legem subiisse docemur, eos nostris diebus eadem lege pressos conspicimus, nec spes ulla apparet id jugum aliquando excutiendi. Sunt quidem qui autumant, ob jugem scientiarum artiumque progressum, ob excogitata in dies nova instrumenta laboris, ob physicas vires in dies solertius producendis rebus applicatas, brevi effectum iri ut labor humanus parcus, trium quatuorve horarum quotidie, necessitatibus humanæ vitæ explendis abunde sufficiat. Atvero stupenda hujus sæculi inventa corporis ac mentis arduum continuumque laborem, nedum suppressisse, vix alleviasse dixeris ; et spectata humana natura, etiam ex novis artibus instantis sæculi expectare non possumus magnum humani laboris levamen. Sane si omnes homines, simplici prorsus victu ac cultu contenti, nihil ultra quærerent ex rebus quæ ad commodiorem vitæ conditionem spectant, sufficeret sat exiguus labor his necessitatibus satiandis. Sed humanæ cupidines angustis his limitibus non continentur : quo facilius et uberius res utiles producuntur, eo communius expetuntur atque ad congruenter vivendum necessariæ æstimantur. Unde ne primo quidem illucescit nobis progressus talis qui genus humanum a communi laboris lege ad otium universale perducat, atque etiam venturis temporibus apta manebunt quæ abhinc triginta fere sæcula David cecinit : « Ortus est sol... exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum. » Ps. CIII, 23.

Probatur Minor. Acre proculdubio incitamentum est laboranti spes vel proprium dominium excolendi et

ampliandi, vel ad possessionem prædii pro se suaque progenie perveniendi, vel saltem, quo major ac solertior fuerit labor, eo majorem rerum utilium copiam sibi suisque procurandi. Ablata proprietate privata, auferetur acer ille stimulus, sine quo necessarius labor languescet, quum sit homo ex sua natura ad arduum laborem segnis. Frustra provocant plures collectivistæ ad fraternitatis spiritum, quo ducti homines libenter exantlarent labores quosvis communitati humanæ necessarios. At quomodo perficient ipsi quod Ecclesia minime potuit : quibus auxiliis ad tantam perfectionem, quæ hucusque paucorum fuit, humanum genus totum attollent ? — Frustra alii putant fore sufficientem laboris stimulum eo quod omnes perspecturi sint per operam singulorum crescere collectivan proprietatem ac prosperitatem et hanc ipsam in singulorum commoditatem redundare. Num vere efficaciter ad laborem excitabis opificem, si ipsi proponas ex ejus labore strenuo, per unum annum protracto, auctam iri fortunam collectivam Belgii ea quantitate quam v. gr. nunc sexcentis francis æstimamus, ita ut in ipsum et singulos Belgas redundet aliquod commodum æquivalens decimæ millesimæ unius franci parti ? Reapse non stimulus laboris, sed pigritiæ erit invitamentum, quod videant singuli se, quidquid agant, communi prosperitati et inde redundanti proprio commodo vix addere aliquid, vix demere posse. Et quum communiter homines ita sint dispositi ut facillime credant se plus et utilius cæteris laborare, hoc sibi maxime cavendum putabunt ne suo labore impigro alios desidiosos alant. Unde merito concludimus cum SS. D. Leone XIII, Encycl. *Rerum Novarum:* « ademptis ingenio singulorum sollertiæque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent : eaque, quam fingunt cogitatione, æquabilitas, aliud revera non esset nisi omnium æque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio. »

II. Ut labor ille fructus suos humano generi necessarios producere valeat, quammaxime requiritur ordinata laboris distributio, quo singulorum operatio certis limitibus circumscribatur. Hoc quidem satis apte consequitur ex divisione possessionum, qua singulis possidentibus propria actionis sphæra constituitur. Ubi vero essent omnibus omnia communia, singulis nec facultas denegari, nec cupido tolli posset, exercendi vires corporis ac mentis in operibus pluribus atque diversis. « Esset autem confusio, si quilibet indistincte quælibet procuraret. » Immorari non debemus iis confutandis qui asserunt ordinatam divisionem laboris sponte orituram ex ipsa varietate aptitudinum et inclinationum, aut ex alternatione plurium artium singulis permissa. Unicum esset vitandæ confusionis medium : deferre divisionem laboris Statui, iis nempe qui pro tempore rerum potirentur ; quorum esset, per præpositorum catervas, pueros ad certas artes instruere, instructos applicare, laboris modum, locum, tempus, directionem opificibus præscribere. At ita vitata anarchia, incideremus in tyrannidem, in duram et universalem servitutem, quam cives diu non tolerarent, quia et naturalia individui familiæque jura læderet, et cum prætensa libertate et æqualitate communismi nullatenus conveniret.

III. Necessarius est sociali vitæ status pacificus. Jamvero systema possessionis privatæ per se conducit ad pacem et concordiam, quamvis ex humana infirmitate frequentes lites circa possessiones oriantur. At systéma communismi aut collectivismi per se causa exstaret jugis discordiæ circa complexissimam ordinationem communis laboris ejusque fructuum æquabilem distributionem. « Videmus, ait S. Thomas, quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur. » Et in 2m Politicorum, lect. 4 : « Valde difficile est quod multi homines simul

ducant vitam, quod communicent in quibusdam humanis bonis et præcipue in divitiis. Videmus enim quod illi qui in aliquibus divitiis communicant, multas habent dissensiones ad invicem. Si omnes cives haberent communes omnes possessiones, plurima litigia inter eos existerent. Manifestum est quod multo melius est quod sint propriæ possessiones secundum dominium. Dum unusquisque intromittit se de suo proprio et non de eo quod est alterius, non fiunt litigia inter homines quæ solent fieri quando multi habent unam rem procurare, dum uni videtur sic et alii aliter faciendum. » Nec jurgia ista, quod bene notandum, privata manere possent, sed suapte natura in publicas perturbationes ac seditiones transirent. Unde iterum genus humanum anarchiam inter et tyrannidem frustra quæreret viam pacis ac prosperitatis; ideo, doctum experimento, mox ipsam discordiæ causam removeret.

Mittimus alia argumenta; signanter argumentum desumptum, hinc quidem ex facto institutæ proprietatis stabilis privatorum apud cultas gentes omnes, omnibus retro sæculis, — hinc vero ex tentaminibus frustraneis stabilem civitatem communisticam alicubi instituendi. Mittimus etiam responsa ad objectiones petitas ex voluntario communismo primorum christianorum et ordinum religiosorum, aut ex aliqua communismi specie quam deprehendunt in exercitibus permanentibus, in magnis fabricis modernis et in magnis societatibus anonymis.

Cfr. præter tractatus theologicos opera recentia: S. Deploige, la théorie thomiste de la propriété; A. Castelein, S. J., le socialisme et le droit de propriété, ch. XII-XIII; Ch. Antoine, S. J., Cours d'économie sociale, chap. XVI.

O. E. D.

VI

Q. Un curé fait inhumer, sans autorisation préalable de l'officier de l'état civil, et dans un compartiment non bénit du cimetière, un enfant mort-né et non baptisé. Comment appréciez-vous, au point de vue de la législation civile, cette manière d'agir ?

R. Pour apprécier avec justesse cette manière d'agir, il importe de considérer successivement les divers actes qu'on peut distinguer dans la conduite du curé, et de les mettre en regard des dispositions législatives qui peuvent trouver leur application dans l'espèce.

I. Le curé *fait inhumer* etc.

Le curé, par cela seul qu'il *donne des ordres* pour le creusement de la fosse et l'inhumation d'un cadavre dans le cimetière, contrevient à l'article 16 du décret du 23 Prairial an XII, qui confère au bourgmestre, seul chargé par la loi de faire procéder à l'inhumation des morts, l'autorité, la police et la surveillance dans les lieux consacrés à la sépulture ; et il se rend coupable du délit d'immixtion dans les fonctions publiques, prévu par l'article 227 du code pénal (1). Pour que ce délit existe, il n'est pas nécessaire pour l'auteur ait usurpé le titre ou la qualité du fonctionnaire, ni que l'inhumation constitue une infraction à la loi. Cour de Gand, 31 Juillet 1881 (*Pasic.*, II, 225).

Cette disposition est applicable à l'inhumation des enfants morts-nés ; cependant la prévention ne serait pas justifiée si le curé n'avait fait qu'indiquer, à la demande du fossoyeur, l'endroit où, selon lui, les enfants morts sans baptême doivent être enterrés, sans

---

(1) Voici le texte de cet article : « Quiconque se sera immiscé dans les fonctions publiques, civiles ou militaires, sera puni d'un emprisonnement d'un mois à deux ans. »

adresser au fossoyeur aucune injonction. Cour de Liége, 20 Novembre 1885 (*Pasic.* 1886, II, 114).

La même observation s'applique aux autres infractions dont nous parlerons.

Il... *sans autorisation préalable,* un *enfant mort-né.*

Le fait de faire inhumer, sans autorisation, un enfant mort-né constitue une contravention à l'article 77 du code civil, et tombe sous l'application de l'article 315 du code pénal.

Aux termes de l'article 77 du code civil : « Aucune inhumation ne sera faite sans une autorisation, sur papier libre et sans frais, de l'officier de l'état civil, qui ne pourra la délivrer qu'après s'être transporté auprès de la personne décédée pour s'assurer du décès, et que vingt-quatre heures après le décès, hors les cas prévus par les règlements de police. »

Cette disposition est sanctionnée par l'article 315, § 1, du code pénal, qui est ainsi conçu : « Seront punis de huit jours à deux mois d'emprisonnement, ou d'une amende de vingt-six francs à trois cents francs ceux qui, sans l'autorisation préalable de l'officier public (1), *auront procédé ou fait procéder* à une inhumation. »

« Cet article s'applique à tous ceux qui auraient soit procédé eux-mêmes à l'inhumation, soit donné l'ordre d'y procéder, sans avoir, au préalable, obtenu l'autorisation nécessaire à cette fin ». Rapport fait au Sénat,

(1) L'autorisation préalable de l'officier public, qui est requise par l'article 315 du code pénal pour qu'il puisse être procédé à une inhumation, doit être délivrée *par écrit* (Art. 77 du code civil). Cour de Bruxelles, 8 Décembre 1876 (*Pasic.* 1877, II, 153) ; Cour de Gand, 19 Mars 1883 (*Pasic.* II, 176). Une autorisation *tacite,* telle que celle résultant de la présence à l'inhumation de l'officier public compétent, n'est pas élisive du délit. Arrêt cité de la Cour de Gand Cependant il a été décidé, mais à tort, croyons-nous, qu'une autorisation *verbale* peut suffire. Justice de paix de Viel-Salm, 14 Février 1886 (*Pasic.*, III, 197). Voyez dans le même sens, Cour de Liége, 25 Novembre 1875 (*Pasic.* 1876, II, 70). Comp. *Het Vlaamsch Bestuur,* V, 344.

par M. d'Anethan (Nypels, *Législation criminelle de la Belgique,* Brux. 1869, T. II, p. 712). Il est donc applicable au curé, comme à toute autre personne, qui contrevient à l'article 77 du code civil. C'est même « pour punir le fait d'un curé qui procède à *l'inhumation* » (1), que les mots : *auront procédé ou fait procéder*, ont été insérés dans le texte du projet. Exposé des motifs, par M. Haus (Nypels, *ouv. cité,* T. II, p. 535).

La seule question à examiner ici est celle de savoir si l'autorisation prescrite par les articles 77 du code civil et 315 du code pénal, est requise pour l'inhumation d'un *enfant mort-né.*

Nous disons : d'un *enfant* mort-né, c'est-à-dire d'un être humain arrivé à sa vitalité (2). Car le fœtus ou avorton non viable peut être inhumé sans autorisation et en quelque lieu que ce soit, parce qu'il ne constitue pas un être formé, une personne dont la loi civile puisse s'occuper.

Ceci posé, nous croyons que, vu les termes généraux dans lesquels les dispositions susmentionnées sont conçues, la question doit être résolue dans le sens de l'affirmative. Ici cependant surgit une difficulté. Le rapport de M. Pirmez contient la déclaration suivante, qui est de nature à faire naître le doute : « Les mots : *fait inhumer un individu décédé,* qu'on lit dans le code français ont soulevé la question de savoir si la peine peut être encourue pour l'inhumation d'un enfant mort-né. Quelle qu'ait pu être la solution à donner à cette question au point de vue juridique, les inconvé-

(1) L'article 315 n'atteint pas le ministre du culte qui se borne à faire la levée du cosps et à célébrer les cérémonies religieuses des obsèques ; il ne sert pas de sanction au décret du 4 Thermidor an XIII. Les termes mêmes de l'article, et le rapport, fait à la Chambre des représentants par M. Pirmez (Nypels, *ouv. cité,* T. II, p. 564), le prouvent clairement. Voir Tribunal de Termonde, 20 Avril 1880 (*Pasic.*, III, 267).

(2) D'après le système du code civil, l'enfant est réputé viable le 180me jour après la conception. Art. 312 et ss.

nients que l'affirmative entraînerait doivent la faire rejeter par la loi ; tel est le but du remplacement de ces mots par ceux-ci : *fait procéder à une inhumation.* » Il est donc évident que, dans l'intention de l'honorable rapporteur, l'article 315 ne pourrait s'appliquer à l'inhumation sans permis d'un enfant mort-né. Mais nous avouons ne pas bien comprendre comment la modification apportée au texte du code français réponde au but proposé : s'il pouvait y avoir des doutes sur la question de savoir si un *enfant mort-né* était un *individu* décédé, il semble indubitable que l'acte de mettre en terre un enfant viable mort-né est bien une *inhumation,* à laquelle, dès lors, s'appliquent les lois sur la sépulture. Telle semble d'ailleurs (contrairement à la manière de voir du rapporteur, M. Pirmez) la portée de ce passage de l'Exposé des motifs : « Pour écarter les doutes qui se sont élevés en ce qui concerne l'inhumation des enfants mort-nés, nous avons remplacé les mots : *auront fait inhumer un individu décédé,* pour ceux-ci : *auront fait procéder à une inhumation* ».

Quoi qu'il en soit, les tribunaux ont décidé qu'il appert des termes de la loi aussi bien que des travaux préparatoires du code pénal de 1867, que le législateur, modifiant la rédaction du code de 1810, a entendu rendre le § 1er de l'article 315 applicable à l'inhumation d'un enfant mort-né. Tribunal de Verviers, 22 Février 1877 (*Pasic.,* III, 209) ; Tribunal de Bruxelles, 26 Novembre 1885 (*Pasic.,* 1886, III, 47) ; Cour de Bruxelles, 8 Février 1877 (*Pasic.,* II, 112) ; Cour de Liége, 23 Mai 1890 (*Pasic.,* II, 351).

III.... *dans un compartiment non bénit du cimetière.*

En cela, le curé se conforme aux prescriptions de l'Eglise ; et il ne viole aucun texte de la loi civile.

L'article 15 du décret du 23 Prairial an XII, en disposant que, dans les communes où l'on professe

plusieurs cultes, chaque culte *doit* avoir un lieu d'inhumation particulier ou tout au moins une partie distincte et séparée dans le cimetière commun, a légalement consacré le principe des cimetières confessionnels, et le droit, pour chaque culte, et spécialement pour le culte catholique (Art 1er du Concordat), d'exclure de son lieu d'inhumation ceux que l'autorité religieuse repousse comme étrangers à la communauté ou indignes de reposer dans son cimetière. Rien, dans le texte ni dans les travaux préparatoires, n'autorise à prétendre que le législateur de l'an XII, en prévoyant le cas réglementé par l'article 15, ait entendu prohiber la subdivision du cimetière dans d'autres cas ; bien au contraire, il a implicitement autorisé l'existence d'une ou plusieurs parties réservées en dehors des cimetières confessionnels, puisque l'existence de ces parties est le complément logique du système consacré par lui. Cette interprétation s'impose surtout en Belgique où la liberté des cultes et de leur exercice public est garantie par la Constitution. Telle est d'ailleurs la doctrine professée par les hommes les plus distingués du barreau et de l'administration. et consacrée par une pratique constante et uniforme de quatre-vingts ans.

Cependant, cette thèse, si solidement établie et si universellement admise, parce qu'elle est favorable aux droits de l'Eglise catholique, a succombé, comme tant d'autres, non sous la force des arguments, mais sous les coups de la puissance ; elle n'a pu résister aux envahissements vexatoires du libéralisme sectaire ; et il s'est produit, fort tardivement, il est vrai, un revirement de doctrine et de jurisprudence, qui est manifestement dû à une tendance politique étrangère à la légalité. D'après le système nouveau, inauguré en 1878 par l'autorité administrative (1), confirmé depuis

(1) Arr. roy. des 10 Octobre et 2 Novembre 1878 ; circ. minist. du 6 Janvier 1880.

par une longue série d'arrêts rendus par nos trois Cours d'appel (1), et consacré même par la Cour de Cassation (2) (qui être le phare lumineux qui guide la jurisprudence, et la gardienne vigilante et anxieuse de la légalité), l'inhumation des morts est, en droit moderne, un acte purement civil ; et les terrains y consacrés sont, de ce chef, affectés à un service public, et constituent des propriétés communales, auxquelles tous les habitants de la commune ont, en cette seule qualité, un droit absolument égal. « Il n'y a plus de cimetières catholiques, il n'existe que des cimetières civils, communaux et absolument neutres, dépourvus de toute attache religieuse, affranchis par conséquent de toute espèce de subordination ou dépendance vis-à-vis de n'importe quels cultes ». Mesdagh de ter Kiele, *Réquisitoire à l'arrêt de la Cour de Cassation du 23 Octobre 1882*. La sécularisation des cimetières, et les principes de l'égalité devant la loi et de la liberté des cultes (?), reconnus par la législation du temps et consacrés de nouveau par les articles 6 et 14 de la Constitution belge, s'opposent à ce qu'il soit établi dans les cimetières aucune division fondée sur la différence des opinions religieuses ou philosophiques, sauf dans le

(1) Arrêts de la Cour de Gand, 14 Décembre 1880 (*Pasic.*, 1881, II, 45); 13 Juillet 1881 (*Pasic.*, II, 225) ; 7, 24 et 28 Décembre 1881 (*Pasic.*, 1882, II, 48, 51 et 249) ; 22 Juillet 1882 (*Pasic.*, II, 273) ; 3 Décembre 1884 (*Pasic.*, 1885, II, 56); 14 Janvier et 12 Août 1885 (*Pasic.*, II, 120 et 372); — Cour de Bruxelles, 7 Août 1883 et 21 Janvier 1884 (*Pasic.*, 1884, II, 78 et 218) ; 5 Août 1885 (*Pasic.*, II, 346); 3 Juin 1889 (*Pasic.*, II, 352); — Cour de Liége. 7 Août 1885 (*Pasic.*, II, 345) ; 20 Novembre 1885 (*Pasic.*, 1886, II, 114) ; 23 Mai 1890 (*Pasic.*, II, 351) ; 24 Décembre 1892, rendu *contrairement* aux conclusions remarquables de M. l'avocat général Delwaide (*Mém. belge*, 1893, 499); 21 Juillet 1893 (*Pasic.*, 1894, I, 15).

(2) Arrêts du 6 Juin 1879 et concl. conformes de M. le proc. gén. Faider (*Pasic.*, I, 310) ; du 21 Février 1882 et concl. conf. de M. l'avocat gén. Melot (*Pasic.*, I, 113); du 23 Octobre 1882 et concl. conf. de M. le premier avocat gén. Mesdagh de ter Kiele (*Pasic.*, I, 354) ; du 3 Mars 1884 (*Pasic.*, I, 255) ; et du 23 Octobre 1893 (*Pasic.*, I, 15).

cas exceptionnel de l'article 15, qui est une disposition dérogative aux principes et ne peut, dès lors, être étendu au delà du cas qu'il prévoit (1). D'où il suit que, dans les communes où un seul culte est publiquement professé, aucune division ne peut être légalement établie dans le cimetière ; partant celui qui procède ou fait procéder à une inhumation dans un compartiment particulier, différent du terrain légalement affecté de la sépulture (2), contrevient à l'article 15 du décret de Prairial, et encourt les peines édictées par l'article 315, § 2, du code pénal contre « ceux qui auront contrevenu, de quelque manière que ce soit, aux lois et aux règlements relatifs aux lieux de sépulture » (3).

Ces principes sont applicables à l'inhumation d'un enfant mort-né et non baptisé. Cour de Gand, 14 Décembre 1880 ; Tribunal de Bruxelles, 26 Novembre 1885 (*Pasic.*, 1886, III, 47) ; Cour de Liége, 20 Novembre 1885.

---

(1) Que d'erreurs historiques et juridiques accumulées dans ces quelques lignes ! Ce n'est pas ici l'endroit de réfuter toutes ces énormités ; nous ne pouvons cependant pas nous empêcher de protester, et de nous unir aux vaillants magistrats de nos tribunaux de 1re instance, qui ont, vainement il est vrai, mais puissamment, élevé la voix contre cette jurisprudence absolument étrangère au droit et à la vérité. Voir p. ex. Trib. Courtrai, 17 Novembre 1881 (*Pasic.*, 1882, III, 336) ; Louvain, 23 Mars 1883 (*Pasic.*, III, 278) ; Gand, 6 Mai 1885 (*Pasic.*, II, 273) ; Nivelles, 22 Septembre 1888 (*Pasic.*, 1889, III, 379).

(2) Il importe peu que la parcelle non bénite ne soit entourée d'aucune séparation matérielle, qu'elle présente les mêmes conditions de décence, et qu'aucune circonstance extérieure ne lui donne l'aspect d'un terrain voué à l'opprobre, si, en fait, elle est frappée de la réprobation publique à raison de son éloignement des autres sépultures et de son affectation spéciale. Cour de Gand, 7 et 24 Décembre 1881 ; Cour de Bruxelles, 5 Août 1885 et 3 Juin 1889. — Voir cependant les conclusions de M. l'avocat général Bosch, à l'arrêt de Cassation du 23 Octobre 1893.

(3) En outre, cette infraction pourrait, dans certaines circonstances, constituer un outrage à la mémoire du défunt, qui justifie une condamnation à des dommages-intérêts. Cour de Gand, 14 Janvier 1885 ; Cour de Bruxelles, 3 Juin 1889.

Cependant ce dernier arrêt a décidé que, lorsqu'il existe de temps immémorial dans le cimetière un compartiment distinct, d'ailleurs convenable et décent, pour l'inhumation des enfants morts sans baptême, sans qu'il soit possible de rattacher cette séparation à un acte émanant des autorités locales, elle ne constitue pas une division dans le sens du décret de Prairial, mais doit être considérée comme un simple état de fait. En conséquence, le fossoyeur qui a procédé à une inhumation dans ce compartiment ne contrevient pas à l'article 15 du décret ; et, la prévention à charge de l'auteur principal venant à disparaître, il doit en être de même de celle qui serait à la charge du curé qui aurait provoqué le fossoyeur à commettre l'infraction qui lui est reprochée. Il en serait autrement si le bourgmestre avait fait cesser cet état de fait en prescrivant formellement d'enterrer les enfants mort-nés dans le cimetière commun.

Conclusion. Dans l'espèce, le curé qui donne l'ordre d'inhumer, sans autorisation préalable de l'officier public, et dans un compartiment distinct, séparé du cimetière affecté légalement aux inhumations, un enfant mort-né et non baptisé, commet le délit d'immixtion dans les fonctions publiques, viole l'article 77 du code civil, contrevient, d'après la jurisprudence en vigueur, aux dispositions du décret de Prairial, et se rend passible des peines comminées par les articles 237 et 315 du code pénal belge.

C. V. C.

Evangelia dominicarum

DOM. INFRA OCTAV. EPIPHANIÆ.

Inventio Jesu in templo. Luc. II, 42-52.

42. Toen Jesus twaalf jaren oud geworden was, en zij naar Jerusalem opgegaan waren, volgens de gewoonte van den feestdag, 43 en, de dagen voleindigd hebbende, wederkeerden, bleef het kind Jesus te Jerusalem, en zijne ouders en wisten het niet; 44, doch vermoedende, dat hij in het gezelschap was, gingen zij eene dagreize ver, en zochten hem onder de magen en de kennissen. 45. En daar zij hem niet en vonden, zoo keerden zij naar Jerusalem weder, hem opzoekende. 46. En het geschiedde na drie dagen, dat zij hem vonden in den tempel, zittende in het midden der leeraars, hen hoorende, en hen vragende. 47. En allen, die hem hoorden, waren verbaasd over zijn verstand en zijne antwoorden. 48. En hem ziende, waren zij verwonderd. En zijne moeder zei tot hem: Kind, waarom deedt gij ons alzoo? Zie, uw vader en ik zochten u met smerte. 49. En hij zei tot hen: Waarom zocht gij mij? Wist gij niet dat ik in de dingen mijns Vaders moet zijn? 50. En zij verstonden het woord niet, dat hij tot hen sprak. 51. En hij trok met hen af, en kwam te Nazareth; en hij was hun onderdanig. En zijne moeder bewaarde al deze dingen in haar herte. 52. En Jesus nam toe in wijsheid en ouderdom, en in genade bij God en de menschen.

*
* *

Notationes

Et cum factus esset Jesus annorum duodecim... « In quod Christus a parentibus simul ductus est in Jerusalem, et hac in parte parentibus obedierit, qui alieno

non indigebat magisterio, paratum est exemplum parentibus castæ educationis, nempe, quòd oporteat parentes ex sese prognatos statim, et ab ipsis (ut aiunt) incunabulis arcere ab omni lascivia, sanctisque moribus, ac pietatis studiis assuefacere : et omnibus filiis ostensa forma est, quomodo debeant morigeros sese præbere parentibus ad ea, quæ honesta sunt hortantibus. » Jans. Gand.

Consummatisque diebus « Quamquam non omnibus illis septem diebus Jerosolymis manere tenerentur, videntur tamen ex pio erga Deum affectu, Joseph, Maria, aliique Galilæi plurimi, id fecisse » Luc. Brug.

Remansit puer Jesus in Jerusalem... « Causa non fuit error, non casus, aut inobedientia, sed Dei consilium, ut ostenderet se in sui Patris cælestis negotiis esse suæ libertatis et authoritatis, independentem à Parentibus carnis : ut specimen aliquod suæ Divinitatis in illa ætate præberet : ut modestiæ magnitudinem intelligeremus, qui, cum talia posset, et ante et postea tot annos in silentio privatus ignotusque latuit, nihil more vanorum hominum et fervidorum moliens ante tempus » Jans. Ipr. « Indicium quoddam raræ suæ sapientiæ dare voluit, et velut radiolum aliquem sui splendoris spargere, ad confirmandam fidem, tum parentum, tum aliorum, qui ab ipso salutem Israelis expectabant. Deinde, et ostendere voluit ad quid a Patre in hunc mundum missus esset, quamque ad peragenda Patris sui mandata jam in tenera ætate gestiret. Duodecimo autem anno id convenienter factum est, quod eo tempore discretionis judicium perfectum esse incipiat, et pueritia terminari. Porro *insciis parentibus* istud Christus fecit, ne ab eis retraheretur, aut eos contemnere videretur, si retrahentibus non obediret : præterea quò doceret renunciandum esse parentum, cognatorumque affectibus ei, qui velit cœlestis doctrinæ professionem suscipere : mandataque Dei amicorum affectibus esse

præponenda, et in Evangelico negotio nullam esse carnalium parentum auctoritatem spectandam... Itaque laudatur Deuteron. 33 tribus Levi, quod *dixerit patri suo, et matri suæ : Nescio vos ; et fratribus suis : Ignoro vos ; et nescierunt filios suos.* » Jans. Gand.

Existimantes autem illum esse in comitatu « Ideo (Evangelistam hoc) dixisse arbitror, ut a parentibus omnem negligentiæ, culpæque suspicionem removeret.» Maldon.

Requirentes eum, animo vehementer afflicti atque anxii, v. 48 « Quamquam enim Jesum Dei Filium credebant, ei tamen humano quodam affectu omnia metuebant, quæ parentum pietas dilectis filiis metuere solet : eo magis quod eum in his, quæ ad corpus spectant, communem hominum consuetudinem servare noverant ; eumque contradictores et adversarios experturum esse audiverant a Simeone. Aliàs qui potuissent non dolere de amisso eo quem suæ curæ divinitus commissum sciebant, quemque tenerrimo, ut par erat, affectu diligebant. » Liagre.

Post triduum, i. e. tertia die, *invenerunt illum in templo,* « non ludentem, nec ociosum, sed *sedentem in medio doctorum,* h. e., inter doctos. Inter quos sese non ingesserat tanquam doctor, quanquam unus esset omnium magister, nec cum fastu et procacitate (quæ vitia solent adesse pueris præcocis ingenii) jactabat eam, qua plenus erat sapientiam, sed velut discendi cupidus inter eos sederat, *audiens* scilicet *eos, et* vicissim *interrogans.* Non quòd necessitas illi esset sciscitari ab hominibus, quod disceret, sed quò omnibus junioribus exemplum modestiæ, et disciplinæ præberet. Hic est enim rectus disciplinæ ordo, primò diligenter audire doctos, et senes, deinde ab eis de auditis inquirere, juxta illud Eccl. 32. *Audi tacens simul et quærens, et pro reverentia accedet tibi gratia bona.* Simul etiam hoc suo exemplo Salvator nos ad discendi S. Scripturas studium accendere voluit, ac docere nullam ætatem

esse præproperam, et immaturam ad discendum ea quæ sunt pietatis. Interrogabat etiam prudenter Salvator, ut interrogando doceret eos qui legis scientiam profitebantur. Ex uno enim fonte doctrinæ manat, et interrogare, et respondere prudenter, teste Origene. » Jans. Gand.

Stupebant... responsis ejus « Et merito quidem stupebant, quòd tantillus puer interrogationibus, et responsis suis admirabilem quamdam et plusquam senilem declararet sapientiam, in tenera illa, et indocta ætate ea promens, quæ doctores provectæ ætatis non pigeret discere. Itaque imbecilli corporis ætate, ipsaque interrogatione se hominem esse declarabat : ipsa autem in interrogando, et respondendo prudentia, supra hominem se esse satis manifestavit. Verisimile autem auditores non solùm admiratos ejus prudentiam, sed et raram vultus, gestus linguæque modestiam, quæ gratiam addebat intelligentiæ, et sine qua explosa fuisset a doctoribus ejus in interpellando audacia. Proinde non obscure hæc pueri Jesu modestia hic insinuatur, cum significetur doctores non dedignatos et audire illum interrogantem, et vicissim illum interrogare. — Jam autem non vacat utili mysterio, quod non statim cum quæritur, invenitur, quodque qui quæsitus inter cognatos, et notos inveniri non potuit, Hierosolymis in templo repertus est. Id enim nobis significat Christum instanter quærendum, eumque humana nec cognatione, nec cognitione comprehendi. Deinde eumdem ibi inveniri non posse, ubi res agitur humanis affectibus, aut his rebus visibilibus studetur quæ pereunt cum hoc mundo, sed in Jerusalem tantum, et in templo Dei, hoc est, in Ecclesia, idque tantùm inter eos, quibus rerum divinarum cura est, quique non de iis rebus disputant, quæ citra salutis dispendium nesciuntur, sed de cognitione Sacrarum Litterarum, per quas Deus nobis viam ostendit, qua possimus æternam assequi salutem. » Jans. Gand.

Et videntes eum parentes ejus *admirati sunt* « actum illum pueri duodecennis tam insolitum. *Et dixit mater ejus ad illum,* tamquam potior jure geniti, dolore amissi, amore et gaudio inventi filii : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Mirantis dolentisque, non reprehendentis verba sunt : nec rogat, cur remanserit, aut cur disputaverit cum Doctoribus, quod jure suo facere poterat, sed *quid fecisti nobis sic?* Ut scilicet nobis insciis remanseris, qui tuo amore et dolore torquebamur... *Ecce pater tuus et ego* (maritum præponit sibi, ut ubique humilitate esset prima) *dolentes,* quia summopere amantes, *quærebamus te:* quasi diceret, cum te hoc scire non ignoremus, miramur, cur feceris nobis sic, si facere constitutum erat. Nam sicut mater non minus affectuose quam humiliter et fiducialiter exprimit animum suum » Jans. Ipr. « Porro modestia parentum Christi satis hìc notatur, dum viso puero sedente in medio doctorum, qui omnibus erat admirationi, solùm admirati dicuntur, non sibi placuisse, nec de tali sese jactasse filio. » Jans. Gand.

Tropologice : « anima quæ perdidit Jesu gratiam per peccatum mortale, vel solitam familiaritatem per negligentiam venialem, requirat eum *primo,* cum dolore et lacrymis cordis compuncti. *Secundo,* requirat eum cum magna sollicitudine et studio, ut fecit B. Virgo, idque in templo, nimirum vacando orationi, lectioni et meditationi rerum spiritualium. *Tertio,* requirat eum inter doctores, id est inter viros doctos et pios, qui eam in scientia æque ac pietate instruant. » a Lapide.

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis...? « Duplici hac interrogatione Christus significat non fuisse causam cur illi ipsum anxie quærerent ; quum scire deberent incumbendum ipsi esse in negotia Patris sui cœlestis, indeque colligere ipsum non aliam ob causam se subduxisse. Itaque non reprehendit eos quod ipsum quæsierint dolentes : hoc quippe summe amantium fuerat ; neque reprehendit quod non cogitaverint ipsum

in sui Patris cœlestis negotiis esse occupatum : hactenus enim nihil ejusmodi quidquam egerat ; sed reprehendentis specie monet eos ut altiora de ipso cogitare discant : significans hanc suam agendi rationem eo tendisse, ut jam intelligerent ipsum Patri suo cœlesti debere officium omnibus humanis affectibus et obsequiis anteponendum, et in quo exsequendo nulli prorsus humanæ auctoritati esset obnoxius. » Liagre.

Et ipsi non intellexerunt verbum... « rationem quà ille munus suum obiturus esset, ac populum salvaturus, et quomodo ad salutem populi spectaret illa cum Doctoribus inita dissertatio, nondum sciebant. Nesciebant enim, quòd docendo partim, partim sufferendo, populi salutem esset procuraturus. Neque vero repugnat perfectioni Virginis ea ignorantia : perfecta enim tunc temporis erat, charitate præcipue, scientià verò catenus dumtaxat, quod nihil eorum ignoraret, quæ eo tempore eam scire oporteret... Quare satis fuit nunc insinuasse, et quasi semen jactasse, quod suo tempore fructum faceret, prout fecit in Virgine conservante omnia in corde suo. Porro quamvis non intelligerent parentes sermonem Jesu, non tamen rogarunt ut explicaret : tantà enim puerum reverentià prosequebantur, quantà reverentur sermonem ejus, etiam non intellectum : contenti interim puero invento. » Luc. Brug.

Erat subditus illis « Quis ? quibus ? Deus hominibus, nec tantum Mariæ, sed et Joseph ? utrimque stupor, utrimque miraculum ; et quod feminæ Deus obtemperat, humilitas sine exemplo ; et quod femina principatur Deo, sublimitas sine socio... Erubesce, superbe cinis : Deus se humiliat, et tu te exaltas ? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori ? quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. » S. Bern. serm. I super *Missus est.*

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

«Hanc diligentiam etiam supra v. 19 commendaverat, ut videlicet hac repetitione indicaret et fidei ejus et venerationis magnitudinem erga Puerum, ex qua talis cura nascebatur. *In corde suo,* ea ruminando, eorumque mysteria perscrutando, quibus intellectum pasceret, et aliis postea divulganda proferret. Quo insinuatur et modestia Virginis, et simul prudentia, quæ nihil de filio muliebri loquacitate jactitaret. » Jans. Ipr.

Et Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia.

« Dicendum, quod in sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiæ et gratiæ augmentatos : et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit : et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et ætate, quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quæ sunt ad Deum, et in his quæ sunt ad homines. » S. Thomas, *P. III, q. 7, art. 12 ad 3.* — « Cæterum qui Jesum Christum semel induerunt, hos oportet ad illius exemplum semper ad meliora conniti, studereque ut vitæ sinceritate et se semper magis commendent Deo, et honestiorem sibi semper famam apud homines parent, ut qui in eis semel natus est Christus, in eis etiam semper grandescat et adolescat.» Jans. Gand.

« Si ergo quæras ex Evangelista, quid egerit Jesus totis triginta annis antequam baptismum susciperet, hoc solùm respondet, quòd parentibus convixerit, subditus illis, et profecerit, ut ætate, ita omni genere exteriorum actionum virtutis, quibus et Dei et hominum gratiam sibi conciliarit. » Luc. Brug.

G. V. D. P.

Pro recollectione menstrua

Meditatio

De cœlo.

I. Considera et perpende, quantum per humani ingenii imbecillitatem licet, quanta sit illa beatitudo quam Deus *præparavit diligentibus se.* — Est enim :

1) Status expers *omni malo,* quod præsentem vitam inficere solet. Nam *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* — « In cœlo, ait Aug., non est mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indignatio, nulla tristitia. Ibi insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors neque corporis neque animæ, sed immortalitatis munere vita jucunda. Ibi juventus nunquam senescit, ibi vita terminum nescit, ibi decor nunquam pallescit, ibi amor nunquam tepescit, ibi sanitas nunquam decrescit. Ibi dolor nunquam sentitur, ibi gemitus nunquam auditur, ibi triste nihil videtur, ibi lætitia semper habetur ; ibi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est semper videre faciem Domini virtutum. » — Nonne vel ex hoc solo summe desiderabilis apparet beatitudo illa cuivis persentienti quam *multis repletur miseriis* terrestris hæc vita... Sed insuper est :

2) Status *omni bono* refertus. — Consistit enim essentialiter in visione intuitiva ac inde consequente fruitione ipsius Dei, summi boni : *Ego,* ait Dominus, *ero merces tua magna nimis.* Quid autem ei ad perfectam

felicitatem deesse potest, qui Deum optimum et perfectissimum, fontem omnis boni, possidet? Unde Propheta : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Satiatur cœlicolarum *intellectus* contemplando ipsam veritatem, Deum, non jam eminus *per speculum in ænigmate*, sed cominus et proprie *facie ad faciem :* deducto quasi velo et in lucidissima claritate introspiciunt beati in divina arcana, intuentur SS^mæ^ Trinitatis mysterium, immensam Dei pulchritudinem, omniumque perfectionum ejus infinitum splendorem, atque « in eis est rerum omnium scientia sine errore vel labore, quia Dei sapientia de ipso suo fonte potantur. » (Aug.) Satiatur eorum *voluntas* amore infiniti boni, dilucidè per intellectum propositi ; quod ardentissimo affectu complectuntur, et cui arctissimo charitatis vinculo uniuntur ; sicque ipsius Dei beatitudine participes effecti vere *intrant in gaudium Domini sui ;* atque toti quanti velut in deliciarum oceano immersi, *inebriantur ab ubertate domus Dei* et quasi *torrente voluptatis potantur !*

O vere beata unio cum Deo, per quem omnia bona nobis affluent, atque omne nostrum desiderium explebitur ! Etenim « affluet potentia, quia erimus reges et filii Dei : affluet sapientia, quia ipsum sapientiæ fontem tenebimus et contemplabimur : affluet sanctitas, quia eximius ille amor est summa sanctitas et omnium virtutum perfectio : affluent divitiæ, quia regnum cœlorum et omnes ejus opes nostræ erunt : affluent honores, quia omnes tanquam filii Dei excipiemur et honorabimur : affluet pulchritudo, quia corpore instar solis fulgebimus, mente instar divinitatis : affluent gaudia et delectationes..., sicut enim erit incomprehensibilis copia bonorum, ita etiam erit et gaudiorum et delectationum. Affluet pax et securitas, quia nihil nec foris nec intus unquam turbare nos poterit ; nihil nobis accidere triste vel quod minus gratum. » (Lessius) —

Accedit plenissima certitudo hanc beatissimam sortem fore perennem, quia, ipso Deo testante, *justi in perpetuum vivent; — erit lætitia sempiterna super capita eorum; — regnabunt in sæcula sæculorum.*

II. *Conclusiones* inde deducendæ. — 1) Quam vana apparent in conspectu cœlestis beatitudinis ista omnia quæ mundani tanto studio conquirunt, honores, divitiæ, voluptates et quidquid mundus suis sequacibus offerre potest! Et quam merito exclamabat Ignatius: « O quam terra sordescit quando cœlum aspicio ! » Quam stulte igitur ageres tu, sacerdos, si terrenis istis et caducis cor apponeres et propter illa immensam ac æternam felicitatem quæ in cœlo te manet sortis periculo exponeres. Ergo jam sursum erige cordis affectus et desideria, *ubi vera sunt gaudia !*

2) Sed memento quod cœlum est *merces,* hæc autem non tribuitur nisi laboranti ; *labora igitur sicut bonus miles Christi,* et si quandoque labor terreat, merces invitet. Diligenter excole portionem vineæ Dominicæ tibi commissam, *abundans in opere Domini semper, sciens quod labor tuus non est inanis in Domino.* — Gloria cœlestis *corona* dicitur : *nemo autem coronatur, nisi legitime certaverit : certa igitur bonum certamen ;* præliare prælia Domini constanter et fortiter et brevi *percipies immarcessibilem gloriæ coronam.* — Cœlum est *regnum* Dei, nos illius regni hæredes ; at divina lege cautum est *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* sicut et ipsum *Christum oportuit pati et ita intrare in gloriam suam.* Igitur via crucis est via cœli : quare per illam viam nos, ministri Christi, viriliter sequamur Ducem nostrum ac Regem, quoniam *si sustinebimus et conregnabimus,* atque *id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

—

Examen circa profectum in spiritu ecclesiastico

—

Annus jam vergit in finem : ideo juvat, sapientem negotiatorem imitati, sedere et computum facere atque videre qualis sit status nostræ negotiationis spiritualis. Spiritus autem ille est :

I. Spiritus FIDEI. — An jam ducor in cogitando, judicando, desiderando, loquendo, agendo et patiendo principiis fidei, non vero inclinatione aut impetu naturæ vel solo lumine rationis humanæ? (cfr *suprà,* p. 252 sqq.) Estne mihi magis familiaris aurea praxis *præsentiæ divinæ?*

II. Spiritus HUMILITATIS. — An jam soleo demisse sentire de meipso, frequentius recogitans quod ex me nihil sum, nihil habeo, nihil valeo, sed quod *omnis mea sufficientia ex Deo est,* cui soli debetur honor et gloria ; mihi autem deberi despectum et confusionem præsertim ob peccata mea, quibus etiam omni ente irrationali factus sum vilior et contemptibilior? — An novi efficacius reprimere quodvis desiderium ambitionis aut laudis humanæ? — Numquid magis abstineo ab omni jactantia aut contentione in sermone? — An minus frequenter actiones meæ intentione vanæ gloriæ inficiuntur? — Possumme jam patienter ferre humiliationes...? (*Suprà* p. 128 sqq.)

III. Spiritus ORATIONIS. — An libentius quam olim, attentius etiam ac ferventius vacare soleo orationi tum vocali, tum mentali? — An perfectius persolvo quotidianum divini officii pensum, ac sanctius celebro Missæ sacrificium? — An principaliores pietatis praxes, nimirum preces matutinas ac vespertinas, meditationem, visitationes SS^{mi}, recitationem Rosarii Mariani, Viam crucis, fidelius ac devotius observo? — An preces jaculatorias, præsertim illas quæ indulgentiis sunt ditatæ, frequento? — (*Suprà* p. 365 sqq.)

IV. Spiritus CHARITATIS: — 1) *Erga Deum.* An crevit in me horror peccati etiam venialis, quatenus eo Deus, amor meus, offenditur? An proinde minus frequentes lapsus, an minus deliberati ; an magis ex corde de illis doleo? — An studeo diligentius in omnibus adimplere sanctissimam Dei voluntatem, atque huic in rebus adversis me conformare ? — Numquid ardentius flagrat in me zelus gloriæ Dei... ? — 2) *Ergà proximum.* An rarius deficio contra præceptum charitatis fraternæ sive cogitatione, sive verbo, sive opere? — Estne purior ac magis supernaturalis meus amor proximi ? — An melius novi sufferre proximi defectus ? — An diligentius studeo servare cum omnibus confratribus concordiam in unione pacis et vitare quemcumque zelotypiæ spiritum ? — An libentius ac zelosius me impendo pro salute ac sanctificatione animarum curæ meæ commissarum ? (*Suprà* p. 261 sqq.)

An *zelus* meus est magis purus, prudens, fortis et constans, universalis ? — (*Suprà* p. 305 sqq.)

V. Spiritus OBEDIENTIÆ. — An jam omnibus meis præpositis obedio in spiritu fidei, non tantum exteriori actu cuncta eorum jussa implendo, sed ex animo, propter Deum cujus vices gerunt, et, uti docet Paulus, *in simplicitate cordis sicut Christo, non ad oculum serviens, quasi hominibus placens, sed ut servus Christi, faciens voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate ?* (*Suprà* p. 510 sqq.)

VI. Spiritus PURITATIS. — An virtutem angelicam majoris æstimo, sincerius diligo, vigilantius custodio? — An promptius ac plenius resisto tentationibus internis, an sollicitius vito occasiones externas, notatim visitationes periculosas et quamcumque familiaritatem cum quavis persona alterius sexus : an præsertim sub hoc respectu maximam habeo curam de bono nomine meo ac cleri, ita ut non tantum caveam a malo sed et ab omni specie mali? (*Suprà* p. 126 sq.)

VII. Spiritus MORTIFICATIONIS. — An libentius amplector et servo pœnitentias et mortificationes corporales, uti jejunia et abstinentias præscriptas, in quantum per valetudinem licet ? An quasdam etiam liberas exerceo, studens, juxta monitum Apostoli, *corpus meum castigare et in servitutem redigere ?* — An saltem magis patienter et in spiritu pœnitentiæ fero quotidiana et sponte occurrentia vitæ incommoda, labores et miserias, faciendo sic de necessitate virtutem ? — An mensæ accumbens scio dominari appetitui meo, ac legem sobrietatis stricte servare ? — Numquid perfectius exerceo custodiam sensuum et linguæ, atque virilius quotidie pugno spiritualem pugnam adversus passiones animæ inordinatas præsertim illam quam novi in me prædominari ? (*Suprà* p. 77 sqq.)

VIII. Spiritus PAUPERTATIS. — An jam animum gero liberum ab omni affectu inordinato ad divitias ; annon forte hac in re mihi fucum facio : solet enim etiam maxime avarus sordidum hoc vitium fallaci nomine tegere et colorare ? — An diligentius caveo ab omni etiam *specie* avaritiæ ? — Nonne cum aliqua saltem apparentia veritatis possunt mihi exprobare quod ardentius inhio lucro pecuniarum quam animarum ? — Numquid liberalius, pro facultatibus meis, elargior eleemosynas pauperibus piisque operibus ? — An nihil apparet in domo aut cubiculo meo, aut in vestium cultu seu mensæ apparatu quod non præ se ferat simplicitatem ac vanitatum contemptum ? (*Suprà* p. 127 sq.)

IX. Spiritus LABORIS. — An sedulius vito otium, et gnaviter incumbo operibus ministerii mei, sciens Dominum me misisse in vineam suam non ad otiandum sed ad laborandum et fructum faciendum ? — An officiis diei impletis tempus reliquum impendo studio rerum sacrarum, ne forte in me cadat illud Scripturæ : *quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te ne sacerdotio*

fungaris mihi ? — An tempus meum non tero in legendis novis ac futilibus, in recreationibus aut ludis ultra modum protractis ? (Suprà p. 28 sq.)

Quibus igitur serio perpensis, videam utrum hoc anno vere profecerim : « Multi computant annos conversionis, sed parvus est fructus emendationis » ; annon sum ego unus ex illis... ?

* * *

Ecce rursus uno anno propinquior sum morti : an jam melius paratus ad reddendam supremo Judicii *vilicationis meæ rationem ?* — Si nunc mihi esset ex hac vita migrandum, an essem de illis qui *cum exultatione portant mænipulos suos,* exspectantes a Domino messis mercedem copiosam nimis laborum suorum ?

* * *

Hic finis annuæ seriei meditationum et examinum recollectioni menstruæ accommodatorum ; quæ si reverendis ac dilectis in sacerdotio confratribus ad profectum in virtute ac spiritu sacerdotali prodesse potuerint, omnem scopum in iis conscribendis intentum me attigisse in Domino gaudebo.

H. V. D. B.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — donation d'un immeuble devant servir de local pour le catéchisme

Un arrêté royal du 16 Août 1896 (*Monit.*, p. 3490) autorise la fabrique de l'église de Notre-Dame d'Hanswyck, à Malines, à accepter la donation d'une maison et dépendances « à condition que le bien légué serve de local pour le catéchisme, et que le conseil de fabrique de l'église susdite fasse chanter tous les ans une messe solennelle pour le soulagement des âmes de... »

Observations. Les fabriques d'église ont capacité pour recevoir les fondations faites en faveur de l'enseignement du catéchisme. Cette capacité a été reconnue, en fait, par tous les gouvernements qui se sont succédés dans notre pays et ont autorisé ces sortes de dispositions. L'article 37, n° 2, du décret du 30 Décembre 1809 suppose cette capacité. Il résulte de cet article, disait le ministre de Haussy, que les fabriques d'église ont aussi bien qualité à l'effet de contribuer à répandre l'instruction religieuse que de pourvoir aux besoins du culte; qu'ainsi les encouragements et les récompenses dont il s'agit doivent appartenir à la fabrique (1). Cette capacité a été formellement consacrée par l'article 9 de la loi du 19 Décembre 1864 ainsi conçu : « Les libéralités au profit de l'enseignement spécial qui se donne... dans les églises paroissiales, succursales... sont réputées faites... aux fabriques d'églises. »

En vertu de cette disposition, les fabriques d'église ont qualité pour recevoir, régir et administrer, à l'exclusion des communes et des autres établissements publics, les libéralités de toute espèce destinées à favoriser *l'enseignement spécial qui se donne dans les églises paroissiales et succursales.*

a) *L'enseignement spécial* visé ici, c'est l'enseignement du catéchisme; et il n'y a pas lieu de distinguer entre le catéchisme de première communion et le catéchisme de persévérance, quel que soit d'ailleurs l'âge de ceux qui le fréquentent.

b) D'après Lentz, *Des dons et legs en faveur des établissements publics,* T. I, n° 289, cet enseignement doit être donné *à l'église,* ou au moins dans une annexe

(1) Arrêté royal du 31 Décembre 1849. — Il s'agissait, dans l'espèce, d'une certaine somme d'argent à distribuer sous forme d'encouragement et de récompense aux enfants pauvres qui continueraient à fréquenter avec assiduité le catéchisme après leur première communion. Voyez dans le même sens l'arrêté royal du 14 Août 1856, celui du 11 Septembre 1866, contresigné par M. Bara, et plus récemment, celui du 29 Octobre 1894 (*Monit.* du 5-6 Novembre 1894).

de l'église, la sacristie par exemple, ou tout autre local contigu affecté à cet usage. Nous ne partageons pas cette manière de voir ; nous croyons que le législateur de 1864 n'a pas déterminé les limites de la compétence des fabriques d'après le *local* où l'enseignement se donne, mais bien d'après la *nature* de cet enseignement. Les mots : *qui se donne dans les églises* indiquent qu'il s'agit uniquement de cet enseignement religieux qui se donne généralement dans les églises, et servent à caractériser, à déterminer plus nettement, l'objet spécial qui entre dans les attributions des fabriques.

En conséquence, celles-ci ont qualité pour recevoir, non seulement les libéralités destinées à encourager l'enseignement religieux, sous forme de prix ou d'autres récompenses à distribuer aux enfants qui fréquentent le catéchisme, mais encore, d'après nous, celles qui ont pour objet de fonder ou de faire donner un cours de catéchisme dans un local séparé de l'église ou de procurer un immeuble qui serve à cet effet. L'arrêté royal du 17 Août 1896 confirme cette interprétation.

c) Les fabriques d'église ont-elles qualité pour recevoir des libéralités au profit de l'enseignement du catéchisme qui se donne à *l'école dominicale ?* La jurisprudence a varié sur ce point : un arrêté royal du 19 Mars 1860 et un autre du 30 Janvier 1876 ont refusé à des fabriques d'église l'autorisation d'accepter des fondations de ce genre ; mais deux autres arrêtés, du 24 Mai 1871 et du 25 Mai 1875, ont décidé qu'un legs au profit de l'enseignement du catéchisme, à donner à l'école dominicale, sous la direction du curé, peut être accepté par la fabrique d'église. Nous pensons que cette dernière décision est plus conforme à l'intention du législateur, qui a eu surtout en vue la nature de l'enseignement donné.

d) Quoi qu'en dise M. Lentz, *ouv. cité,* T. I, p. 296, pour que la fabrique soit apte à recueillir les fondations

au profit de l'enseignement du catéchisme, il n'est pas nécessaire qu'elle soit nommément et expressément instituée. Voyez, p. ex., l'arr. roy. du 29 Octobre 1894.

Cependant, pour écarter les prétentions que les communes pourraient élever sur ces fondations, il est utile, voir même nécessaire, de stipuler, dans l'acte d'institution, qu'elles sont faites à la fabrique et en faveur de l'enseignement spécial de la religion, tel qu'il se donne à l'église.

e) Les prix et autres récompenses doivent être distribués par le bureau des marguilliers ou tout au moins sous son contrôle (art. 26 du décret de 1809 et arrêté royal du 31 Décembre 1849). Toutefois, si la fondation porte que la distribution doit se faire par le curé, cette clause doit être respectée. C'est ainsi d'ailleurs que la chose se pratique généralement.

Comp. Leroy, *Instructions pratiques sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'église,* p. 87 ; Moulart, *Des fabriques d'église,* 8ie édit., p. 142 ; *Het Vlaamsch Bestuur,* III, 348 ; V, 321 ; de Corswarem, *Handboek der kerkfabrieken,* p. 413.

C. V. C.

Fabrique d'église — indemnité de logement aux vicaires — chauffage de l'église

Voici encore deux arrêtés royaux qu'il est intéressant de comparer.

Un arrêté royal, en date du 16 Septembre 1896 (*Monit.,* p. 4034), rejette le recours du conseil de fabrique de l'église de Saint Jean-Baptiste, à Gosselies, contre l'arrêté du 3 Juillet précédent, par lequel la Députation permanente du conseil provincial du Hainaut a supprimé le crédit de 400 francs inscrit à l'article 37 (1) (*Indemnité de logement aux vicaires*) des dépenses du budget pour l'exercice 1896.

«Cette décision est basée sur ce que l'indemnité de logement que le conseil de fabrique de la dite église propose d'allouer

(1) Voir les *Collationes,* I, p. 371.

aux vicaires de la paroisse a le caractère d'un traitement supplémentaire ; que les suppléments de traitement et indemnités que les conseils de fabrique allouent aux membres du clergé paroissial constituent des *dépenses facultatives* dans lesquelles les communes ne sont pas tenues d'intervenir ; que le conseil communal de Gosselies a émis un vote défavorable à l'approbation du budget susmentionné. »

Un autre arrêté, en date du 29 Sept. 1896 (*Monit.*, p. 4188), contresigné par le Ministre de la justice et par le Ministre de l'intérieur et de l'instruction publique, rejette le recours du conseil communal de Sugny contre l'arrêté du 25 Juin précédent, par lequel la Députation permanente du conseil provincial du Luxembourg a admis un crédit de 150 francs à l'article 61 (1) (*Chauffage de l'église*) des dépenses du budget, pour l'exercice 1896, de la fabrique de l'église de Saint-Martin, à Sugny.

« Cette décision est fondée sur ce qu'une somme de 150 francs, pour couvrir les dépenses de combustible dans le cours d'une année, ne peut être considérée comme exagérée ; qu'il s'agit, dans l'espèce, d'une *dépense obligatoire* (2) dans laquelle la commune est tenue d'intervenir en cas d'insuffisance des ressources de la fabrique. »

Fabriques d'église

Séance du mois de Janvier.

Aux termes de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique doivent s'assembler le premier dimanche du mois de Janvier.

(1) Voir les *Collationes*, I, p. 374.

(2) Un arrêté royal du 6 Octobre 1896 (*Monit.*, p. 4375) autorise la fabrique de l'église de Grand-Rechain à accepter la donation faite par une généreuse bienfaitrice 1° de la chaufferie qu'elle a fait établir dans la dite église ; 2° d'une somme de 6000 francs, à charge par la fabrique de supporter les frais d'entretien et de reconstruction de la chaufferie, ainsi que le coût des combustibles, et du personnel nécessaire pour l'usage et le fonctionnement régulier de la dite chaufferie.

Ils pourvoiront, dans cette séance, au remplacement des membres décédés, démissionnaires, etc. ; et délibéreront ensuite sur les objets portés à l'ordre du jour. Ils veilleront notamment à la location des bancs, places et chaises de l'église, et au renouvellement des baux qui seraient échus ou près d'échoir.

Consultationes

I

In actis Congregationis Prosynodalis hoc anno Brugis celebratæ sub art. IV legitur : « Ad tramites decreti S. Cong. Episcoporum et Regularium, de die 17 Decemb. 1890... designamus confessarios omnes pro monialibus approbatos, modo et moniales et confessarius ad eumdem pertineant decanatum. » (Collat. Brug., suprà p. 384).

Quæritur utrum hæc dispositio respiciat etiam communitates Fratrum.

*
* *

Respondetur : Minime ; etenim ipsa verba laudati decreti S. C. Ep. et Reg., quæ in articulo Congr. Prosyn. citantur, aperte enunciant *mulierum communitates* spectari : « Sanctitas sua... Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ diœceseos; in quibus *mulierum* communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Pœnitentiæ recurrere *eæ* facile queant. » Ceterum nec de jure communi, nec de jure particulari diœceseos Brugensis, *specialis* requiritur approbatio ad exipiendas confessiones eorum qui in *communitatibus Fratrum* religiosam vitam profitentur.

H. V. D. B.

II

Diœcesis Brugensis Statuta (Part. I, cap. II, art. 4) sub gravi prohibent ne clerici ad popinas, tabernas, aut domos quascumque ubi potus aliquis venalis præbetur, accedant ad potandum, edendum vel ludendum... Quæritur autem :

I° Utrum sub præfata prohibitione comprehendatur accessus a) ad domos ubi recreationis causa conveniunt membra societatis S. Francisci Xaverii aut alius id genus : ratio dubitandi est quod ibidem potus venalis prostat ; — b) ad tabernas in quibus operariorum societates sedem suam habent, vulgo *Gildehuizen*.

II° Si ad præcedens quæsitum sit affirmative respondendum, an ideo prohibitum censetur clerico ne prandio aut cœnæ adsit cum membris societatis (putà *tooneelgilde, S. Aloisius'gilde, vakvereeniging* enz.), v. g. occasione festi patronalis, aut simili.

Respondetur ad I : per *domum ubi potus aliquis venalis præbetur* intelligendus videtur omnis locus in quo *quibuscumque adventantibus* cerevisia, vinum, vinum adustum, cafœa, aliive liquores minutim venduntur, qualis vulgo dicitur *cabaret, estaminet, café*... Hoc posito dicendum : quoad a) sub illa denominatione minime veniunt loca illa, ad quæ sub directione cleri sola societatis cujusdam piæ membra admittuntur, quamvis et his potus nonnisi pro pecunia præbeatur. Consequenter non est violatæ legis reus habendus clericus qui similia loca adit, ut ibidem cum sodalitatis membris ludat vel etiam potum aliquem sumat. Attamen, uti patet, in spiritum legis impingeret atque clericalem modestiam offenderet ille qui frequenter, solius recreationis causa, ad tales domus accederet ibique laicorum more ludendo atque bibendo tempus tereret (quod vulgo dicimus : faire son estaminet.) — Quoad b) sane tabernæ accessus non minus prohibetur eo

quod aliqua societas operariorum ibidem congregationes suas celebret : sed, ni fallimur, quæstionis propositæ sensus est utrum clerico liceat operariorum cœtus, qui in loco tabernæ *privato* eisque reservato habentur, adire atque, occasione data, cum eis lusui honesto vacare vel etiam aliquid potus sumere. Quæstioni sic intellectæ respondendum est sicuti suprà ad a) ; notando rursus hic maxime cavendum ne propter leviorem quamdam sacerdotis cum dictis operariis conversationem ecclesiastici status dignitas vilescat.

Respondetur ad II : Ex dictis ad præcedens quæsitum aperte liquet illud non esse prohibitum etiamsi clericus nonnisi soluta pecunia ad prandii participationem admitteretur, modo in cubiculo privato, non vero in loco tabernæ communi, convivetur.

H. V. D. B.

III

Stante decreto Congr. Prosynodalis an. 1893 : « Nulli conjugum licet, cum proposito separationis, domum conjugalem deserere proprio marte et inconsulto parocho » quæritur :

1) An parochus censetur delegatus ab Episcopo ad dirimendam causam : vel an, agnita justa separationis causa, tenetur ad Episcopum recurrere ?

2) An licentia separationis obtenta debet post tempus (v. g. post annum) renovari, eisdem manentibus separationis causis ? si *affirmative,* an pœniteas, priusquam hanc licentiæ prorogationem obtinuerit, absolvi potest ?

3) An conjux *derelictus* a comparte, inconsulto parocho, valide ac licite a quovis confessario absolvi potest ?

4) An conjux derelictus teneatur declarare parocho statum suæ separationis, et an confessarius debet monere pœnitentem de ista obligatione ?

Respondetur ad 1m : Vi laudati decreti minime constituitur parochus judex delegatus ad causam dirimendam. Sed, cum in re matrimoniali in prima instantia recurrere soleant et debeant fideles ad proprium parochum, huic agnoscitur officium causam examinandi seu instruendi : quodsi reperiat rationem canonicam separationis adesse in casu, recurrere debet ad Episcopum vel ad Decanum: ad Episcopum quidem si separationis causa prævideatur diu duratura ; ad Decanum vero (vel ad Episcopum) si contrà brevi cessatura existimetur : etenim per Statuta nostra diœcesana fit facultas Decanis « provisorie permittendi, pro fidelibus sui districtus, separationem a thoro et cohabitatione, cum relatione ad Ordinarium, si *infra duos menses* non fuerint reconciliati. »

Ad 2m : Id pendet a sententia Episcopi : quæ si fuerit separationis *perpetuæ,* qualis dari potest ob causam adulterii, liquet jam non amplius fore recurrendum ; si contra *temporanea* tantum fuerit concessa separatio, statuto tempore elapso, licentia erit renovanda. Interim, bene poterit pœnitens absolvi, modo promittat rem denuo ad Episcopum, sive directe sive mediante parocho, deferre, ejusque stare mandatis. Agitur enim de obligatione fori externi in materia gravi, de qua in foro interno pœnitens est monendus, et quam hic adimplere paratus esse debet : secus, uti indispositus absolutione indignus judicandus esset. Seponimus autem casum bonæ fidei, quo prævideretur futurum ut pœnitens monitus nollet acquiescere, et aliunde absit scandalum.

Ab 3m : Prænotandum casum conjugis *derelicti* præfato statuto diœcesano non comprehendi, cum unice disponat de conjuge domum conjugalem *deserente :* illum proinde ex principiis generalibus esse solvendum. — Jamvero imprimis examinandum utrum conjux direlictus non sit in causa cur compars discesserit :

quod si obtinet, non posset absolvi quin prius serio promittat sese causam dissensionis, quantum a se pendet, ablaturum ac pro virili allaboraturum, ut communitas conjugalis redintegretur scandalumque reparetur, et, si conatus non succedat, rem totam ad parochum delaturum. — Si vero tota culpa comparti sit tribuenda, absolvi poterit conjux derelictus, modo velit et promittat implere obligationem de qua statim, si illa teneatur.

Ad 4^{m} : Distinguere oportet : si publice notum sit conjugem a comparte esse derelictum nec per ipsum stare quominus cohabitatio restauretur, ille ad nihil tenetur. Secus vero si illud notorium non sit : etenim quamvis conjux derelictus in *foro conscientiæ* judicetur innocens, nec ipsius culpa conjugale consortium dissocietur, oportet tamen ut in *foro externo* Ecclesiæ de hac sua conditione constet et per judicis ecclesiastici sententiam scandali causa auferatur. Quare, secluso casu bonæ fidei etc. uti suprà ad 2^{m}, confessarius pœnitentem monere tenetur ut coram auctoritate competenti statum suum aperiat atque ab ipsa debitam declarationem referat.

H. V. D. B.

IV

Quæritur. In libello supplici quem exhibent *Collationes*, p. 436, rogatur ut confessio « peracta a fidelibus infra hebdomadam ante *aliquod festum aliamve diem* cui adnexa est Indulgentia plenaria, eis suffragari possit... » — Indultum vero pontificium, privilegium fidelibus nostræ diœceseos concedens, habet : « infra hebdomadam ante aliquam *festivitatem* ».

Quæritur an verba « ante aliquam *festivitatem* » haberi possint ut æquivalentia verbis libelli : « ante aliquod *festum aliamve diem*... » ; Si negative, an indultum valeat in specie pro indulgentia quæ dicitur *Portiunculæ?*

Respondetur. — Quum privilegium de quo in dubio, non sit insuetum, sed ad normam decreti generalis S. C. Indulg. diei 12 Junii 1822 (*Decr. auth.* n. 252) soleat concedi Ordinariis qui illud ob inopiam confessariorum postulant, interpretandum est minus secundum verba libelli supplicis quam juxta stylum curiæ in hac materia receptum. Jamvero tum in citato decreto generali anni 1822, tum in responsis S. C. Ind. 28 Sept. 1838, 1° et 5° (*Decr. auth.* n. 264) et 15 Decemb. 1841, 1° (*Decr. auth.* n. 295 — cf. n. 364, 2°), tum in *Raccolta* (ed. 1886, p. XVIII) tum in indultis particularibus, formula adhiberi solita hæc est : « confessio peracta infra hebdomadam ante *festivitatem* ». Et quamvis indulgentiæ, utpote favoris concessi, interpretatio late sit facienda, non est tamen ultra sensum verborum vel usum curiæ receptum extendenda juxta adagium : *indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

Nomine autem festivitatis seu festi non venit qualiscumque dies cui adnexa est indulgentia, ut sensus verborum indicat et ut apparet ex decreto S. C. Ind. 6 Oct. 1870 (*D. A.* n. 426), quod agit de « *die* pro quo concessa est indulgentia » et quod deinde rite distinguit inter indulgentias huic diei adnexas « ratione *festivitatis* occurrentis » et alias concessas « quacumque *alia ex causa* vel devotionis. vel pii exercitii aut solemnitatis. »

Quid demum intelligatur per festivitatem exponit R. P. Beringer, *Les indulgences,* 1e part., ch. X, § 4.

Par *fête* on n'entend pas seulement une fête de précepte, célébrée solennellement. On appelle fêtes, dans le sens religieux, les jours, chômés ou non, où l'Eglise célèbre la mémoire des mystères de la vie et de la passion de N. S. J.-C. et de la très sainte Vierge, la commémoration des saints et des anges, ou d'un événement religieux p. ex. l'Exaltation de la sainte Croix, l'anniversaire de la Dédicace, etc. Par conséquent, les dimanches, les vigiles, les Quatre-temps et le Mercredi des Cendres ne sont pas considérés comme fêtes. Il en est de même des trois derniers jours de la semaine

sainte ; car bien que l'Eglise fasse mémoire, en ces jours, de la passion de N. S. J.-C,, elle ne le fait cependant pas d'une manière solennelle, mais dans la plus profonde douleur, et, pour ce motif, elle a exclu ces jours du nombre des fêtes.»

Unde non valet privilegium diœcesi Brugensi concessum ad lucrandas illas indulgentias, quæ non adnectuntur alicui diei determinatæ, sed quæ lucrifieri possunt ex. gr. semel aut bis in mense, vel die quo quis adscribitur confraternitati, aut exercitium peragit indulgentia plenaria ditatum. Nec valere videtur pro illis indulgentiis quæ adnectuntur certæ diei, non tamen ratione festivitatis sed alia qualibet ex causa, « quemadmodum usuvenire solet (ut ait decretum 6 oct. 1870) pro sextis feriis mensis martii, diebus Dominicis festum S. Aloysii præcedentibus, oratione quadraginta horarum, aliisque casibus similibus quibuscumque » ex. gr. primis feriis sextis cujusque mensis aut adoratione perpetua. Nonnulli tamen censent in hac materia favorabili Dominicam (1) venire nomine festivitatis : *Mélang. Théol.* II p. 153 — Daris. *Prælect. canonicæ,* III, n. 77.

Valet certe ad lucrandam indulgentiam Portiunculæ quum illa adnexa sit festo Dedicationis ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum, quod juxta martyrologium Romano-Seraphicum pro tribus ordinibus S. Francisci celebratur 2 Augusti. Dicit enim *Raccolta* (edit. 1886, p. 476). Honorius III « anno 1223 confirmavit in perpetuum dictam plenariam indulgentiam pro die 2 Augusti, incipiendo a primis Vesperis, recurrente hac die Dedicatione dictæ Ecclesiæ. »

Tandem ut alia quædam dubia circa hujus privilegii extensionem solvantur vel præcaveantur, decretum S. C. Indul. 15 dec. 1841 subjungere placet, quantum spectat hanc materiam :

(1) Patet non agi de excludendis illis Dominicis in quas incidit aliqua festivitas adnexam habens indulgentiam plenariam, ut ex. gr. festum SS. Rosarii in prima Dominica Octobris aut septem Dolorum in tertia Dominica Septembris, quibus concessæ fuerunt sub certis conditionibus indulgentiæ plenariæ *toties quoties.*

Quæritur : 1. « An verba *infra hebdomadam* significent octo dies *tantum quæ festivitatem immediate præcedunt,* an vero hebdomadam illam totam et integram quæ ante festum decurrit, ita ut ex. gr. confessio facta die Dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die Sabbati hebdomadæ sequentis in quam diem festum incideret, tametsi tunc tresdecim dies inter confessionem et festivitatem intercessissent »

Respondit S. C. Ind. Quoad primam partem, Affirmative ; quoad secundam partem, Negative.

Quæritur 2. « An confessio octava die ante festivitatem peracta, vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem *aliæ etiam lucrifieri possint indulgentiæ, quæ infra prædictum tempus occurrent* et ad quas lucrandas sacramentalis confessio cæteroquin requireretur ?

Respondit S. C. Ind. Quoad primam partem, Negative, Affirmative quoad secundam. »

C. C.

V

Quonam tono, solemni an feriali, cantanda sunt Præfatio et *Pater noster* in missis Votivis sive solemnibus sive privatis, et in specie in missa *pro sponso et sponsa ?*

Respondetur : Tono solemni utendum est 1° in missa votiva *solemni stricte dicta,* quæ scilicet pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, cum solemnitate extrinseca celebranda, auctoritate Ordinarii præscribitur aut ab Ordinario permittitur. *(Ill. Vanderstappen Tract. de rubricis Missalis Romani, Sect. II, Cap. 2, notiones prævia* etc.). 2° in missis votivis privilegiatis, quæ ad instar votivæ solemnis, vel ex speciali Sedis Apostolicæ gratia permittuntur, vel etiam ejus auctoritate præscribuntur, propter causam non semper publicam vel gravem. (*Ibidem q.* 4). Talis est missa votiva de SS. Sacramento quæ cantari potest occasione Orationis XL horarum, vel quæ indulta est nostræ diœcesi in

Adoratione perpetua, missa de SS. Corde Jesu permissa sub certis conditionibus in prima feria VI cujusque mensis, missa *Aurea* quæ ex consuetudine cantatur feria IV Quatuor-temporum Adventus etc. Hæ missæ tum votivæ solemnes stricte dictæ, tum privilegiatæ, quæ celebrari possunt etiam in festis duplicibus, quibusdam tamen diebus exceptis, sunt ritus duplicis et consequenter cantantur juxta regulas missæ festi duplicis et in tono solemni.

Tono autem feriali utendum est in missa votiva privata, ea scilicet quæ ex causa privata, nimirum speciali devotione aut desiderio, sive Sacerdotis qui litat, sive ejus qui missam petit celebratur. (*Ibidem q. 5*). Tales sunt missæ quæ in quibusdam ecclesiis, permittente ritu, cantantur in honorem SS. Sacramenti feriis V, Missæ de B. M. V. occasione benedictionis mulieris post partum, Missæ in honorem SS. Angelorum in sepultura parvuli ante usum rationis defuncti et aliæ quæ ex devotione erga aliquod Mysterium vel Sanctos aut pro aliqua necessitate speciali celebrantur. Hæ missæ, quamvis cantatæ (etiam solemniter cum assistentia Diaconi et Subdiaconi), sunt ritus simplicis, prohibentur in Dominicis, in duplicibus, in octavis feriisque privilegiatis, requirunt tres ad minus orationes et sicuti missa festi simplicis in tono feriali sunt cantandæ.

Quod spectat ad missam pro sponso et sponsa, quamvis aliquousque sit privilegiata et celebrari possit quibusdam diebus quæ excludunt votivas privatas, sequitur tamen in omnibus naturam votivæ privatæ et ritu simplici est celebranda, etiamsi cum solemni apparatu cantetur. Tonus ergo ferialis adhibendus est in cantu Præfationis, *Pater noster,* etc. sicuti in missis festi simplicis *(cf. Ill. Vanderstappen, l. c., q. 93.)*

Notari potest nullam reperiri in Missali Romano præfationem de Nativitate Domini in tono feriali

cantandam. Attamen juxta decretum S. C. R. *in Ratisbonen.* 29 Febr. 1868 in missa votiva quæ in aliquibus ecclesiis, singulis feriis V, cantatur de SS. Sacramento, quando rubricæ eam admittunt, « dummodo ea missa votiva non sit solemnis et pro re gravi, id est dummodo ea cantetur sine *Gloria* et sine *Credo,* Præfatio de Nativitate canenda est tono feriali. Sacra vero Congregatio indulget ut ad commoditatem sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem missalis et ultimo prorsus loco apponi possit præfatio de Nativitate cum hac rubrica : « *Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in missis votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine Jesu.* » Hæc præfatio inveniri potest in recentioribus editionibus Missalis post appendices missarum quæ pro aliquibus locis conceduntur.

H. V. D. W.

Tractatum **de virtute Religionis** quem præcipue ad usum alumnorum Seminarii Brugensis edidit *O. E. Dignant,* S. Theologiæ Doctor et in eodem Sem. professor, non possumus quin omnibus sacerdotibus atque sacerdotii candidatis enixe commendemus, utpote sobrie, dilucide, solide, adque amussim ac mentem S. Thomæ elaboratum atque concinnatum.

Post breve proœmium tractat Auctor :

Lib. I. *De virtute et actibus religionis in genere.*

Lib. II. *De actibus religionis in specie,* scilicet : de devotione, — de oratione ac laudibus divinis, — de adoratione, — de voto, — de juramento, — de adjuratione, — de observatione festorum.

Lib. III. *De vitiis religioni oppositis, scilicet :*

1. *De superstitione,* nimirum, de indebito cultu Dei, de idololatria, de divinatione, et de vana observantia.

2. *De irreligiositate,* videlicet de tentatione Dei, et de sacrilegio.

De blasphemia, quæ tum religioni tum fidei confessioni opponitur, dicturus est Auctor post S. Thom., in tractatu de fide. Quoad simoniam vero, quæ est sacrilegii species, opportune remittit ad jus canon.

INDEX

Documenta Romana

Pag.

Litteræ Encyclicæ SS. D. N. Leonis XIII *De unitate Ecclesiæ*. (29 Jun. 1896). 434

Litteræ Apostolicæ SS. D. N. Leonis *De ordinationibus anglicanis*. (13 Sept. 1896). 573

Ex Dataria Apostolica: Dispensatio super impedimento consanguinitatis, si tangatur gradus primus. (19 Junii 1895). 30

Ex S. Congr. de Prop. Fide: — Litteræ circa scholas *neutras*. 135

Ex S. Pœnitentiaria Apostolica: Dubia quoad absolutionem complicis in peccato turpi. (19 Febr. 1896). 210

Ex. S. Congr. Episc. et Regul.: Decretum circa sorores eleemosynas quæritantes. (27 Martii 2896). . . 317

Ex. S. Rom. et univ. Inquis.: Decretum de abortu medicali. (24 Jul. 1895). 88

In casu stipitis intermedii ex duobus inter se iterum in 2° gradu consanguineis tria habentur ac declarari debent impedimenta. (11 Martii 1896). 376

Ex Vicariatu Urbis: — Nonnulla solvuntur dubia circa piam adsociationem a S. Familia. (26 Julii 1896). . 481

Ex. S. Congr. Indulgentiarum. Hymnus *Adoro te* nova indulgentia 100 dierum ditatus. (15 Jun. 1895). . 34

Scapulare SS. Trinitatis quoad benedictionem (25 Aug. 1895) — Sodalitas illorum qui ipsum legitime receperunt — Facultas illud imponendi. 34

Quando renovantur *stationes Viæ crucis* sufficit nova benedictio. (11 Jan. 1896). 211

De reliquiis antiquis quarum litteræ authenticæ non amplius habentur. (20 Jan. 1896). 320

Privilegium fidelibus diœcesis Brugensis concessum circa confessionem requisitam ad indulgentias. (27 Maii 1896). 436

De *erectione et aggregatione confraternitatum:* de distantia — de præstandis ab Episcopo — de defectibus in erigendis confraternitatibus SS. Rosarii eorumque sanatione. (20 Maii 1896). 470

Pag.

De Tertio Ordine : de danda Benedictione — de Tertiariorum receptione ac menstruis conventibus (30 Jan. 1896). 472

Ex Secretaria Brevium. Tertiariis Franciscalibus conceditur ad quinquennium *participatio indulgentiarum* cum 1° et 2° ordine (7 Jul. 1896) — Indulgentiæ stationis SS. Sacramenti, coronæ seraphicæ, psalmi *Exaudiat* et benedictionis cum indulgentia plenaria. . . . 559

Ex S. Congr. Rituum. Decretum et dubium circa litanias publice in ecclesiis et oratoriis publicis recitandas. (6 Martii 1894 et 28 Nov. 1895). 31

Decretum *Urbis et Orbis* de servanda conformitate missæ cum officio ecclesiæ in qua celebratur (9 Dec. 1895). 90

Decretum *in Bellunen. et Feltren.* de cantu Passionis à diacono ministrante vel duobus diaconis et celebrante ; de missa non cantanda in feria V in Cœna Domini cum delatione S. Hostiæ ad sacellum, quando die sequenti non celebratur missa præsanctificatorum ; de missa cantanda eadem die absque alterius hostiæ consecratione et Processione ; de sacra Pyxide in altari conservanda, ubi nulla in eadem feria habetur sacra functio (1 Febr. 1895). 91

Decretum *Congr. Presbyt. SS. Sacramenti* de licita benedictione cum SS. Sacramento post expositionem privatam et de inclinatione facienda versus SS. Sacramentum expositum, dum in lectione Evangelii pronuntiatur nomen Jesu. (30 Nov. 1895). 93

Decretum *Romana* de non omittendo *De profundis* ad Laudes et *Lauda anima* ad Vesperas, extra diem commemorationis omnium defunctorum et diem depositionis. (10 Jan. 1896). 137

Decretum *in Viglevanen.* circa modum recitandi officium defunctorum quoad invitatorium, nocturnum si unicus recitatur, et antiphonas duplicandas. 1 Feb. 1896). 256

Decretum *Romana* circa intonationes ac modulationes a celebrante in missa cantata ex præcepto servandas prout jacent in missali. (14 Martii 1896). . . . 258

Decretum *in Basileen.* circa missam conformem officio celebrantis in aliena ecclesia, non more votivo sed festivo celebrandam, quando ritus ecclesiæ alienæ admittit missas *de Requie* et votivas. (14 Martii 1896). . . 259

Pag.

Decretum *in Senogallien.* quo statuitur imaginem defuncti occasione exequiarum in feretro vel tumulo non exponendam esse et usum hujuscemodi eliminandum uti abusum (30 April. 1896). 378

Decretum *in Valven. et Sulmonen.* quo declaratur non decere in parietibus ecclesiæ vel publici oratorii suspendere coronas mortuarias. (22 Maii 1896). . . 378

Decretum *Urbis* de ordinandis vesperis in concursu duorum officiorum votivorum ; de privilegio dierum octavarum festorum Domini et Deiparæ, vi cujus, dummodo festa sint primaria, in concursu, illæ non cedant nisi duplicibus 2 cl., istæ vero solis duplicibus majoribus; de diebus octavis festorum primariorum Archangelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph et Apostolorum, quæ ut digniores habendæ sunt in ordine ad prælationem in concursu cum aliis duplicibus minoribus (22 Maii 1896). 379

Decretum *in Ruthenen.* de conformitate missæ cum calendario loci, in capella principali Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum communitatum hospitalium et carcerum. (22 Maii 1896). 379

Decretum generale et dubium resolutum de methodo servanda in receptione professionis vel renovationis votorum, intra missam coram celebrante Sacram Hostiam manu tenente. (14 Aug. 1894 et 5 Junii 1896). . 435

Decretum quo permittuntur missæ *de Requie* in sacellis sepulcreti etiam in duplicibus, aliquibus tamen diebus exceptis ; et in ecclesiis et oratoriis missæ privatæ defunctorum in die obitus vel pro die obitus aut depositionis, sub certis tamen clausulis et conditionibus et exceptis quibusdam diebus. (8 Junii 1896). . . 476

Decretum generale quo statuitur quænam et quo numero ac ordine dicendæ sint orationes in diversis missis *de Requie* et quandonam recitari debeat vel possit sequentia *Dies iræ*. (30 Junii 1896). . . . 477

Decretum *Vicentina* de benedictione non neganda mulieri post partum, si proles mortua est sine baptismo. (8 Junii 1876). 480

Decretum quo declaratur plures missas de eodem sancto vel mysterio in eadem ecclesia posse cantari, dummodo ante vel post absolutum chorale officium ac sine relatione cum eo concinantur. (30 Junii 1899). 481

Pag.

Decretum quo respondetur valide ecclesiam consecrari, omissa consecratione altaris ; ecclesiam consecratam manere, quamvis in ejus parietibus opus tectorium renovatum sit ; non posse valide et licite consecrari altare enormiter fractum aut ex pluribus lapidibus efformatum. (8 Junii 1896). 563

—

Documenta Episcopalia

Epistola Episcopi Brugensis ad clerum suum de studii necessitate ac præstantia. 1

Programme d'œuvres sociales arrêté à la réunion générale des délégués diocésains à l'archevêché de Malines, le 5 Mars 1896. 208

Acta Congregationis Prosynodalis Brugis habitæ die 19 Maii 1896. 381

—

Meditationes theologicæ

Meditationes theologicæ ab Episcopo Brugensi G. J. Waffelaert clero suo dicatæ. 57, 109, 157, 269, 325, 513 (*Sequetur*).

—

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Script. Veteris Testam.

Protoparentes nostros dono immortalitatis auctos fuisse, demonstratur ex Genesi II, 17 ; III, 3, 19. . . 163

Diluvium tum quoad homines, tum etiam quoad animantia ipsamque tellurem universale fuisse, variis ostenditur argumentis, ex Genesi VI-X coll. II_a Petri III, 15 depromptis. 214

Genus humanum non per animorum discordiam, sed per linguæ confusionem, e terra Sennaar in universas terras dispersum fuisse, deducitur ex Genesi XI, 1-9. 277

Explanatur I Regum II, 25 « Et non audierunt vocem patris sui : *Quia volebat Dominus occidere eos* ». . . . 524

Deum habere scientiam quam vocant *mediàm*, probatur ex I Regum XXIII, 10-13. 586

Pag.

Ex S. Script. Novi Testam.

Ostenditur dogma perpetuæ Virginitatis B. M. V. nihil periclitari apud Matth. I, 25: *Et non cognoscebat eam* etc. 165

Explicatur Matth. X, 39: *Qui invenit animam suam, perdet illam* etc. 282

Exponitur *ad Rom.* XII, 19, 20: *Non vosmetipsos defendentes* etc. 334

Distincte proponuntur rationes propter quas S. Paulus I Cor. XIII charitatem omnibus charismatibus virtutibusque excellentiorem existimat. 390

Probatur dogma Primatus B. Petri confirmari potius quam in discrimen vocari ex Epist. *Ad Galatas* II, 11-14. 484

Explicatur Luc. I, 17: *Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ* etc. 525

Explanatur Luc. I, 68, 69: *Benedictus Dominus, Deus Israel* etc. 587

Ex theolog. dogm. gener.

Generali quodam modo demonstratur miracula et oracula quæ apud gentes idololatras aut sectas acatholicas edita feruntur, earumdem religionis divinitati ac veritati haudquaquam patrocinari. 218

Ex ipsa agendi ratione Judæorum probatur eos de veracitate Apostolorum, resurrectionem Christi attestantium, haud serio dubitasse. 337

Indicantur septem discrimina inter Apostolos eorumque successores Episcopos; necnon tria discrimina inter jurisdictionem universalem Petri, et jurisdictionem universalem aliorum Apostolorum. 390

Declaratur quo sensu detur in Ecclesia duplex subjectum potestatis plenæ ac supremæ. . . . 485

Ex Theologia dogmatica speciali.

Ex tractatu de Deo Uno et Trino.

Existentia Dei demonstratur ex ordine et pulchritudine universi. 166

Pag.

Essentia Dei, tum physica, tum metaphysica indicatur. 283

SS. Trinitatis mysterium apud Matth. XXVIII, 19, revelatum esse ostenditur. 338

Verbum procedere a Patre per generationem ostenditur. 391

Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio demonstratur ex S. Scriptura. 487

Ex tractatu de Deo Creatore.

Creatio quid sit indigitatur. 528

Dies creationis. Diversæ opiniones catholicorum exponuntur. 591

Ex theologia morali fundamentali.

De fine ultimo hominis. 175

Casus circa requisita ad legis impletionem. . . 219

De conscientia: explicantur definitio et qualitates. 222

De voluntarietate effectus, et utrum liceat ponere causam quæ duos effectus habet, unum bonum, alterum malum. 284

Utrum voluntas possit pati violentiam. . . 288

Casus circa obligationem qua teneantur perigrini servare leges in loco ubi degunt vigentes. . . 342

De moralitate actus ex *objecto boni* ad *finem malum* relati. 396

De dispensationis sine justa causa petitione et usu. 489

'De distinctione numerica peccatorum.' . . 491

Ex theologia morali speciali.

Ex tractatu de virtutibus theologicis:

De resolutione actus fidei in suas causas. . . 174

De indole assensus fidei ecclesiasticæ et assensus religiosi. 228

De veritatibus explicite credendis ex necessitate medii et de modo agendi cum pœnitentibus articulos fidei ignorantibus. 290

Pag.

Quomodo charitas qua diligimus Deum, proximum et nos ipsos, sit vere amor amicitiæ. 345

De odio proximi. 399

De suasione minoris mali. 496

Ex tractatu de prudentia :

De actu proprio prudentiæ et de vitiis prudentiæ oppositis. 530

Ex tractatu de justitia :

De notione juris stricti. 533

Quo sensu bona temporalia dicantur ex jure naturæ omnibus communia. 597

De necessitate proprietatis privatæ in præsenti ordine. 600

Ex jure canonico et canonico-civili.

De obligatione parochorum celebrandi pro grege. 179

De conditione succursalistarum hodiernorum. . 348

De sepultura eorum qui seipsos occidunt, vel in duello moriuntur. 534

De l'inhumation sans permis, dans un compartiment séparé, d'un enfant mort-né. 605

Ex S. Liturgia.

An et quanta habeatur obligatio servandi rubricas Missalis. 230

Quænam missa celebranda et cum quibusnam orationibus, præfatione etc. a sacerdote qui ratione stipendii accepti obligatur ad celebrandam votivam in honorem S. Joseph, in aliqua feria IV, qua officium recitatur feriale vel, ad libitum singulorum, votivum de eodem Sancto. 401

—

Pag.

Dissertationes

Commentaire de l'article 268 du Code pénal belge. 42

Observations relatives à la confection regulière des comptes et budgets des fabriques d'église. . . 81 et 368

De Benedictione nuptiali et Missa pro sponso et sponsa. 96

De dispensatione matrimoniali super impedimentis dirimentibus publicis cum concubinariis in articulo mortis constitutis. 102

De catechizandis pueris. . . . 143, 313, 551 *(Sequetur)*.

De l'excédant ou déficit présumé de l'exercice courant. 309

De la visite des édifices du culte, à faire par les marguilliers au commencement du printemps et de l'automne. 130

De la capacité des fabriques d'église de recevoir les libéralités faites a) pour l'entretien d'un monument funéraire. 564

b) en faveur de l'enseignement du catéchisme. . . 626

Evangelia Dominicarum

Ad usum homiliticum explicata.

Dom. in Septuag. Parabola de operariis vineæ. Matth. XX. 1-16. 11

Dom. in Sexag. Parabola seminis. Luc. VIII, 4-16. 17

Dom. II Quadrag. Tranfiguratio Christi. Matth. XVII, 1-9. 64

Dom. III Quadrag. Jesus ejicit dæmonium. Luc. XI, 14-23. 69

Dom. Resurrect. Marc. XVI, 1-7. 113

Dom. in Albis. Duplex apparitio Christi. Jo. XX, 19-31. 118

Dom. IV post Pascha. Fructus adventûs Spiritus S. Jo. XVI, 514. 185

Dom. V post Pascha. De orando Patre in nomine Jesu. Jo. XVI, 23-30. 191

Dom. II post Pentec. Parabola de invitatis ad cœnam. Luc. XIV, 16-24. 235

Pag.

Dom. III post Pentec. De perdita ove aut drachma. Luc. XV, 1-10. 242

Dom. VI post Pentec. Secunda multiplicatio panum. Marc. VIII, 1-9. 295

Dom. X post Pentec. Parabola Pharisæi et Publicani. Luc. XVIII, 9-14. 355

Dom. XV post Pentec. Resurrectio filii viduæ Naïm. Luc. VII, 11-16. 405

Dom. XIX post Pentec. Parabola de invitatis ad nuptias. Matth. XXII, 1-14. 411

Dom. XXIII post Pentec. Hemorrhoissa sanatur, ac Jairi filia ad vitam revocatur. Matth. IX, 18-26. . . . 499

Dom. II Adventus. Responsum Christi ad discipulos Joannis. — Joannes a Christo laudatus. Matth. XI, 2-10. 539

Dom. infra Octav. Epiph. Inventio Jesu in templo. Luc. II, 42-52. 913

Recollectio menstrua

Januarii. — Meditatio de *morte.* — Examen circa *actiones quotidianas sanctificandas.* 24

Februarii. — Meditatio de *mortis mysteriis.* — Examen circa *praxim pœnitentiæ et mortificationis.* 75

Martii. — Meditatio: *Contemplatio sacerdotis recens defuncti super lectum funebrem expositi.* — Examen circa *pugnam spiritualem adversus triplicem concupiscentiam.* . . . 124

Aprilis. — Meditatio de *bonis mortis.* — Examen circa *praxim charitatis.* 198

Maii. — Meditatio de *judicio particulari.* — Examen circa *vitam fidei a sacerdote ducendam.* 249

Junii. — Meditatio: *Extremi judicii apparatus.* — Examen circa *zelum sacerdotalem.* 302

Julii. — Meditatio de *duplici sententia* in extremo judicio proferenda. — Examen circa *orationem sacerdotalem.* 362

Augusti-Septembris. — Meditatio de *æternitate.* — Examen circa *modestiam clericalem.* 417

Octobris. — Meditatio de *inferno.* — Examen circa *obedientiam sacerdotalem.* 507

Pag.

Novembris. – Meditatio de *purgatorio*. — Examen circa *sacerdotis officia erga SS Sacramentum*. . . 544

Decembris. — Meditatio de *cœlo*. — Examen circa *profectum in spiritu ecclesiastico*. 620

Fabriques d'église

Cfr V° **Jurisprudence** et **Dissertationes**

Réunions du bureau des marguilliers. . . 39

Réunion du conseil de fabrique, le 1er dimanche du mois de Mars — examen du compte annuel. . 81

Séance légale du mois d'Avril — élections. . 205

Séance légale du mois du Juillet — vote du budget. 368

Devoirs des fabriciens aux mois d'Août, Septembre et Octobre. 423

Séance légale du premier dimanche de Janvier. . 630

Jurisprudence administrative

Annulation d'une élection de fabriciens. A. R., 7 Oct. 1895. 40

Legs fait à une confrérie — nul. A. R., 14 Oct. 1895. 41

Suppression de crédits à l'art. 39 (*Honoraires des prédicateurs*) du compte de la fabrique. A. R., 1 Mai 1895. 94

Les frais de *procession* constituent une dépense obligatoire. A. R., 15 Novembre 1895. 94

Du traitement des desservants provisoires. . . 321

Circ. min. du 20 Nov. 1895 relative aux demandes de subsides pour restauration de monuments. . . 323

Ventes d'arbres — émoluments des notaires. Rappel d'une circ. du Gouverneur de Fl. Occ., en date du 11 Nov. 1895. 380

De l'usage des cloches et des clochers des églises. Texte des Arr. Roy. du 8 et du 13 Juin 1896. . 424

Libéralités pour l'entretien d'un monument funéraire. A. R., 13 Août 1896. Commentaire. . . . 564

Pag.

Libéralités en faveur de l'enseignement du catéchisme. A. R., 16 Août 1896. Commentaire. 626

Les *suppléments de traitement* et indemnités que les fabriques allouent aux membres du clergé paroissial constituent des dépenses facultatives. A. R., 16 Sept. 1896. — Mais les *frais de chauffage* de l'église constituent une dépense obligatoire. A. R., 29 Sept. 1896. . 629

—

Jurisprudence des cours et tribunaux

Du recouvrement des honoraires dus, à raison de funérailles ou autres services religieux, au clergé et aux employés de l'église. Jugements du tribunal de Liége, 11 Mars 1891 ; et du tribunal de Bruxelles, 17 Avril 1895. 138

Commentaire de ces jugements. 430

Cfr. V° **Dissertationes**, le commentaire de l'article 268 du code pénal belge — et V° **Conf. Quæstiones et Responsa**, la question relative à l'inhumation d'un enfant mort-né.

—

Consultationes

An liceat exponere SS. Sacramentum in ciborio quod nonnisi reliquias hostiarum continet. 107

An ad impositionem thuris sub missa solemni debeat thuriferarius genuflectere in suppedaneo. . . . 107

Debeatne celebrans genuflectere antequam incenset crucem altaris. 108

Circa seriem communionum per novem subsequentes menses in prima feria VI, hoc anno necessario interruptam. 149

Utrum parochi ad celebrandum pro grege teneantur in festo patroni, et quinam nomine Patroni intelligantur. 151

Utrum mulier binis ovariis carens sit matrimonio apta. 155

Circa officium confessarii erga pœnitentes operarios certo anni tempore in Gallia laborantes. . . . 260

Quid intelligatur nomine festorum Domini quæ impediant missam votivam SS^mi^ Cordis, primis feriis VI mensis indultam decreto 28 Junii 1889 268

Quid veniat nomine peculiarium exercitiorum pietatis, quæ sufficiant ut prima feria VI cujusque mensis, missa votiva privilegiata de SS. Corde Jesu celebrari possit. 571

Pag.

Utrum specialis requiratur approbatio ad excipiendas confessiones eorum qui communitatibus *Fratrum* sunt adscripti. 631

Circa frequentationem *tabernarum* clericis prohibitam. 632

Circa modum agendi parochi aut confessarii cum conjugatis separationem meditantibus vel a comparte derelictis. 633

Quomodo interpretanda sit vox *festivitas* occurrens in quodam indulto, quo conceditur ut suffragetur confessio « infra hebdomadam ante aliquam festivitatem » peracta ad lucrandum indulgentias illi festivitati adnexas. 635

Quonam tono cantanda sint præfatio et *Pater noster* in missis votivis. 638

—

Monita

Falso affirmatum fuit posse sacerdotem pro privata sua devotione aperto Tabernaculo SS Sacramentum exponere ; — item communionem fidelibus non posse impertiri ante vel post Missam sine gravissima causa. 52

Non licet reliquias Beatorum in publicis supplicationibus deferre. 53

Episcopus Brugensis præscribit certam formulam *flandrice* conceptam orationis *Concede nos* etc. litaniis Lauretanis addendam. 324

Idem Episcopus approbat quoddam exercitium pietatis quo satisfiat conditioni requisitæ ut prima feria VI cujusque mensis celebrari valeat Missa SS^mi Cordis tanquam votiva privilegiata. 572

—

Libri commendati

De contractu conductionis, auct. E. De Gryse. 53

Maria's Roozenkrans, door C. De Busschere. . . . 56

De Mechelsche catechismus uitgelegd... door D. Sieuw. 144

Tractatus de virtute Religionis, auct. O. E. Dignant. 640

GTU Library
3 2400 00271 9601

DATE DUE

Temporarily circulated from
Pacific School of Religion

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

Collationes Brugenses

v.1
1896 CBPaG

v.1
1896

25279

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709